M P B

1584

RERVM POLONICARVM
Tomi tres:

QVORVM PRIMVS OMNIVM POLONIÆ REGVM, A LECHO PRIMO GENTIS DVCE, AD STEPHANVM BATHOREVM, etiamnum Regem: tum Principum Lituaniæ, chronologicam recensionem, ac singulorum res gestas complectitur:

ADIECTA RECENS HISTORIARVM IN NOstram ætatem incidentium continua narratione.

II. PROVINCIARVM, QVÆ VNO SARMAtiæ Europææ nomine vulgò veniunt, chorographicam descriptionem continet.

III. RES SINGVLARITER A POLONIS IN Valachia gestas, Orationes item & Epistolas sceptri Polonici negocia concernentes habet.

ALEXANDRO GVAGNINO, EQVITE AVrato peditumque præfecto authore.

Caroli Wagner donatus a C. Vuzaj in Stedervár 1775.
Acc. 46,096



15 84.

BIBLIOTH: ACADEM: DORPAT:

FRANCOFVRTI
Excudebat Ioann. Wechelus, impensis Sigis. Feyerabendij.

M. N. MÚZEUM KÖNYVTÁRA
MAGYAR M. N. MÚZEUMI CZECH. BIBL. KÖNYVTÁRA
TRÓ Raamatukogu
5165

EPISTOLA NVNCVPATORIA,

AD

ILLVSTREM,

AC GENEROSVM DOMINVM, DN. MARCVM FVGGERVM, DOMINVM IN KIRCHberg,& Weissenhorn,&c. atque vrbi Imperiali Augustę Vindelic. Præfectum in Repub. spectatissimum : Dominum, & Mecœnatem suum clementem.

VIRTVTEM omnes admirari, illustris, & generose vir : etiam homines ab ea planè alienos, constat: tùm mirabiles sui amores excitantem, tum verò maleuolos stupore percellẽtem. Quæ qui-

dem, si non priuatis modò parietibus delitescat: verùm publicã vtilitatem potiùs tueatur, quàm in proprio cõmodo acquiescat: vera demum, & genuina virtus dici meretur. Cõmunẽ enim generis humani, ac potissimùm patriæ salutẽ cõsiderans, in constituendo quarumlibet Rerumpublicarum statu singularem sapientiam: in administrando moderatam prudentiam: in conseruando grauem cõstantiam: nec non interdum erga ciues intra officij sui limites retinendos iustã seueritatem: denique eam animi, morumq; compositionem amplectitur, quæ publicè, priuatimq; prodesse omnibus velit, obesse nulli. O rarã virtutem! ideoq; beata felicitate florentissimas Respublicas, quibus ea potiri datum est. Neq; verò quisquam existimet, vario, & ineuitabili (si diis placet) philosophorum fato eam quoque subijci: itaque modò huic, modò illi magistratui vel casu obuenire, vel eripi. Impia hæc, & à Chri-

Christianis hominibus reiecta est opinio: diuinitus eam & concedi, & negari piè asserentibus. Testis est Daniel, propheta luculentissimus, qui rerũ principatus prouidenti DEI OPT. MAX. nutu stabiliri, & trãsferri edocet: imperantium effrenem quidvis audendi tyrannidem: & huic sese assimilantem populi proteruiam politiarum periodum statuens. Quemadmodum enim, inquit Demosthenes, ex erratis, quæ inter nauigandum cõtingunt, si quis nauta peccet, leue & paruum adfertur damnum: verùm si gubernator aberret, omnibus simul nauigantibus cõmune infortunium, ac periculũ creatur: sic priuatorum hominum delicta non in plebis, sed in ipsorum capita recidunt: magistratuum autem, & Remp. administrantium peccata in omnes ciues deriuãtur. Nónne summa Monarcharum potestas, vna extirpata familia ad alterã prosapiam: imò de natione in nationem: mutatis subinde

personis, & regnis: hac ratione deuoluta est: donec Romani (quorum virtus maximè emicuit) inuersa Reipub. forma, ad Monarchiæ tãdem fastigium euecti fuerint: penes quos hodieq; quamuis suis debilitata viribus, consistit? Nónne continua historiarum tam sacrarum, quàm prophanarum series ostẽdit, quàm miranda semper, & exitiosa plerunq; tyrannidem, impietatem, seditiones, libidines & alia eiusdem generis nefaria scelera vbiq; locorum, & in quibus suis imperijs sequatur conuersio? Memorabile, proh dolor, exemplum sese offert, calamitosus regni Constantinopolitani, atq; cæterarum gentium immani Turcarũ furori cedẽtium, status. Luget Græcia, luget Asia, & Africa: nec non plures Europæ prouinciæ: sub Christi Iesu seruatoris nostri protectione olim potentissimæ regiones. Nónne etiam nostra hæc secula eiusmodi Rerump. vices nobis exhibent, dum quædã in pristinam se li-

se libertatem vendicarunt: quædam præterius, & æquum seruitutis iugo premuntur: quædam verò inter spem, & metũ anxiæ, quò se inclinent, dubitant? Concedis ergò, ni fallor, principes suo exemplo vel cõmodare vel nocere ciuibus: eaq; re vitæ probitatem, res, & fortunas tũ suas, tũ ciuium: adeoq; administrationẽ, ius, & iurisdictionẽ omnem vel penitus euertere: vel, ne quid detrimẽti capiat Resp. in primis curare posse. Concedis etiã, solam virtutẽ efficere, vt princeps non solùm sui amore dicto audientes ciues habeat: sed etiam diuino DEI omnia moderãtis fauore, & auxilio nixus, incolumẽ imperij sedem conseruet. Quænam autem illa virtus sit, quídve operetur, haud difficile est cõijcere: si quoddam benè cõstitutæ Reip. regimen cum exquisita historiarum lectione cõtulerimus: prudẽtia nanq;, fortitudine, iustitia, & clementia opus est: quæ nimirum fulcra sunt stabiliendi regni, & colu-

mnæ. Hac ſiquidẽ ſuis viribus vnita virtute parcitur ciuibus: iure, & legibus viuitur: virtus priuata præmium conſequitur: vitium pœnis coërcetur: in aduerſis rebus fortunæ nõ facile ceditur, nec in ſecũdis ſuperbitur: ſed inſidijs, ſeditionibus, atq; periculis patriæ vndiquaq; imminẽtibus imperterritè obuiam itur: ac deniq; ratione, & iudicio cõſtituitur, & gubernatur Reſpublica. Atqui nõ cuiuis eò aſpirare licet, heroicæ indolis, atq; excelſi animi munus eſt: cui præterea longus rerũ vſus, & multarũ literarum, præſertim hiſtoriarũ, cognitio pulcrè reſpõdeat. Nam eruditio, & plurimarũ rerum ſcientia inſitã à natura: ſeu, vt melius dicam, à Maioribus iure quaſi hæreditario acceptã ingenij vim magis accendit: &, quod maximũ eſt, vehementem animi generoſi impetũ abſq; vllius iniuria temperat: qua ſi deſtituatur, perſæpe in pernicioſam Reip. tyrannidem, & exitium deſinit. Exempla huius

huius rei apud fide dignos rerũ geſtarum autores paſsim obuia ſunt, tũ eorum, qui ob literarum imperitiam Reſpublicas per ferocientis ſpiritus vehementiam tyrannorum more peſſundederũt, fœdeq; perierunt: tum verò illorum, quibus de patria ſua optimè meritis per gloriam virtutis, & eruditionis in perpetuum viuere cõtigit, innumera: vnum ſaltem è millibus ponã, Carolum V. diuæ memoriæ: Imperatorẽ non minus literatum, & prudentem, quàm iuſtum, & magnanimũ. Qui memor illius Iuſtiniani, Imperatoriã Maieſtatem nõ ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportere eſſe armatam: vt vtrunq; tẽpus & bellorũ, & pacis rectè poſſit gubernari: & princeps Romanus non ſolùm in hoſtilibus prælijs victor exiſtat: ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & ſiat tam iuris religioſiſsimus, quàm victis hoſtibus triumphator magnificus: heroicã, & verè

Imperatoriam mentem frequenti literarum lectione in tantum oblectabat, & informabat, vt iuris, & historiarũ maximè scriptores, nec in medio quidem armorum strepitu è manibus deposuisse perhibeatur: Imperij Romani acris defensor, & pacis restaurator: nec nõ multis regnis ob excellentẽ cum felicitate iunctã virtutem terror ingens, & formidabilis. Eiusmodi Heroas hoc rerum Polonicarum quoq; chronicon plures repræsentat, fortibus ausis, & magnis victorijs insignes: atque sua virtute eò progressos, vt Imperij sui fines longè, lateque extenderent: Boleslaum quoque huius nominis primum Otthone tertius Romanorum Imperator axiomate regio dignißimum arbitraretur.

Reliquum est, vt (quod more obseruatur) quæram, cuius patrocinio chronicon hoc, ex recensione tot, tantarumq; heroicarum virtutum per se amabile: viris doctis, & bonis cognitu dignius etiam & iucun-

iucundius fiat: te videlicet, illustris, & generose vir, præcipuum Fuggeranæ familiæ decus, & ornamentum, operi huic multis modis conueniens. Quis enim negarit, quin Fuggerorum familia generoso virtutis stimulo eousque peruenerit, vt iam prorsus ad Reipubl. administrationem nata: prudentia, & omnis generis disciplina instructa: atque vsu diuturno assuefacta esse videatur. Illud certum est, eo primum tempore cognitam & perspectam eiusdem virtutem fuisse, quo non vllo clariore, & oportuniore vnquam potuisset: patria scilicet sub D. Carolo V. in extremo discrimine constituta. Cùm enim Tribunitijs, vt tum tempus & res ferebat publica, aliquandiu furoribus exagitaretur: atque plebs inquieta Tribunorum manu contra Magistratum armaretur: eamq; ob caussam graue Imperatoris, alioquin clemẽtißimi, odium, et indignationẽ iustam pateretur: mirũ est,

quantus in iuuanda patria, & reconciliandis ciuibus Antonij parentis: nec nõ Ioannis Iacobi, & Georgij patruorum tuorum ardor, & indefessa animi constantia apparuerit: vt à DEO OPT. MAX. horũ trium fratrum, Antonij præsertim virtute, ex faucibus Hispanorum prædã spirantium, & quæuis atrocia minantium, Augustam ereptam esse, haud obscurè pateat. Hinc proculdubio nemine repugnãte, de Antonio Fuggero verè dixerim, quod Xenophon Agesilao suo tribuit: inquiens, eundem, vbi existimasset patriæ profuturum, neq; labores fugisse: neq; à periculis abductũ esse: neq; pecunijs pepercisse: neq; corporis, neq; senectutis imbecillitatẽ obtendisse: patriæ deberi ratum, vt ciues saluis aris, & focis tutò viuerent. Designati me hercule magistratuum honores à D. Carolo V. in Rep. Augustana septemvirales Antonio: consulares Ioanni Iacobo: atq; senatorij Georgio publicæ amoris in patriam

patriam approbationis instar sunt: eò certè laudabilioris, secundum Imp. Theodosium: quòd nec prece, nec precio illos ambiuerint: sed ob merita, & vitæ integritatem vltrò oblatos, absq; vlla tergiuersatione, subierint: atq; summa cum laude iustitiæ, & fidei ita gesserint, vt amarentur à plurimis, timerentur à paucis: nõ priuatim modò admirabiles, sed & publicè apud omnes. Encomium eruditionis, prudentiæ, mãsuetudinis, grauitatis, & in omnes, præsertim pauperes, beneficentiæ: quæ peculiaris huic familiæ esse solet: quis nõ videt tam Imperatorum, regum, principum, & magnatum gratiam, & amicitias haud pœnitendas: quàm virorũ tum doctorum, tum bonorum animos: imò exterarum quoq; nationum: quibus eadem virtus innotuit: fauorẽ singularem Fuggeris conciliasse. Equidem vt, quanti familiam hanc faciam, quámve te Maioribus tuis omninò similem mirer, & admi-

rer: licet forsitan non pro rei dignitate, attamen ex animi mei affectione, declarem: idcircò præsens hoc opusculum, ducum, & regum Polonorum, atq; rerum ab his gestarum conspicuum ordinem continens, illustri, & generoso tuo nomini offero, dedico, consecro: ea lege, & conditione, vt non solùm ipse sereno, & clementi vultu dicatum suscipias: sed lectum etiam, & comprobatum tua cõmendatione gratum magis, & acceptum reddas: quæ quãtum ponderis apud quosuis habitura sit, minimè me fallit. Quò enim doctior quisque, & apertior fuerit, eò æquius & honorificentius de tuo iudicio senserit: non ignarus, te Maiorum tuorum vestigijs inhærentem, nullum simulationi, nullum affectibus locum relinquere: sed candidè omnia, & solerter agere: vtpote historiarum quotquot sunt omnium peritissimum, & multa multarum rerum experientia edoctum. Accedit Reipublicæ

admi-

administratio: cui præfectus, tantus es, quantum te tua in capessenda illa virtus ostendit, magnus meritò, & clarus: eo maximè statu, quo nisi animus præsens & fortis prudentiæ, & vigilantiæ opituletur: verendum sit, ne paruo momento res magnæ subuertantur: & cum ciuibus Respublica simul ipsa concidat: id, quod DEI OPTIMI MAXIMI clementia in Christiani sanguinis hostes redundet, votis supplicibus precor. Gratuletur igitur sibi Augusta de te, collegisque tuis rerum iam potiuntibus: viris sapientia, & fide spectatissimis: quibus nihil religiosius, nihil antiquius esse ducitur patriæ, ciuiumque suorum salute: atque vestrum sequuta consilium, & ductum: fugata Ate, quæ nullibi non suo nomini vnquam magis respondit, atque hoc deploratissimo seculo: tranquilla pace, & concordia animorum perpetua

fruatur. Quæ quidem, tanquã Rerump. incrementum, lucro cuilibet longè præferenda: vera tamen pietate, & aſsidua ad DEVM OPT. MAX. *oratione expetenda eſt: qui ſolus, & vnus politias conſtituit, & florentes tuetur: Nanque,*

Te penes, alme DEVS, rerum eſt diſponere ſummam:
Te duce, ciuilis iuſſa capeſſit homo.

Vale, illuſtris vir, cum tota Fuggerana familia, cõiuge ac ſobole generoſa: qui perpenſis animi dotibus, excellens: corporis bonis, omnibus amabilis: fortunæ ſucceſsibus dignus eſſe videris: meq; tibi, meosq; commendatos habere digneris. Datæ Francofurti ad Mœnum, Calend. Aprilis, anno reparatæ ſalutis humanæ M. D. LXXXIIII.

Tuæ Illuſtri generoſitati
deuotiſſimus
Sigiſmundus Feyerabenius
typographus.

PANEGYRICVS, AD STEPHANVM I. POLONORVM regem potentiſſimum,

CHRISTOPHORI WARSEVICII
Equitis Poloni.

INCREDIBILEM lætitiam, STEPHANE rex, quam ex tot, tantisque rebus præclarè abs te geſtis omnes concipimus, vix aliquis non dicam verbis ornare, ſed ne enarrare poteſt. Neq; enim ſolùm calamitatem nobis detraxiſti, verùm etiam dignitatem auxiſti, & noua inſignia honoris, & adiumenta felicitatis comparaſti. Quo nomine quantum debetur virtuti & fortunæ tuæ, vtinam mihi eſſet tantundem eloquentiæ? Quis enim dubitaret, & admiratione audientium, & voluptate legentium, & eorum qui commemorantur gratia, nullum mihi dari poſſe maius argumentum, præſtantiusque dicendi? Sed ego quò tibi deberi plura video, & quò minus præſtare poſſim, meum ipſe recognoſco; eò fugit & reformidat id magis animus, & in anguſtum mea redigitur oratio. Dicendum enim eſt de ſummi & ampliſſimi REGIS laudibus, dicendum de tot tantisq; rebus geſtis & victorijs ipſius, quas, ſicuti difficile eſt explicare omnes, ſic

nefas vel aliquas præterire: quo magis summo ingenio & eloquentia opus est, & nihil nisi eximium solertia, excultum diligentia, debet afferri. Verùm dum temeritatis notam cuncti vitamus, ne ingrati animi reprehensionem potius incurramus, audendum aliquid esse puto, & præstare vt si minus diserti & sapientes, at saltem non ingrati videamur. Ac primùm verba facienda sunt de caussis belli; demum de progressu & cursu ipsius, & cùm hostis in inferendis iniurijs libido animiq; impotentia, in omni turpitudinis genere incredibilis luxuria; tum verò summa æquitas in decernendo; considerata tarditas in susscipiendo; admirabilis celeritas & felicitas tua in gerendo bello; & in victoria præclara moderatio, & mansuetudo summatim est exponenda. Quain re ita me, REX, geram, ne aut veram detraxisse, aut falsam affixisse laudem tibi videar; & ad accusandum eum hostem descendisse, studio aliquo maledicendi vel calumniandi. Quamquam quod facere alicui videtur non turpe, id mihi factum ab eo referre, cur sit turpissimum, & si in mortuorum laudationibus, nisi simul cum virtutibus notentur & vitia, suspecta est omnis oratio: in commemorandis viuis id fieri (vt mea fert opinio) quanto magis debet: partim vt à turpitudine ad honestatem; ab inhonorata & ingloria vita, ad decus & gloriam auocentur; partim ne cum laruis tantùm certare & viuorum vitia dissimulare potius videamur: nisi fortè metus nos impediat aliquis, qui tamen ingenuis & in libertate hominibus natis, nec mentem opprimere, neq; linguam obstringere debet, quò minus velint rebus sua nomina dare, & vt ille inquit, Scapham scapham appellare.

pellare. Nemini ergo est dubium hoc bellum contra Moschum tuum, voluntate serum, necessitate iustum, beneficio erga rempub. gratum, fama gloriosum, exitu maximè vtile & salutare extitisse. Etenim cùm omnia bella, quæ pro aris & focis, pro patria, pro tuendis finibus, pro conseruandis libertatibus susscipiuntur & geruntur, iusta sunt, tum contra Moschum iustissima; qui non princeps sed tyrannus, non homo sed bellua ex fœdissimorum flagitiorum colluuione conflata, potius diceretur. Legimus olim veteres, inter deos locum Herculi non aliunde tribuisse, nisi quòd contra Diomedem regem Thracum, qui carnibus hospitum equos pascebat, arma sumserat, & in frusta dissectum patibulo affixerat. Legimus Phylantum non alia de caussa celebrari, nisi quòd Dryopum regem Apollinis Delphici fanum violare ausum, regno exuerat, illudq; incolendum Melitensibus præbuerat. Legimus deniq; quos honores, quos hymnos, quos cantus, quas & quales statuas, ijs, qui tyrannos occiderant, homines Græci tribuere consueuerãt; vt exstaret ad memoriam posteritatis ara virtutis. At enim Ioanne Basiliade magno Moschorum duce, quis vnquam immanior fuit aut esse potuit? plures ille homines sua manu interfecit quàm alij iusserunt, plura genera mortis alijs attulit, quàm omnes tyranni excogitauerunt. Non Dionysius, non Claudianus, non Nero, non Caligula, non omnes ij quorum aliquando nobilitata est crudelitas, non dicam superiores, sed pares isti fuerunt. Nam quid ego immanitatẽ, quid ferociam, quid libidines, quid stupra, quid scelera & flagitia ipsius omnia commemorem? Quis ita se & fortunas abdi-

dit, quis domum clausit, quis vitam obsepiuit, quis pudicitiam permuniuit, vt ab istius portenti vi & rabie tuta maneret? Quę vnquam fuit, est, aut erit barbaria quam non istius deterrima crudelitas superaret? Et erit qui dubitet ad hunc tantum & tam inauditum tyrannum, suæ parricidā patriæ, hostem ipsius naturæ, expertem omnis humanitatis, prædonem alieni iuris, vindicandum datum & destinatum diuinitus te fuisse. A quo tot & tantis iniurijs & contumelijs prouocatus, quanta moderatione & patientia fueris vsus, quāquam omnibus cognitum & perspectum est, tamen & ego id tacitus præterire nullo modo possum. Summum enim studium, summa fuit cura & sollicitudo tua, vt omnia prius quàm armis cum eo experire, & vt intentatum nihil relinquere viderere, quod ad Christiani sanguinis profusionem vitandam, & ad pacem concordiamq; ex æquo cum eo constituendam, pertineret. Huc tui toties ad eum missi internūcij, huc literæ, huc legationes, huc mandata legatis data, huc postulata semper tendebant. Quibus rebus omnibus profectum est apud eum nihil, & tantum abfuit vt superbus & crudelis hostis, ea moderatione animi, & postulatorum tuorum æquitate, à libidine ad pudorem, ab audacia ad timorem, ab amentia ad rationem auocaretur: quod etiam illa ipsa inflammari libidine, ardere amentia, efferri superbia tantò magis cœpit, & ea quæ ad pacem & mutuam subiectorum tranquillitatem vergere iam cœperant, turpiter nefarieq; violauit. Nam vt illa quę Sigismundi Augusti temporibus fecit silentio præteream, vt insidioſę pacis iniecta spe Polociam occupatam, vt legatos regis & reip. nomine ad eum missos,

sos, viros graues & præstantes indignissimè tractatos; vt Pernauiam sub Henrico rege, ab eo captā non commemorem; enimuero ignoratur quàm crudelis & perfidus hostis Moschus erga te fuerit. Cùm enim legatis tuis, ad se veniendi potestatem fecisset, securitatemq; promisisset, repētē vt Prussicis tumultibus sedandis occupari & longius abesse te intellexit, an Liuoniam prouinciam, sepimentum Lituaniæ, sociam reipub. antiquæ pietatis vestigium, Balthici maris præsidium non inuasit, & crudelissimè diripuit? Est autem Liuonia non (vt ipse ait) ipsius hæreditaria, sed Marianorum militum, Teutonici ordinis vetus domicilium, quam ante annos quatuor & viginti inter Guilhelmum Furstenbergium ordinis illius principem, & inter Guilhelmum Marchionem Brandenburgicum, & Rigensem archiepiscopum, bello & dissensione orta, cum religione & libertatem simul amisit. Siquidem perfidiam & leuitatem semper manet pœna, & mutatio religionis statum cōmutat libertatis. Quod quomodo euenerit paulo altius repetere me, & auram clementiæ ac benignitatis tuę ad hunc demissum orationis meæ cursum in altum prouehendum, implorare oportebit. ERAT Liuonia in duas diuisa partes, quarum altera magistratui ecclesiastico, hoc autem est archiepiscopo Rigensi, & quatuor alijs episcopis, magistro Teutonici ordinis altera subiacebat. Itaque cùm antea semper Cruciferorum magistri, archiepiscoporum Rigensium, quibus cùm Rigam primariam Liuoniæ ciuitatem imperio tenebant, & omnium adeò ecclesiarum patrimonio inhiarent; tum verò Furstenbergius Guilhelmum archiepiscopum in arce Cocen-

Livonia

hauſen aperta vi inuaſit, & captiuum fecit: qui, quoniam Sigiſmundi Auguſti regis Poloniæ & magni Ducis Lituaniæ cõſobrinus fuerat, & Rigenſium archiepiſcoporum patrocinium ad magnos Lituaniæ duces, more maiorum pertinebat, miſſus eſt Gaſparus Lancius à rege internuncius eo nomine in Liuoniam: quem cùm Liuones occidiſſent, bellũ eſt contra eos motum, & florentiſſimus exercitus ab ipſo Sigiſmundo Auguſto ductus in expeditionem. Cui cùm ſe impares viribus & potẽtia Liuones animaduertiſſent, pacem repente petere, ſupplicesque fieri omnes ei non dubitauerunt, quam facilè interponente ſe pro ijs Ferdinãdo Cæſare ad Pozuolum obtinuerunt. Huius verò expeditionis contra Liuones exitum, magnus Moſchouiæ dux apud ſe admiratus, & eadem ſe præſtare poſſe cõtra Liuones ratus; Derpatenſibus, tanquam vicinioribus, maiorũ ſuorum ius in hac parte cauſatus, pecuniam imperat, & niſi ea vel quamprimum ab ijs ſolueretur, cunctæ Liuoniæ bellum & exitium denunciat. Fit ea de re inter Liuones conſultatio; communicantur conſilia; dimittuntur in Moſchouiam legati: qui cùm initio (vt ferunt) pecuniam ſe attuliſſe affirmaſſent, demũ verò ad rem cùm eſſẽt ventum, eam non repoſuiſſent, barbarus & immanis hoſtis, tantò magis irritatus, legatis redire iuſſis, cum centum & triginta hominum millibus eos inſecutus eſt, ac ſubitam in Liuoniam irruptionem fecit; vſq; adeò, vt mox Wiſſemburgam & Naruam, deinde verò Derpatum, à cuius ciuitatis epiſcopo in ſpem futuræ gratiæ adiutus fuiſſe dicitur: tandem & Mariemburgam occuparet, & incredibilem captiuorum numerum in Moſchouiam ſecum

cum abduceret. Sic Liuones magnam cladem & vaſtitatem à Moſcho paſſi, & in rerum ſuarum deſperationem pene abducti, ad Ferdinandum Cæſarem & ante, & tum cùm poſt inaugurationẽ ſuam Francofurti Auguſtæ comitia celebraret, legatos mittunt; & tam ab eo quàm à cunctis Romani imperij ordinibus auxilium efflagitãt, & niſi celerrimè auxilium eis feratur, ſub iugum barbari & crudelis hoſtis ſe neceſſariò ituros eſſe, nec aliter facere poſſe teſtantur. Neq; verò Imperatorem tantùm, ſed & Daniæ & Suetiæ reges & multos alios principes eo nomine adeunt & implorant. Sed rarò fit, vt ij, qui ſua cõmoda & rationes ſpectant, alienis difficultatibus & periculis ſubueniant. Quapropter deſperatis omnium auxilijs, ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ regem, poſtremò Liuones confugiunt; apud quem cùm ſemel & iterũ coràm, per legatos quàm ſæpiſſime auxilium poſtulaſſent, cumque & propter Lituaniæ vicinum malum atq; incẽdium, & propter regis ipſius gloriam & amplitudinem eam Liuoniæ prouinciæ tutelam vtilem & neceſſariam ei eſſe, ſemperq; fore docuiſſent; tandem in fidem & clientelam recipiuntur, certis pactis & condicionibus, Liuonibus quidem ipſis quam rei aut reipub. commodioribus, quę durarunt certo temporis ſpatio, & Liuones variam & inſtabilem fortunam experti ſunt, mutationemq; rerum ſuarum grauiſſimam pertulerunt. At verò Sigiſmundus Auguſtus rex, cùm per annos aliquot maximis ſumtibus Liuoniam defendiſſet, & Ericum eius nominis quartum decimũ Sueciæ regem, præter omnem expectationem arma cõtra Liuones cepiſſe, & hoſtes deniq; alios eius prouinciæ auctos eſ-

se cognouisset, pactis prioribus stare nec posse, neq; debere se dixit. Sed Nicolaum Radiuilum in Olica & Niesuies ducem ac Palatinum Vilnensem, summæ auctoritatis & amplitudinis virum, ad Liuones ea de causa ablegauit; qui in re tanti momẽti præstare cùm nihil posset, illud quidem impetrauit, vt Guilhelmus archiepiscopus & Gotthardus Kethlerus magister, quem ætate ingraueſcente Furstembergius non ita multo pòst à Moscho captus, ibidemque mortuus, in locum suum suffecerat, ad regem se venturos esse, Vilnam reciperent, & cum Palatini Vilnensis auctoritate, tum verò arce Terues munitissima & Liuonibus infestissima à Nicolao Radiuilo, tum Trocensi, nunc Vilnensi Palatino, sub Moscho expugnata, ad eam rem magis adducerentur. His ergo Vilnam aduenientibus, cùm post lõgas & multiplices disceptationes, euidentissimis rationibus declaratum fuisset, nisi communibus tam Polonorum quàm Lituanorum viribus Liuoniæ defensio susciperetur, à tot tantorumq; hostium rabie & interitu non posse eam prohiberi. Polonorum verò auxilia, nisi deditione, non Lituaniæ tantùm, verùm etiam Poloniæ facta adduci non posse. Tandem ad extremum, cùm perditis Liuonum rebus nemo succurreret, & vt fortunæ suæ præsidia aliunde quærerent, cùm tam Cæsar ipse, quàm imperium non obscurè annueret, Poloniæ Lituaniæq; pariter deditionẽ fecerunt, & ea pacta cõuenta Grodnæ primùm, deinde verò & Lublini, in maximis totius regni comitijs, quibus Lituania cum Polonia est vnita, per legatos suos iureiurando sanxerunt & confirmauerunt. Ad eum modum magistri Liuoniæ statu, in ducis Curlandiæ permutato, huic

huic regno adhæsit, & est associata Liuonia, quę Deo opt. max. sic permittente, non secus ac sedes quędam belli & dissidiorum facta, graues subinde & varios motus, multiplicesq; dominatus experta est, & pecunias quàm maximas exorbuit, & immensis laboribus ac periculis regi & defendi necesse habuit, quoad tu, STEPHANE rex, in regem eligerêre. Quem, vt suprà dixi, Prussicis tumultibus sedandis occupatum, cùm Moschus animaduertisset, Liuoniam quã spe & cupiditate iampridem deuorauerat, aperta vi & crudelitate inuadere non dubitauit. Atque id quidem eò fecit libẽtius, quò certis auctoribus Germanici magistratus spe & expectatione iniecta, multos ad defectionem, & res nouas spectare in Liuonia intellexit. Fit enim vt homines spe fallaci & opinione ducti, sæpe melioribus noua imperia anteponant. Verùm posteaquã Moschus grassari in Liuonia cœpit, & nihil minus quàm de Germanico magistratu cõstituendo cogitare, imò etiam odio Germani nominis flagrare, & in sanguine totiusq; Liuoniæ cinere exultare. Liuones sanè facti mox pœnituit. At verò hostis nihil prius habuit quàm vt sine vlla sexus, ætatis & conditionis differentia, tot hominum millia immanissimè trucidaret, & inauditam crudelitatem atq; tyrannidem suam in Liuonia passim & vbique exerceret. Iam verò legatis tuis ad eum venientibus, quàm superbus, quàm contumax fuerit, quàm multa arrogauter de se, quàm leuiter de alijs coram eis dixerit, longum esset commemorare. Principiò genus suum explicare est orsus, & à Prusso quodam nunquam aliàs lecto vel audito, quem Octauij Cæsaris fratrem, & se ab eo progeniem quartamdeci-

mam dixit esse, originẽ suam deriuauit. Quem cùm in Prussia & Liuonia ciuitates multas exædificasse affirmasset, in aliquot huius reip. prouincias ius se habere asseruit. Neq; verò hac & tanta verborũ vanitate cõtentus fuit, verumetiam apertam vim & crudelitatem statim adhibuit. Nam cùm legati tui in ijs pacificationis literis, quas Moscho dederant, nullam mentionẽ Liuoniæ facerent, totã Liuoniam & Curlandiam vsq; ad fines Prussię sibi reddi confestim ille postulauit; & nõ ad similitudinẽ literarũ legatorum tuorum, sed ad arbitrium suum perscriptas literas superbè & minaciter eis obstruxit: tandem verò legationem, qua illas pactas, ne dicam coactas formulas, infirmare, quàm cõfirmare potius voluerat, in Poloniam amandauit. At enim nihil incõsideratius committitur, nihil periculosius suscipitur, nihil difficilius peragitur, quàm legatio. Cùm enim legati Moschi legationẽ exponere suam secus nollent, nisi detecto capite, & in pedes erectus, de tyranni valetudine tu prius interrogares. Postquã id negatum, & legationem vt exponerent suam imperatum eis fuisset, ira perciti & indignati, nõ modò nõ perfecta, sed ne quidem affecta legatione Cracouia exire, & ad Moschũ sese referre maluerũt. Qui immisso in Liuoniã exercitu, Vendenã principũ Teutonici ordinis olim domicilium, præter tuam & omnium opinionẽ oppugnabat. Quod cùm per insignẽ faceret iniuriam, effectũ est præpotentis Dei ope & benignitate, & tua, tuorumq; ducũ felicitate, REX, vt ille exercitus ipsius tam magnus, paruis à tuis copijs, Sueticis cum auxiliis cõiunctis, Andrea Sapiha, nobili & egregio duce profligaret, & amplius viginti tormẽta bellica prægrandia,

dia, & admirabilis artificij, tuam in potestatẽ peruenirent. Ita tu demum, cùm bello vniuersa arderet Liuonia, & de quiete sua sollicita esset Lituania, cõsumtis tot studiis & laboribus tuis, quæ cum magno Moschouiæ duce in cõstituenda pace frustra susceperas: habito Grodnę cõuentu, & amplissimis Lituanorum auxiliis imperatis, non tua tuorumque tecta contra eum amplius defendere, sed armis hostẽ aggredi apud te constituisti, cùm iam illud bellum omnibus omnium ordinum sententiis, Warsauiensibus comitiis antè decretum, & grandi tributo imperato, ad exteras etiam gẽtes & nationes perlatũ fuisset: quod antequã gereres, Wenceslaum Lopatinscium cum literis, quibus causas & rationes susceptæ contra Moschum belli expliçabas, in Moschouiam ad eũ dimisisti, demũ verò grauem & maturã consultationem cum Senatu alijsq; militarib. viris inire placuit, quonam armorũ tuorũ vim conuertere potissimũ deberes. Quo loco, multa te in vtramq; partẽ versare animo, & mentis oculis collustrare oportuit, vt ea quæ cõtra eum hostem eras gesturus, non tam impetu & fortuna, quàm consilio & prudẽtia gessisse magis viderere. Est enim pate facto aditu & vestibulo, felicior res dimidio, & bella gerunt armis & cõsilio. Erat fateor nõ nemo, qui, relictis arcium & munitionũ oppugnationib. in ipsa veluti penetralia hostilis ditiõis ꝓficisci operę pretiũ iudicabat: ꝓpterea quòd exercitui tuo à prelij & dimicatiõis fortuna, quã ille vitaret, periculũ esset nullũ, & cùm oĩs bellorũ gerẽdorũ ratio ꝓgressum habeat arduũ, tũ verò arces & munitiones capere esset, fuissetq; semp difficillimum; adeoq; Polonis & Lituanis maximè, quorum nõ perequè in

expugnandis munitionibus, quàm in vincendis prę-
lio hostibus, aliàs viguisset industria: & deniq; quod
ijs, qui nouis imperijs studerent, eumq; tyrannum è
medio tolli inprimis cuperent, aduẽtantis exercitus
fama, animum & quasi ansam præbitum iri videre-
tur. Polocia verò, quæ oppugnanda ante alias arces
sese offerret, manu & natura munitissima, & omni
apparatu belli instructissima, vel diuturnã obsidio-
nem ferre posset. Atq; hæc quidem cùm essent per se
magna, tum illud longè maius atq; grauius, quòd Po-
locia magno Ducatui Lituaniæ, atq; adeò ipsi Vilnæ,
nulla alia firmiore munitione interiecta, periculo-
sissimè impenderet; ex qua dum in alijs remotiori-
bus regni partibus versaris, non modò affligendę Li-
tuaniæ; verùm etiam diripiendæ Vilnæ, potestatem
esset hostis habiturus. Et cùm non modò rerum re-
cuperandarũ communis reipub. caussa, sed quoad e-
ius fieri longissimè posset, remouendi hostis gratia
bellum illud susciperetur; haud abs re videbatur fore
expeditionibus bellicis, propinquiorem sedem ali-
quam & quasi officinam comparare, ex qua integri
& recẽtes milites, in hostile solum penitus ducerẽ-
tur, & instrumenta impedimentaq; belli ad res cum
maiori celeritate & felicitate gerendas, transporta-
rentur. Postremò, Polocia (qua munitiorem arcem
hostis non haberet) expugnata, Moschos, de alijs re-
tinendis diffidere; tuos verò spem concipere opor-
tere: tantumq; abesse, vt id, quod locus ille permuni-
tus diceretur, tibi, tuisq; deberet adeò terrori esse, vt
etiam in primis in tanto militum ardore, oppugnan-
dus videretur; & vel hęc reliqua gloria capiendarum
expugnandarumq; arcium, Polono & Lituano no-
mini,

mini, duce & auspice te, adiungenda: præsertim cùm
munitiones à tergo relinquere nullis vnquam bellis
gestis, fuerit obseruatum; & commeatu, milite, au-
xilijs, receptu deniq; ipso vltro se excludere, admo-
dum sit inconsultum. Hæc cùm vicisset sententia, ex-
trema Iulij die, Vilna Suirum est itum ad lustrandas
percensendasque copias. Deinde per Hlubokie &
Postaui, Dzisnam, ac demũ & Polociam. Quo in iti-
nere quantam & quàm incredibilem difficultatem,
quantam viarum asperitatem expertus sis, quantum
incommodorum molestiarumq; pertuleris, non fa-
cilè dicendo explicari potest; & properat mea ad i-
psam oppugnationem oratio, quæ, qualis, & quàm
ardua fuerit, vix alicui qui rem oculis non subiecit
esset credibile. Fuit certè talis vt & propter defenso-
rum fortitudinem, & propter loci naturam, & pro-
pter artem apparatumq; belli, & propter iniurias ac
tempestates ipsius cæli, cum difficillimis arcum op-
pugnationibus possit non immerito comparari. Et-
enim cùm aliàs semper, tum eo maximè tempore,
palam omnibus fieri Deus opt. max. voluit, & ab eo
cunctas peti & ad eum solùm referri debere victo-
rias. Ac per multos continuos dies tantũ pluuiarum
cælitus demisit, vt & militum operæ impediri, & du-
cum industria langueſcere & vis ipsa parum aut ni-
hil proficere videretur: Eo accedebat summa prę-
sidiariorum cum incredibili mortis contemtu, in de-
fendenda arce obstinatio; vsq; eo, vt non manifesti
interitus metus, ad aliquam vel minimã animi con-
sternationem; non sublata auxiliorum spes ad desp-
erationem, non deniq; regiæ clementiæ & mansue-
tudinis fiducia, ad deditionem eos adduceret. Con-

ſtabat exercitus tuus, ex tribus quatuor ve nationibus, eratque & viris, & armis, & equis, & omni apparatu ornatuque belli inſtructiſſimus. Eſt autem opinio, quo inter ſe plures nationes coeunt, eò virtutis æmulationem, in eis magis excitari. Sed & Polonorum virtus, & Lituanorum celeritas, & Vngarorum audacia, & Germanorum conſtantia ſui diſſimiles fieri iam quodammodo cœperant; & cùm hoſtium peruicacia, tum tempeſtatum iniuria, expugnandæ arcis rationes omnes maximè retardabat. Quibus in anguſtijs angoribusque animi, cùm diu multumque eſſes verſatus, tandem Auguſti dies nona & vigeſima, ſimul cum ſerenitate initia etiam attulit victoriæ, non magna adeò Chriſtiani ſanguinis profuſione, & exiguo tuorum interitu parte, ſumma verò moderationis tuæ laude & admiratione, quæ talis atque tanta fuerat, quòd hoſtis ipſius præfecti, & perquam plurimi milites, tua vexilla ſequi, & tuæ dextræ non modò in prælijs, verumetiam in ſeruandis promiſſis firmiſſimè ſe committere non dubitauerunt. Erat porrò eiuſdem hoſtis vicina Polociæ arx, Socolum nuncupata, cui præter vetus præſidium ei arci impoſitum, inerant ſex millia militum, ex ipſis Prætorianis magni Ducis, ſelectiſſimorum. Hanc tu, ſi non expugnatam relinqueres, nec ex belli ſuſcepti conſilio, neque ex dignitate tua, neque ex rei abs te geſtæ fortuna, futurum iudicauiſti. Itaque miſſo ad eam Nicolao Mielecio Podoliæ Palatino, & ſummo copiarum Polonicarum præfecto, viro præſtanti virtute, ingenio & felicitate prædito, tam citò, tamque facilè in poteſtatem tuam eam redegiſti, vt arx incendio ſubito orto conflagraſſe; hoſtium vltra quatuor

quatuor millia cæſa fuiſſe vna die memorentur. Iam interea Sythno, Craſno, & Touroulia, hoſtiles munitiones tres, tuis à militibus occupatæ erant. Iam Philo Cmite capitaneus Orſchanenſis in magni Ducis Moſchouiæ ditiones, longius excurrerat, & duobus millibus hoſtilium pagorum incenſis, Smolenſcique ſuburbijs ambuſtis, totam illam regionem quoquo verſus depopulatus fuerat. Iam Conſtantinus Oſtrogiæ dux, cum Michaele Viſnieuiecio, Braczlauienſi Caſtellano, & Ianuſio filio, Boryſthenem tranſgreſſus, & in hoſtilem ditionem turmis Tartarorum aliquot miſſis, longè lateque omnia peruaſtarat, & vſque ad Starodubum Radohoſtiam, & Podczepouiam, populationibus prolatis, ingenti cum præda domum redierat. Iam denique armorum tuorum, non dicam fama, ſed terror vniuerſam Moſchouiam ſic peruaſerat, vt non ex rumore bellum, ſed ex clade nuncium Moſchus expectaret. Reſtabat Suſſa, quæ quoniam in medio captarum erat poſita, eam quoque breui eſſe futuram tuam, haud vana coniectura prædixiſti, eiusque deditione Poſeſſe, nuntium, Vilnam antequam attigiſſes, accepiſti. Ad eum modum hoſtilibus arcibus ſex occupatis, nec multo pòſt duabus etiam alijs Nieſczerda, & Coziani captis, & multis hoſtium millibus occiſis, neque adeò multis ex tuis deſideratis, cùm anni tempus alienum à gerendo bello te excluderet, Vilnam es reuerſus, & bello quod media hieme apparatum, ineunte æſtate ſuſceptum, exacta confectum, dici poteſt; tuis te amabilem, hoſtibus formidabilem, exteris gentibus nationibusque admirabilem reddidiſti.

Erat tum cùm hæc gereres magnus Dux ad Plescouiam, quæ olim libera, sub imperium nunc eius cessit, & arcium oppugnationem, militumque suorum cædem à longe audiebat: & vt tyranni natura superbi & timidi sunt, vtque in prospera fortuna superbos & cõtumaces, in aduersa humiles & abiectos se adeò præstant, cùm Lopatinscium internuncium tuum initiò arctius detinuisset, capta demũ Polocia, ad se eum accersiuit, & humanius multò habuit. Tandem verò consiliarios suos (si consiliarij & non mancipia ipsius dici potius debent) ad senatores tuos, per Lopatinscium mittere literas voluit, quibus illi vt ad pacem & concordiam hortarentur te impensissime flagitabant. Quorum tu postulatis intellectis, ad comitia quæ iampridem indixeras, Warsauiam profectus es, & interim dum iter facis, Grodneq; subsistis, Gasparum Bekeschium ex maximo & diuturno labore, quem in expugnanda Polocia susceperat, repentino morbo correptum, virum admirabili ingenio, & rerum vsu præstantem amisisti. At verò Warschauiam postquam esset ventum, & res in deliberationem posita, vtrum bellum prosequi, an secus præstaret: mirum est quàm varię & multiplices sententiæ, non modò ordinum, sed hominum fuerint. Docebat nomine tuo Ioãnes Zamoscius, regni cancellarius, quid ea victoria fructus, quid gloriæ, quid emolumenti reipub. attulisset, & quo est ingenio, facultateq; dicendi, ad prosequendum eum felicitatis & laudis communis cursum vniuersos hortabatur. Moschum eum esse, qui Cazonios & Astracanios Tartaros sub imperium suum subiugasset: qui Selymi Turcarum imperatoris per magnum exercitum

tum decennio ante, aut paulo amplius dissipasset: qui Sueuos, qui Liuones, qui Tartaros sæpius fugasset atque profligasset. Hæc omnia ornamenta illi esse ademta, & nobis haud dubiè restituta: simulque & expugnandarum arcium, qua antea carebamus, gloriam, vel hac sola expeditione cõparatam. Polociam totius propugnaculum Lituaniæ, matrem negociatorum, receptaculum fortissimorum militum, patriam fidelissimorũ ciuium, perfido hosti ereptam, & in pristinam positam libertatem. Sed est huius sæculi labes quædam & veluti macula, vt præsentibus nequaquam faciari, & semper requirere aliquid, fitireq; nouitates homines magis videantur. Sic enim præclarè abs te gestis & confectis rebus, aderat nihilominus inuidia comes fortunæ, & virtutis perpetua; multique vt à bello desisteretur, & pax atq; tranquillitas reipub. potius restitueretur, non tam ipsius caussa reipub. quàm priuata nescio qua cupiditate ducti videri volebant auctores. Rem cum eo hoste aiebant esse, qui in vastis & remotissimis regionibus habitaret, & prælij ac dimicationis fortunã nunquã esset experturus, & bellum trahendo, aduentitium exercitum facilè victurus, & in angustias redacturus. Fortunam vagam esse volubilemque deam, quam, ne sedes mutet reuerenter habere, & pressis manibus tenere oportere. Multorum principum casum ad misericordiam, & ferendam illis opem excitasse quàmplurimos, & vnam esse victis ad salutem viam, omnem spem salutis & incolumitatis amittere, & in armis atque dextris eam collocare, neque temere à prudentissimis bellatoribus, fugienti hosti aureum pontem sternendum esse sermonibus vsurpari. Po-

ſtremò in tanta caritate annonæ, ſterilitateque agrorum, bellum ſuſtineri amplius non poſſe, & in aliud tempus magis opportunum differri potius debere; nedum aliena quærimus, noſtra exinanire & peſſundare videamur. Lituania & Ruſſia nihil eſſe miſerius, quæ à viginti amplius continuis annis, tot bellorum calamitates pertuliſſet. Sufficere hoſtem eſſe longius reiectum, & vt timeat nihilq; in poſterum eiuſmodi audeat coërcitum: belli immenſum eſſe pabulum, & eius neruo pecunia, hoſtem magis abundare. Summam ſubditorum illius obediendi promtitudinem eſſe, eos denique arces & munitiones, præ omnibus alijs gentibus & nationibus fortiter tueri & defendere cõſueuiſſe; nec aliquid eſſe ſperandum minus, quàm vt proditorum & trãsfugarum opera, in hoc bello adiuuemur: propterea quòd vt non diuturnus eſſet magiſter officij metus: ita coniugum & liberorum cariſſima pignora, quæ omnium ſubiectorum ipſius, cùm vel minima belli ſuſpicio increbruit, in Tyranni manu reſtricta & incluſa tenerentur. Atque hæc quidem eorum, quibus aut non geri, aut differre bellum placebat, ſententia opinioque fuerat. Verum enimuero maior & potior hominum pars ijs argumentis & rationibus ad ſuadẽdum bellum, & perſequendam victoriam ducebatur. Primùm, quòd veteri maiorum ſuorum exemplo & inſtituto, magnus Moſchouiæ Dux cum Poloniæ regibus, per magna verborum & fidei vanitate perpetuò laboraret, nec aliquid niſi coactus faceret: & promiſſis ſuis credi facilè non debere, plurimis & euidentiſſimis rationibus iampridem demonſtraſſet. Hic inducias eas quas poſtularet non aliò pertinere,

nere, niſi vt arcibus & munitionibus ſuis ad omnem obſidionis vim erectis & cõfirmatis demum in longioribus regni partibus, occupato rege, Liuoniam diripiat, & arcibus ciuitatibusque, quas in ea habet ſecurè potiatur: Liuonibus verò ſocijs & clientibus reipub. deeſſe, qui fidem & auxilium noſtrum perpetuò implorarent, videri indigniſſimum, ſimul & periculoſiſſimum. Siquidem vna alteram inuitaret iniuria, & cùm incommodis ijs quæ facta ſunt, tum verò illis, quæ infieri ei poſſunt, prudens quiſque & cordatus homo maximè moueatur. Iamque eos qui vincunt, & cur, aut quomodo vicerint non intelligunt, vincique rurſus ab hoſte ſe turpiter paterentur, indignos haberi, quibus Deus opt. max. aliquid opis & benignitatis ſuæ largiatur, & quorum calamitate ac exitio, ad miſericordiam aliquis moueatur. Moſchum ferum & crudelem hoſtem, ſatis ſuperque eſſe, etiam ſi verbis quàm reipſa Chriſtianum magis ſe profiteatur. Hunc ſi non Chriſtiano, at certè Romano nomini infeſtiſſimum, & eum qui loco & occaſione nacta inimico peperciſſet, eſſe, fuiſſeque ſemper imprudentiſſimum. Dandam ergo operam, vt non tã de continuando & proſequendo contrà eum bello, quàm de continuandi & proſequendi rationibus, haberentur conſilia. Etenim non modò bello, ſed vel belli metu ac ſuſpicione affligi rempublicam, nemo ſanus in dubium vocat. Tibutum & priuatarum rerum iacturam, grauem futuram nunquam, cuius eſſet merces, ſpes gloriæ & immortalitatis ſempiterna, & quam vt pluuias & tempeſtates ſplendor & ſerenitas; ſic tranquillitas & otium & voluptas peracto bello, ſequeretur. Pecu-

niam denique neruum belli dici quàm esse potius existimandum, & ex Alexandro Magno contra Darium, aut ex Romanis contra Græcos, exemplum documentumque capiendum. His in vtramque partem sententijs cùm diu multumque disputatum, & bellum tandem esset decretum, tu, quæ tua prudentia, & in gerendis rebus cura & sollicitudo est, protinus illud apparare, tu militem conscribere, tu arma, tu commeatus disquirere cœpisti. Erat autem superioris belli, non admodum grata & iucunda omnibus memoria. Sic enim fit vt admirari quàm tractare arma sit longè facilius, & cùm domi, tum militiæ multa experiri & perferre miseros mortales oporteat. Itaque præteritarum rerum recordatione vix parem, ne dicam superiorem anni proximi exercitum collecturum esse te aliquis iudicabat: quas tu difficultates & hominum opiniones omnes, addo etiam fraudes & proditiones in te, & in rempub. factas, ita omnino peruicisti, vt diuina ope & benignitate fretus, ad expeditionem eam quam susceperas, expeditus ires, & nulla cuiusquam fraude aut machinatione retardatus viderêre. Iam Moschus cùm aperta vi minus posset, arte & cuniculis fortunam tuam subuertere volebat, & suis ad te non tam oratoribus quàm exploratoribus subinde dimissis, quorundam animos ad proditionem spe & precio sollicitabat. Et cùm multo antè id fecisset, tum verò per Naszczekinum quendam suum internuncium longè diligentius fecit. Qui vt erat mente non obtusa præditus, Gregorium Oscikum, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, quo cùm clandestina haberet consilia, reperit,

& cùm

& cùm legatos pacificationis gratia ad Moschum vt mitteres frustra postulasset, literis & respõsione statim accepta, denuo audientiam abs te petijt, ac insequenti die Vilna ne discederes, vtq; legatos sui principis præstolarêre, postulauit. Fuit id admirationi omnibus, vt meritò esse potuit, venia discedendi accepta internũcium hostis ad te redire, & noua mandata exponere, omniaque hæc technarum & fallaciarum plena, & extrahendi temporis caussa comparata videbantur. Quæ tu nihil magis quàm ferẽda dissimulantissimè, & Naszczekinum speculatoris quàm oratoris partibus potius fungentem, sine vlla acerbitate dimittendum, & vel hosti ipsi tempus aliquod certum assignandum, quo legatos ad te pacis gratia, si vellet mitteret, & interim metueret abs te nihil iudicauisti. At Oscikum tanquam putidum aliquod & sanguine, hoc est, dilectione patriæ carens membrum, cùm nec inficiandi ratio, neque defendendi facultas amplius ei esset, instante senatu, iubentibus legibus, clamante patria, iustitia socia, vindice pœna è medio sustulisti. Atque ita demum rebus omnibus quę ad hanc tantam expeditionem pertinebant maturè & diligenter prouisis, teque & tuis Deo opt. max. suppliciter commendatis, & à Gregorio XIII. pont. max. per Paulum Vchanium eximia industria & animo virum, sacrato ense & galea accepta, quintadecima Iulij die Vilna egressus es, & Wczasnikos versus, milliaribus quinquaginta inde distantes, vbi copiæ omnes tuæ debuerant confluxisse, per Minsko, & Borissouo, respectans identidem, & operiens alios lentis itineribus contendisti. Quo vt peruentum erat, habita est deliberatio, quonam belligeran-

di institutum tuum, vim suam & potestatem exerere ante omnia deberet; & vt improuisum nisi esset, antequam magni Ducis fines & ditiones attingeres. Neque id iniuria. Cùm enim in omnibus alijs rebus, tum maximè in ijs, quæ ferro peraguntur, nefas est dicere, non putaram. Volabat iam pridem fama, te ad oppugnandum Smolenscum, sicuti superiori anno ad Polociam profecturum; quòd ea via tormenta bellica secundo flumine Caspla, ad aliquot saltem à Smolensko milliaria vehi possent: & quod æquum magis esset, recuperare Smolenskum, quod antea erat Lituanorum, quàm appetere alienum, si quid aliud esset quod dici deberet tuũ, tenebrjs antiquitatis admodum esse inuolutum, & quod ibi hostem quærere, multò esset melius, vbi & munitionem extruxisse (qua expugnata omnia essent peruia) & exercitum collegisse quàm maximum diceretur. Neque verò Smolensko Moscho ademta, Seuerienſem ditionem vniuersam, potestatis tuæ esse futuram aliquis dubitaret; & hostem ea capta animum vel maximè desponsurum omnes crederent, cùm eius titulo inter alios se insignire, & illam arcem, tanquam propugnaculi loco suarum ditionum haberevideretur. Sed enim in consilijs bellicis prima & maxima virtus est silentium. iam enim augurantibus sic de te cunctis, & ipso Moscho, Smolenscum oppugnatum ne ires, vehementius suspicante, tu Magnam Lukam versus ingressus es iter, quod & senatorum penè omnium magna esset eam ad rem consensio, & prouinciæ Liuoniæ atque adeò Lituaniæ, si diuertere bellum hostis vellet defendendæ ratio, & vel minima in eam partem Moschi suspicio, ita suaderet, & quod

quod credibile maximè esset, hostem eò, quò exercitum iturum coniecturam faceret, deiectis roboribus, alijsque artibus omnem aditum præclusisse, aut impediturum certè esse: & quod parum interesset, tuum ne quod hostis possedisset, an hostile aggrederêre; & quod denique Magnæ Lucæ agris & regione esset ferax, & opimum magis in tota Moschouia nihil, ad quam defendendam hostis venturus, &, quod in votis maximè omnium fuerat, prælij fortunam tecum experturus, ab ipso Seremeto captiuo tuo, qui apud eum exercitus ductasset, omnibusque alijs diceretur. Neque verò vlla in re est lubricum & fallax magis, quàm de futuris euentibus iudicium. Attamen non tam consilia felici exitu comprobata delectare, quàm veritas in disputatione limata erudire nos consueuit. Stante ergo sententia, vt Magnæ Lucæ oppugnatio potissimum instituereturr, lustratis veteranorum militum ad Lukomlam copijs & Georgio Farensbeko, egregio & militari viro, regis Daniæ Marschalco, cum certa equitum Germanorum manu eò loci veniente: itum est primũ Vitepscum, vbi Lituanorum copiæ ornatissimæ obuiam tibi sunt progressæ: demum Surasum, apud quam arcem tanquam in confinio hostilis ditionis positam, rapidissimum & maximum flumen, Dhuna, stratis pontib. superandum erat. Tu interea Ioannem Zamoscium regni cancellarium, summi animi & consilij virũ, ad expugnandũ Vielisum Vitepsko dimisisti. Distabat illud 16. à Vitepsko mill. & vniuersę eius regionis ceruicibus, impositum, ac natura & arte permunitum, à forti etiam præsidio hostili tenebatur. Quã ille arcem vt hosti carissimã ita Russię infestissimam, tot-

mentis admotis, diebus quàm pauciſſimis per deditionem cepit, & quaſi à dextro latere, tibi, & tuis copijs excubiarum loco factus, Magnam Lukam contendit. Tu ipſe Vſuiatum profectus es, & eam magni Ducis munitionem, Lituaniæ ademtam, ac Olgerdi magni Ducis Lituanorũ olim ſedem, Nicolao Radiuilo, amplitudine familiæ, & rebus geſtis clariſſimo imperatore, cum alijs ſenatoribus & nobilitate Lituanica, eorumque voluntarijs & præſtantibus copijs præmiſſis, poteſtatis tuæ effeciſti. Mittere tum hoſtis ad te literas, & internuncios, & dimiſſæ iampridem legationis ſpe diſtinere te, & ab itinere cœpto, te trahere inſtituit; & ſuis adeò literis illis iuſſerit verſus Dauidis, quibus à profuſione Chriſtiani ſanguinis homo videlicet patiens & moderatus te dehortatur. Tu mihi his mouebare, eius artibus & fallacijs, ſed quaſi ex compoſito, & veluti quadam lite damni & iniurię cõteſtata cùm ad VI. Auguſti diem, ſicuti per Naſczekinum aſſignaras oratores, Moſchi non veniſſent, inſequenti die Vieliſum poſſediſti, & breui poſt Vſuiatum, die eiuſdem menſis ſextadecima, cùm neq; tunc vt literis ſuis denuo miſſis pollicebatur, legati ipſius adueniſſent per deditionem accepiſti: dimiſſis omnibus cum fortunis & facultatibus qui in præſidio fuerant, ſaluis, quòd hac clementię & manſuetudinis tuæ fama alios quoq; ad deditionem, faciliores eſſe futuros iudicares. Sed in barbaris & in ſeruitute hominibus natis, ſeueritas quàm placabilitas, multò magis poteſt. Iam verò dũ Surazo, Vſuiatum, & inde Magnam Lukam proficiſcebâre, quot & quanta incommoda ferre, & quantas viarum ac ſiluarũ difficultates ſuperare fuerit te neceſſe (quamquam

quam ſecura moleſtiarũ recordatio habet aliquando voluptatem) longum eſſet percenſere. Summa quod ego quidem ſciam fuerunt incõmoda omnia, immenſa itineris longitudo, ſiluarum denſitas tanta, per quam via aperiri ferro vix poterat, paludes & torrentes tranſitu difficiles, regiones ob vaſtitatem ſuperatu incredibiles, ita, vt hæc expeditio tua, cum longiſſimis & difficillimis omnium regũ & ætatum expeditionibus iure ac meritò conferatur. Nõ Turcæ in Perſidem, non Hiſpanorum ex vltimis Hiſpaniæ oris, in Germaniæ inferioris prouincias, non illa in Syriam quingentos ante annos Chriſtianorum expeditio, longior & difficilior fuerat, non denique Chriſtianorum regum & principum alius poſt Vitoudum, ſua contra Moſchum arma longius protulerat. Interea rerum Moſchouitica illa tandiu expectata ſuperuenit legatio, verbis & barbaro faſtu quàm rebus magis inſtructa, cuius ego ineptias ſi percenſere vellem, dies ipſa me deficeret. Principiò negabant legati ſe mãdata ſui principis expoſituros, niſi tu etiam ab oppugnanda arce prius recederes, teque in Lituaniam referres; id cùm nec licere, neq; decere vt poſtulabant, reſponſum eis fuiſſet, in tentoria ſua ſe receperunt, tanquam in viam planè ſe daturi. Demum verò, cùm dies aliquot ſilentio tranſegiſſent, & ardere arcem ex rumore accepiſſent, audientiam repente poſtulant, & legationem expoſituros ſe eſſe pollicentur. Iam dubitabat nemo, Moſchos illos non tam oratores quàm licitatores cenſeri potius debere, & ſui diſſimiles non eſſe futuros, quò minus plauſtra verborum tantum afferant, & ad extrahendum tempus diſquirant tendiculas. Sed

tamen, ne vel in hac parte desiderasse aliquid iure viderentur, denuo ad te honorificè (vt semper aliàs) deducuntur. Fit summum silentium, adest maxima frequentia virorum præstantissimorum, simul verò & illius (si dijs placet) orationis eorum, & tormentorum ad arcem tuorum exauditur sonus. Tum illi nõ tam ea quæ ad pacem spectarent, sed quæ animum tuum magis irritarent proferunt: longa serie Principis sui ad te legationes, & rursus ad illum tuas commemorant: damna & iniurias abs te ei factas exaggerant: & nequid tale in posterum fiat, postulant: & omnem iracundiam siue indignationem principem suum, deposuisse erga te testantur, quod etiam si secus fuisset, & ipse legatorum loco venisset, tu ferre non inuitus poteras. Est porrò in more positum & consuetudine Moschorum, vt cùm primã quasi partem legationis suæ absoluerint, reliquum exponant senatui, & de fœderibus conditionibusq; pacis cum ijs tractent. Disceditur ergo ex tuo, in aliud tentorium; assident legatis consiliarij; fit de conditionibus disceptatio, quæ erant perquam ridiculæ, nempe Polociam & alias captas per te arces, vt Moscho restitueres, fœdus perpetuum cum eo (si placeret) iceres, & id genus alia. Quæ cùm eis non successisset, mox aliam ingrediuntur viam: neque renuunt vt Polociam habeas, & in Liuonia arces eas, quæ ab ipsius perfidia tibi erant relictæ retineas, vtque arce Iezierzysze & Vsuiata iam possessa pro captiuis illius, potiare. Mouere ista stomachum poterant, & oratores vel licitatores illos potius, tot tantisq; cum ineptijs in conspectum tuum admitti amplius videbatur indignissimum: tu tamen nec publicè neque priua-

priuatim, ne verbo quidem vllo violari eos permisisti: sed cùm dicerent se habere in mandatis, vt si quæ essent, de quibus conuenire tecum minus posset, per literas vel internuncium, ad magnum Ducem referrent: cum illorum tuum etiam internuncium in Moschouiam dimisisti, ad magnum Ducem literis datis, quibus perpetuam voluntatem tuam ergo Christianam rempub. declarare, & te pacis atque tranquillitatis custodem esse significare voluisti. Interim die ac noctu arcis durabat oppugnatio, & vix vnius diei itinere aberant internuncij, cùm magnitudinem ignis conspicati, captam iam arcem esse facilè iudicauerunt. Erat ea in aperto campo, & post tantam siluarum magnitudinem in amœna quadam planicie posita, in quam exusta per ipsosmet hostes, prægrandi & pulcrè extructa ciuitate magnus sese ciuium & agrestium numerus intulerat. Fit ergo ea qua capitur die cędes quàm maxima, vix cum aliquo sexus vel ætatis vel etiam conditionis alicuius discrimine, & quamquam pueris & fœminis, & viris adultis aliquibus vita fuerit seruata, tamen maxima hostium pars furore militari & impetu cadit. Præfecti arcis quos Palatinos vulgò dicunt, in munitiones cancellarij captiui deducuntur. Vieiko, qui tanquam præses & custos omnium, nuper missus à Moscho fuerat, homo nequissimus & administer voluptatum, tyrannidisque ipsius trucidatur; omnia denique fletu, eiulatu & cædibus complentur. Admonueras eos tu, vt regiæ clementiæ fidere, quæ nulli vnquam defuisset, quàm supremum diei exitum expectare potius vellent: sed nihil est spe vitæ maius, & nihil fallacius, quæ si vix destituit morientes, quid

destituat armis pro victoria contendentes? Quo loco venit mihi in mentem diei illius quo tu electo castrorum loco cum vniuersis copijs tuis sub arcem descendisti. Præibant tot equitum hastatorum millia instructis ordinibus, sequebantur selectissimi pedites suis agminibus, ingens erat equorum fremitus, splendorque armorum, & tubarum sonus, tot arcium & pugnarum victrices bombardæ, & infinita curruum, quadrigarum, & impedimentorum millia, terga claudebant: omnes denique copiæ, viris, equis, armis, gemmis, auro & argento ornatæ, & terris quodammodo graues, suis inauratis & pictis vexillis distinctæ spectabantur: sic vt terra mugire, torrentes sisti, montes & arbores gestire præ admiratione earum viderentur. Quas summum arcis excipit silentium, quale aut deditionis spem facere, aut vero hostium in extremis difficultatibus & periculis perferendis obfirmatum animum prænunciare cõsueuit. Qui certè talis ac tantus exstitit, vt haud scio an obstinatio hostium admiratione, an verò peditum tuorum, maximeque, Vngarorum veteranorum virtus prædicatione digna magis fuerit: quorum fortitudo in periculis, labor in operibus, patientia in laboribus, industria in aggrediendo, constantia in persequendo hoste, maxima enituit. Quos vtiq; crudelitatis & immanitatis damnari ab aliquibus audio: nec verò & ipse illius diei victoriam secus terminari potuisse & debuisse existimo, & illud certè contendo omnes eos qui interfecti sunt, furore Martis occidisse, non ira tuæ victoriæ: & Vngaros dignos esse laude magis quàm conuitio. Qui cùm à ducentis penè annis, cõtra Turcas Christiani nominis hostes bella gesse-

serint, tamen non modò supersint aliqui, sed in his tam longinquis regionibus militent, & pro principis sui, atque huius reipub. gloria à Danubio, à Tibisco, à Saua, à Draua, à Marossa procul, vix non ad Mæotidem lacum, & in vltimas Aquilonis latebras, armorum suorum vim, terroremque extendant. Nõ Vngari crudeles sed perfidi Moschi, non illi feroces, sed isti ingrati & immemores beneficiorum sunt censendi. Quod enim est maius beneficium quàm huius lucis vsuram alicui dare? vita & facultatib. cùm iure & meritò possis non eum priuare? At Moschos ista expertos esse omnia nemo est qui negare possit. Vita est ijs data, non latronum more, sed victoriæ lege: non sicuti quidã structis insidijs gloriantur, vitam se dedisse ijs quibus nõ ademerint, sed iustè ac legitimè bello denũciato & suscepto, & eo iure habito, quod diuina Nemesi armis & victori datur. Facultates postremò eorum sunt ijs restitutæ, si eorum & non tyranni debent potius appellari. Testis est eius rei Polocia, testis Sussa, testis Vielizium, testis Vsuiatum, ex quibus arcibus ij qui in præsidio erant cuncti dimissi sunt, & quò volebant cum liberis, coniugibus fortunisq; suis tutò sese receperunt. Agè porrò, quid est minus hominis quàm ingratũ esse beneficiorum, etiam minimorum? Aliter enim exsoluitur gratia, & aliter pecunia. Pecuniam qui retinet non dissoluit, qui reddidit, non habet: gratiam & qui retulit habet, & qui habet dissoluit. At verò in Moschis tam ingrati significatio animi, tam immemor mens beneficij, tam nulla ratio humanitatis & officij deprehensa est quam vix credi potest. Siquidem ij quos dimittere placuit non solùm Lucam ingressi sunt, sed

hortatores etiam auctoresque ad obstinationem alijs fuerunt. Qui tamen omnes sic dederunt manus, vt cùm aliàs, tum verò id temporis maximè verum fuerit illud quod dicitur, fatis volentes duci, nolentes trahi ad interitum. His ita gestis, tu arcem reparare quam ferè vniuersam flamma absumserat aggressus es, quod in eius restauratione totius illius expeditionis fructus positus esse videretur. Quod dum facis, duo etiam alia, mea quidem sententia es assecutus. Primum, quod tantum tamque maximum exercitum, qui centum hominum & centum equorum millibus amplius constabat, mirum in modum refecisti: res omnes non modò ad necessitatem, verùm etiam ad voluptatem loco illo subministrante. Alterum quòd non modò arces & munitiones hosti eripere, sed & ipsum si egredi & prælio experiri fortunam tecum voluisset, vno in loco diu multumq; expectare es visus. Sed profugerat iampridem ille Slobodam vltra Moschouiam, & vt homines cupiditate aliqua perditi, siue fanatici, ægritudini animi sui, vino & somno medicinam quærunt: sic & Moschus, vt quasi exultare suis in illa calamitate videretur, vxorem tunc (vt feruut) & ipse duxerat, & filij maioris natu sponsalicia celebrabat: copias tamen suas varijs in locis habebat distributas, quas, vt ex literis eius apud captiuos inuentis patet, vt nõ tam aperto Marte quàm furtim & à lõge exercitum tuum carperent & infestarent, ille tam strenuus & glorioſus imperator identidem admonebat. Has cùm ante etiam milites tui fudissent, ita vt nunquam ex nostris, quos pabulatum profectos aliquando ceperant, impune Moschi triumpharent: tum verò ad Turopczum vt con-

vt confluxisse aliquot eorum turmas audiuisti, vt non armorum tuorum vim & formidinem, eò quoque proferres, facere non potuisti. Primùm ergo Georgius Barbi Vngarus, veteranus & industrius præfectus, mox & Stephanus Zbaraſcius, Braczalauiensis Palatinus, vigilantissimus & animosissimus dux, cum aliquot equitum millibus est abs te missus. Et distat quidem Turopczum sedecim à Magna Luka milliaribus, ob summamque viarum asperitatem, & siluarum densitatem aditum habet perdifficilem; ita vt non minus in faciendo itinere laboris quàm in confligendo cum hoste periculi inesse videatur. Eò post infinitas molestias & difficultates cùm miles tuus peruenisset, ab ipsis hostibus ciuitas exusta est. Moschorum verò & Tartarorum copiæ, tuos, quos longè pauciores fuisse suspicabantur, sub ipsis quasi arcis propugnaculis in planicie expectabant. At verò vsque eò est terribilis victor exercitus, vt vel sine armis geminet sæpius victoriam. Iam enim stante aduersa acie, & militum tuorum ordinibus instructis, armisque prælucentibus, persequente adhuc nemine, hostes terga vertunt, & nullo virtutis argumento edito, repente omnes fugere incipiunt; quos miles tuus insecutus trucidat, & capit quamplurimos: sic, vt inter illustriores captiuos alios Demeczin quidam, cognomine Czeremissa, fauore & gratia sui principis, apud suos clarus, & Naszczekin alter, qui postremò Vilnę hostis ipsius internuncius apud te fuerat, tuam in potestatẽ peruenerint. Nusquã autẽ tam dicaces homines reperiũtur quàm sunt Moschi, & nunquã tam fit eis malè quin remittant animum, & liberius loquantur, pro vt in hac re.

Viderat Nicolaum Olesnicium, familiarem tuum, cùm esset internuncius Naszekin Vilnę, quem cùm illo in loco, sed dispari fortuna rursus vidisset, quàm varia diuersaq;, inquit, sunt Olesznici tempora. Nuper cui obuiam progredi cuncti nō dubitabatis eum nunc demum vinctum & captiuum ducitis. Idem abs te Vilna, cùm in Moschouiam proficisceretur quendam, qui pro ductore datus ei fuerat ad magnū Ducem vi secum rapuerat, & miris tormentis vt subijceretur caussa & auctor extiterat, vt consilia tua si quæ sciret, omnino explicaret. At enim faciendum nō est vt decoro & honestati remittamus nuncium impunitans spe & fiducia. Homines quamlibet locis & regionibus disiuncti, præter voluntatem & opinionem suam aliquando conueniunt, & sui quenque sceleris sua manet pœna. His ita præclarè gestis & confectis rebus, nōdum quiescebat regalis mens & animus tuus. Oppugnabatur Neuelia à Ioanne Drohostaiscio, Polocensi Palatino, vix nō ex eo tempore quo Magnæ Lucæ oppugnationem tu etiam fueras aggressus, quòd eam arcem inter Polociam & Lukam relinquere hosti esset inconsultissimum; & quòd arx siue munitio altera, Iezerziscze nuncupata, perinde atq; anno superiore Sussa sese deditura, capta Neuelia crederetur, vt mox opinionem euentus comprobauit. Verùm ea Neuelij oppugnatio paulo erat languidior & propter præsidium quod ei arci inerat fortissimum, & propter tormentorum, & deniq; propter militum tuorū à quibus oppugnari cœpta fuerat paucitatem. Non Palatinorum hortatu qui in Luca capti, & ad Neuelienses vt se dederent missi fuerant, non minis non terroribus, non vitæ & gratiæ

gratię pollicitationibus profectū fuit aliquid: summa erat hostium obstinatio, mira quidē in conquirendis & iaciendis telis in tuos inuentio, incredibiliter insultare tuis, suis verò qui sese dedidissent, perfidiam exprobrare, & præfidere sibi videbantur. Itaque Ioannem Bornemissam, Bornemissæ illius clarissimi viri filium, qui contra immensum Solymanni Turcę exercitum sub Fetdinando Cæsare Agriam defendit cum certo Vngarorū peditum numero & tormentis ad eam arcem expugnandam denuo misisti. Sed omnino est mirabile, quantos tyrannidis metus in animis hominum relinquat aculeos. Iam enim siue fide in principem, siue verò crudelitatis & sæuitiæ ipsius metu in defendendis strenuè arcibus sic peruicaces Moschi fuerant, vt periculi nullius vi, nullo metu mortis, nulla gratiæ spe ab instituto dimoueri possent. Erupit simul atq; Bornemissa venit, nō parua eorum manus, & cùm in munitionibus liberius vagantes, & nihil tale suspicantes, tuos esset aggressa, non paucos vulnerauit, aliquos etiam interfecit. Bornemissa quidē ipse, & strenui militis, & vigilantis ducis tulit eo die nomen. Nec multo pòst, suis inustam ab hoste maculam, subdita arci flamma, eademque per deditionem occupata, egregiè abstersit. Ex qua arce, vt & alibi fecisti, omnes eos qui in præsidio fuerāt, vita & facultatibus eorum saluis dimisisti. Supererat Zauolocia, & Siebiezum, & Opoczka, tria hostilia propugnacula, quibus hosti ademptis, per immensa terrarum spacia, imperium tuum prolatum iri, & Russia Lituaniaque tuta futura esse videbatur. Et quantum à Luka, Neuelia, tantum ab vtraq; Zauolocia, veluti in triangulo posita pene di-

ſtabat. Hanc ad Zauolociam cancellarium mittere, & te ipſum Neuelium proficiſci quaſi in reditu placet. Philo interim Cmita, poſt captam Polociam, Palatinatu Smolenſcenſi auctus, qui certis militum auxilijs coadunatis, primùm quidem flãte, mox reflante fortuna contra Moſchos ad Smolenſcum dimicauerat, & à te demum accerſitus eò venerat, arci præficitur. Curantur omnia quæ tum ad impetum hoſtis propulſandum, tum ad obſidionis difficultatem perferendam ſpectant: miles, tormenta, & id genus alia relinquuntur, & quod antè poſuiſſe debueram, tua cura, tuo ſtudio, tuo diurno nocturnoq; labore, arx ipſa perficitur. At tandem Neuelium iter ſuſcipitur, in qua dum de locorum & temporum rationibus in quibus miles hiemaret habetur conſilium, Iezierziſcum ſeſe dedidit. Palatini Vilnenſis cuius eſt ſumma apud hoſtes fidei & auctoritatis opinio, & aliorum ſenatorum Lituaniæ interuentu. Quæ arx ſiue munitio vt loco & natura munita eſt, ita arte & ſtructura omnino admiranda. Eò etiam ij, qui ad magnum Ducem ierant reuertuntur internuncij. Iam paulo loqui cœpit Moſchus ciuilius, & Dhunam flumen, cuius argenteas ripas, aureum fundum, apud ſe eſſe olim dicebat, cum arcibus cunctis quæ ei adiacent reſtituturum ſe eſſe tibi promiſit. Quam deliberationem omnem, tu ad comitia reieciſti. Et quia iam ſæuire hiems cœperat, & tam viris quàm equis alimenta defecerant, domum quiſque reuerti, & ex horrida regione referre vel quàm primùm pedem, nemo non habebat conſtitutum. Tua vnius in tot tantiſq; incommodis ad omnia perferenda incredibilis percalluerat patientia: ſed dandum nihilominus

nus fuerat precibus aliquid, neceſſitatiq; communi. Quocirca miſſis ad cãcellarium equitum & peditum nouis auxilijs, per maximam, & non ſolùm tranſitu difficilem, verùm etiam aſpectu ipſo horribilem ſiluam, Polociam es profectus, eamque vnius aut alterius diei itinere mira celeritate ſuperaſti: cùm reliqui omnes plures dies in ea hæſiſſent, & aliqui cùm nec regredi, neque progredi poſſent, currus, equos, arma & ſupellectilem abieciſſent, ſuſpenſos iam tenere cœperat multos Zauolociæ oppugnatio, quæ arx vndiquaq; circũfuſa aquis, & in colle poſita, erat perquam difficilis expugnatu, apud quam militum tuorum caſum, de quo incerto auctore allatus rumor Polociam fuerat, dolere videbare. Sed tamen quæ tua prudentia & in gerendis rebus experientia eſt, ſine cæde & ſanguine illa non fieri poſſe affirmabas. Imperatoris eſſe quàm pauciſſimorum, ſolius Dei opt. max. interitu nullius conſtituere victoriam. Ac ſic demum Polocia Dziſnam profectus, Zauolociam captam eſſe audiuiſti. Quæ perdiderit ſanè aliquos, ſed tamen & ipſa hoſti tuo perijt. At verò hæc nimirum laudanda quæ claudit opus eſt victoria: & cùm apud arces alias non fruſtra tentaſſe fortunam fuerit pulcrum, tũ apud Zauolociam pulcerrimum. Quamuis non tantum equorum & fortunarum, ſed etiam multorum virorum bonorum iactura, hæ tot expugnationes arcium conſtiterint. Quorum mors naturæ debita, patrię eſt potiſſimùm reddita, & quorum vitæ virtus ſocia, interitus comes gloria fuit. Amiſimus quippe ſuperiori anno ad Polociam Michaelem Vadas, peditum Vngarorum prẽfectum, & Ioannem Curoſſium equitem Polonum, omni po-

steritatis memoria dignos,& præstantes viros. Amisimus ad Sokolum Kamiensium, Vissocium, & Iacobum Suiecinium, & Iacobum Borukouium & Nicolaum Cloczeuium, vt paucos in multis cõmemorem. Hoc verò anno, Procouitium ad Vsuiatum, ad Lukam Petrum Cloczeuium Castellanum Zauichostensem, & capitaneum Malogostensem, studio in remp. & obeundis legationibus, ad exteros commẽdatum: Russinium, Drohobuzium, Petrum Gergel Leski amisimus: ad Neueliam Bernhardum Golubicium,& Stanislaum Rucium, nobiles centuriones desiderauimus. Tandem verò & ad Zauolociam Christophorum comitem Rozrazeuium, genere, virtute, industria & rerum vsu præditum, & Martinum Veierum, Ernesti illius Veieri, nepotem (qui omnibus ferè bellis, quę quadraginta annis sunt in Europa gesta, interfuit, & aliquibus præfuit, & qui nunc etiam comitem se tibi prębuerat) eripuit nobis fortuna. Verùm ita se res habet, vt magnę & memorabiles res nõ fiant sine magno & memorabili plurium interitu. Non potest non acerbissimus esse casus illorũ, qui sua morte victoriá nobis pepererunt: sed enim pericula vitari queunt, mortem effugit nemo. Maxima incommoda & detrimenta passi & experti sumus: at vel summarum voluptatum capit nos obliuio, nisi amaritudo dulcedini misceatur. Denique danda est opera vt non tam mortẽ eorum qui eam timuerunt nunquam, lugere & deplorare, quàm virtutẽ imitari videamur. Tu saluus & incolumis redijsti, in quo nostra omnium spes est reposita; quem conseruatorem patriæ, firmamentum salutis & libertatis, vindicẽ libertatis suæ cuncti agnoscunt, & bello

& bello fatentur eximium, & præstantem ducem. Cuius ego in rebus gestis enarrandis nõ abutor conscientia, cui nullas mea aut veras adimit, aut falsas annectit laudes oratio: & ad quem prędicandum summa industra aliquem, non secus ac olim Appellem ad pigendum, aut Lysippum ad fingendum Alexandrum Magnum accedere oporteret: & de cuius excellenti virtute, magnitudine animi, consilio, grauitate, moderatione, clementia, non Græcæ, nõ Latinæ, non barbaræ literæ conticescent. Quæ cùm ita sint STEPHANE REX, fruere gaudio & lætitia ea, quam tibi præstãs regiaq; virtus & felicitas tua comparauit: retine nomen quod habes, bellatoris optimi, moderatissimique victoris, & te maiora indies manentem summa cum alacritate diuinitus præstolare. Dei opt. max. idem qui fuit semper mos & natura est, vt in dandis beneficijs non sit cõtentus vno, sed cui largiri sua munera cœpit, si gratus fuerit, potiri vel pluribus atq; maioribus cum patiatur. Quo per omnes honorum gradus ascenderis nosti, quæ verò in hoc solio fortuna te maneat, quam tum, cùm ad illud nondum ascenderas, faciliorem (vt mea fert opinio) coniecturam capis. Atq; ita velim statuas antithesin illam esse, semperq; fuisse verissimam: Maiestatem regum à summis ad media difficilius detrahi, quàm à medijs ad ima præcipitari: & rursus à medijs ad summa, quàm ab imis ad media deduci esse facilius, virtutisq; quàm ætatis cursum multò celeriorem. Si modò & illa ima, & hæc media dici in te poterũt & debebũt. Et si in rebus tuis fortuna aliquando multum, non minus certè prudentia potuit. Siquidem res abs te gestæ vt à constituto ducuntur ini-

tio;sic etiam certo terminantur fine,semperq; tu habes vt incipiendi rationem,sic & desinendi modum: & imperium tuum Oceano, & gloriam nõ terminas astris (vt ingeniosus cecinit Poeta) sed pace, cõcordia atq; ocio regni tui, neq; ad immortalitatẽ & laudem tui nominis sanguine hominũ,& corporibus occisorũ sternis tibi viam: sed cõseruata Dei opt. max. religione,ciuiumq; tuorũ ac reip. libertate,pro qua cùm bellum geras, & in eo victor & triumphator semper euadas:tamẽ nemo est qui te alio vultu in bellũ euntẽ,quàm ex bello redeuntẽ cernat. Sic in te nec prudẽtia cedit fortunę, neq; ipsa fortuna tumet & effertur secũdo rerũ & prospero flatu. Quẽ in rebus modum tenere nõ posses,nisi hic sensus, hæc mens, hæc ratio armorum tuorũ semper fuisset, vt nõ tuum sed Christi imperium, nõ tuam,sed Dei immortalis gloriam astris terminares. At verò si C. Iulius Cæsar,qui nõ minus moderati animi laudes, quàm triumphos, & imperia quæsijt, vt eas gentes quas Cn. Pompeius paulo antè domuerat, paruo negotio se subiugasse demõstraret, dicere de se veritus nõ est,veni,vidi,vici, quid ni tu etiã simile aliquid dicere de tã superbo & crudeli hoste parta victoria possis? Et quisquã dubitabit, eo, qui Cazanios & Astracanios Scythas sibi subiecit, qui Austrũ versus ad mare vsq; Caspium,ad Aquilonẽ, ad fluuiũ Obbi,& ad extremos Lappones imperiũ suum ptulit,qui Danorũ,qui Sueçorũ regibus,qui Liuonibus, qui Tartaris, qui Turcis denique ipsis formidabilis, & toto terrarum orbi admirabilis fuit, coercito, plusculum aliquanto laudis posse te iure ac merito sibi vendicare? Perfectis profecto id quod ante te nemo, vt maius hoc & grauius cũ Moscho

scho bellum,quàm ferè illæ cunctæ,quæ Constantino Ostrogio ad Orscham, Ioanne Tarnouio ad Starodubum, Nicolao Radiuilo ad Iuanskum, Stanislao Lesniouolio ad Neuelium, Romano Siengusko ad Sussam Ducibus, initæ sunt cum eodem pugnæ videatur. Pacem abs te Moschus petit quam semper contemserat; conditiones eius accipit, quas dare aliàs didicerat;legatos ad te suos mittit quos expectare consueuerat. Hic cùm ad Cazanios & Astracanios Scythas subigendos iturus, semel Polociam oppugnaturus, iterum Sigismundi Augusti ad Radoszkouicze contra eum exercitum educentis bellum à se propulsaturus tertiò iurasset, & subditis suis omnia libertatis iura, sarta tecta semper fore falso promisisset.idem & nunc fecit(vt aiunt)aduentantis exercitus tui terrore, & malefactorum suorum permotus conscientia:neque factu aliquid prius habuit, quàm vt & subiectorum suorum beneuolentię præsidia,& tuorum,si qua fraude posset auxilia contra te sibi compararet. Videt siquidem nobilium & præfectorum suorum numerũ in potestatem tuam quàm maximum esse redactum. Videt Cyprianum Magnæ Lukę archiepiscopum, à quo & Polociæ archiepiscopatũ administrari cõiunctim voluit. Videt Basilium Iuanouicz Mikulinski, Telato Wski, Demetrium Michaylouicz, Szczerbaty Obolinski, Matthæum Iuanouiz Rzo Wski, Ioannem Hrehorouicz Sussin, Petrum Iuanouicz Volinski, Lukianũ Trzeciako W, occupata Polocia, in potestatẽ tuam peruenisse. Videt Seremetũ ad Sokolum captũ, qui tot & tantis rebus contra Scythas gerẽdis, exercitibus in expeditionem ducendis apud eum prefuerat. Videt in Vieliza Paro-

lin Bruczow,& Basilium Basmakow,in Vsuiata Michaelem Vieldzeminow,Ioannem Ascarow,in Magna Luka Theodorum Likow, Michaelem Kassin, Georgium Atissakow, Basilium Ismaelis filium: in Neuelia Ioānem Cramissa,Mindzanum Koliczow, Ioannem Bibikow, Stephanum Bobron: in Zauolocia Basilium Soborow,qui Astracaniorum & Cazaniorum Tartarorum subigendorum dux auctorq; fuerat; Ioannem Slobin & Basilium Nazimor qui peditatui præerat, captos & detentos esse. Videt Demeczin Ceremissam, omnium libidinũ & consiliorũ suorum cõscium,& Naszczekinum,non pacificationis, sed molitionis nunciũ, prodromũ perfidię, tyrannidis satellitem suæ,in militum tuorum manus ad Turopczum incidisse,vt Borisseium Seinum, Andream Palecium, Michaelem Licium, Basilium Kriuoborscium, Ignatium Bludow, & Voieico magni nominis duces & prefectos ipsius,multosq; alios occisos, & penè infinitos captos, ac in potestatẽ tuam, tuorumque redactos; tormenta bellica amplius ducenta illi erepta, magnam commeatus, maximã apparatus bellici vim & copiam ablatam,non commemorem.Horum ergo morte, illorum captiuitate,& cùm tot arcium,tum virorum interitu,cùm opum & facultatum, tum nominis & existimationis suæ iactura, vehementer commouetur: harum rerum lacerat,harum cruciat eum recordatio: hunc denique eundemq; exitum, qualis & alios tyrannos semper mansit,cum metu & horrore circumspectat. Liuoniam quomodo restituat atq; reddat tibi, nunc reuoluit secum, nunc hæret animo, & acerba eius rei cognitione penè totus contabescit; nunc cũ spe, nũc cum

cum metu confligit; nunc imperij augẽdi cupiditate nunc amittendi formidine cruciatur. Turpe esse ducit ea quæ tantis latebris & tenebris obscuritatis suæ lucem attulit, quæ nauigationem in varias orbis terrarum partes, quæ cum exteris gentibus nationibusque cõmerita illi aperuit prouincia sese priuare: sed rursus quibus dolis & fraudibus eam quęsierit,quàm perfide tecũ, quàm insidiosè cum tuis ciuibus, quàm immaniter & tyrannicè cum omnibus egerit recordatur. Hæc ita abire nõ posse diuturnitatis custodem metum infidum esse, semperq; fuisse, genium tuum fortiorem illius videri, fortunam superiorem indies euadere cogitat,atq; considerat: tot deniq; fraudes& periuria,tot mortes & supplicia, non iam adultis,sed pueris & infantibus omnium consiliorum expertibus, per se illatas tacitus secum recognoscit, & conscientię angoribus,scelerumq; cruciatibus, tanquam furiarum tædis ardentib. dies noctesq; terretur. Postremò præterlapsa illa tempora cernit in quibus nõ bello, sed belli metu calamitatem reipub. afferebat, & quib. maximas clades& spoliationes oppidorum, vastitates agrorum, interitum legum, cædẽ ciuium apparabat: reuixisse Vitoudum intuetur, qui non in suorum tectis, ruinis & incendijs, sed in alienis agris, fortunis, domicilijs, cum eo non dicam hoste quod leuius nomen est, sed cum violatore fidei, cum contemtore pacis, cum auctore inauditæ crudelitatis, cum patrono nequitiæ, cum labe & dedecore pudicitiæ bella gerit. Quem quidem Vitoudũ adesse iam, & tecum sic loqui videre mihi videor,Salue heroum præstantissimè,decus & præsidium istius reipub. Bathorei generis & nominis gloria,cuius eximiam vir-

tutem & in gerendis bellis felicitatem, quam antè laudari audiebamus, nunc re ipsa experimur. Tibi ego non statuas auro vel argento nitentes, nõ triumphos arescentibus laureis, sed longè his maiora & augustiora insignia, honoris & ornamenta dignitatis decerno, atque tribuo. Te non inter minorum gentium populi, rectores aliquos, sed inter summos reges & monarchas, qui respub. gubernarunt, ornarunt, propagarunt, iure ac meritò collocandum puto. Tibi fert acceptam suam Transyluania libertatem, Lituania pacem, Polonia dignitatem: te tui ciues amant, hostes timent, socij venerantur, exteræ gentes & nationes admirantur. Suscepisti bellum, fama & opinione magnum, necessitate iustum, beneficio erga rempub. gratum, progressu & consecutione glorioſum: perfregisti hostem natura barbarum, voluntate perditum, fide & religione vanum, superiorum temporum iniuria clarum, tuis regnis & prouincijs infestum, inaudita crudelitate memorandum: cuius impotentia animi in supplicijs, libido in stupris, cupiditas in rapinis, superbia in contumelijs tanta est, semperque fuit, vt nemo non modò augere vel exaggerare eam oratione, sed ne enumerare aut consequi possit. Quo cum eum qui tibi restat actus, solito animi viriumque robore prosequaris. Temeritatem eius consilio, malitiam candore regio, fallendi & simulandi artificia perspicaci prudentia, furorem potentia tua superato. Nihil tibi eorum deest, quibus imperia & regum opes continentur. Est felicitas, quæ diuina quadam sorte datur, est prudentia quæ bono, nescio quo naturæ comparatur. Quæ quantò maiora & augustiora

sunt, tantò sibi sedem eodẽ in loco rarius quærunt, & vix aliquando sociantur. At vtrumque illud quod diuinus Plato ad summam perfectionem pertinere ait, in te est vno, summa videlicet potentia & sapientia. Quid enim te solertius? quid felicius? quid admirabilius dici aut fingi potest? Sit mirum C. Iulium Cæsarem, oppressa republica ab imis ad suprema adscendisse, te non oppressa, sed expressa ipsius libertate regno esse potitum, quanto est magis admirandum? Sit glorioſum Matthiæ Coruino Hunniadis filio, à Georgio Podebracio Bohemiæ rege, ex carcere & vinculis extracto, vna die & regnum & libertatem, obuenisse: tibi non vnius Regis studio, sed multorum hominum iudicio, post tot pericula, discriminaque vitæ, delatum etiam regnum esse quanto est, eritque semper glorioſius? præsertim cùm non te locus, quàm tu locum magis exornes, neque tibi splendoris plus regnum, quàm & tu regno afferas & concilies: & cùm in administratione gubernationeque reipub. nihil tam arduum & difficile inueniatur, quod tu & labore vincere, & fortitudine animi tueri, & felicitate superare, & celeritate tua non possis conficere. Nam vt ea quæ in Transyluania gessisti tacitus præteream, vt quãta omnium cõsensione electus, quanta constantia defensus sis, quot, quantasq; difficultates, æmulos, pericula superaris, quàm fortiter & feliciter res contra eos gesseris non cõmemorem, vt de ijs quæ ad Lubieschcuium lacum, contra Gedanen: Ioãne Zborouio Castellano Cnesnẽs: aut ad Vendenã cõtra Moschos, Andrea Sapiha, strenuissimis fortunatissimisq; ducib. victorias retuleris non loquar:

vt ista, inquam, omnia quæ fuerunt, sunt, & erunt semper maxima, silentio trãseam: quid hoc Moschouitico bello, cui nõ modò interfuisti, verùm etiã præfuisti maius & admirabilius fuit, aut esse potuit? Quę post hominũ memoriam, oppugnatio ancipiti contentione, duces, & milites distractos, arctius Polocia tenuit? Quæ arx siue munitio maius præsidium Socolo habuit? quid ToroWlia, quid Crasno, quid Sythno, quid Niesczerda, quid Caziani, ditionibus tuis magis infestum, & quasi ceruicibus eorũ impositum fuit? quę superiori anno cuncta, armis tuis cesserunt, & sub tuum ac huius regni imperium potestatemq; peruenerunt, quid verò de huius anni rebus absq; gestis & victorijs tuis loquar? quid Vielizium, quid Vsuiatum deditione captũ, quid Lukam, totius Moschouiæ horreum, belli armamẽtarium, exercituum hostilium diuerticulum, occupatam proferam? aut quid deniq; Neueliam, quid Iezierzisczę, quid Zauolatiam possessam? quid hostis copias ad Turopczum fusas, quid tot tantosque duces & præfectos eius captos, quid tot tormẽta bellica, quid tantũ commeatum & apparatum belli ei ereptum commemorem? Et erit cuiusquam tanta dicendi vis, tantaq; copia, aut tantũ flumẽ lectissimorũ verborũ & sententiarum, quibus aliquis nõ modò complecti orando, sed percensere numerando hæc omnia queat? Memorẽtur omnium ætatum, regum, gentium, & nationum expeditiones, prædicentur tot, tantique alij bellatores, terra mariq; res gestæ eorum celebrentur, erit interhorũ laudes aliquid loci tuo etiam nomini, & maximas copias, longissimas & difficillimas expeditiones, & admirabiles victorias, audientes & legentes tuas, posteri

posteri obstupescent. Quæ cùm in omnium opinione magna, tũ illa certè maxima, ac omni laude & prędicatione dignissima, magnitudo consilij, dicẽdi granitas & copia tua, literæ, cura, cogitatio, magnarũ rerum vsus & cognitio, omnes denique artes, tam belli quàm pacis. Gessi & ego res varietate sua magnas, locis diuersas, regionibus infinitas, rara celeritate admirandas, Moschi huius maiores perdomui, Cruciferos in Prussia & in Liuonia vici, cũ Scythis sæpius, cum Temeriano eorum duce semel (quo habuit maiores copias mortalium nemo) ad flumen Vorkla, licèt non feliciter, fortiter tamen signa cõtuli; exhorruit ad tubarum mearum sonum, sæpenumero Scythia, sensit me virum esse Moschouia, vidit Polonia, audiuit Germania. Verùm vt, quod res est, fatear, ea, quæ in te admiror & suspicio, ad perennem immortalitatis, & gloriæ viam mihi defuerunt: nec tam ornamenta pacis, quàm adiumenta belli curę mihi fuerunt. Tibi verò non modò castrense munus sordet nullum, non solùm operibus militum adesse, speculatum egredi, castra & stationes obire, in sole, in puluere quotidie versari, primus inire prælium, postremus ex prælio excedere didicisti, verũetiam multas alias habes huius bellicę socias, & beneuolentiæ subiectorum tuorum effectrices, regales eximiasq; virtutes. Iam humanitas tua ea est, vt quantò te altius effert fortuna, tãtò te geras summissius: & qui omnib. dignitate es superior, facilitate rursus & comitate anteire te, vel ab infimis non permittis: mansuetudine & placabilitate es tanta, vt non fortuna inflãmare indignationem victoris, sed bonitas lenire videatur: & nõ minus hostes victi, summa cũ animi sui vo-

luptate te victorem intuentur, quàm interim dum vincuntur, fortunam fortitudinemque tuam extimescunt. Opes & facultates regni non ad tuum compendium, sed ad reipubl. commodum & ornamentum, non vt auaritiæ prædam, sed vt instrumenta bonitatis conuertis. Ius ita dicis, vt æquitate non precio illud definias; & nec odio, neque gratia in aliquem moueare, neque tenuioribus potentiam, neque potentioribus inuidiam apud te finis obesse. Quòd si duabus maximè rebus fortitudine & iustitia regalè solium firmatur, & ipsa respublica continetur. Quid Polonia felicius? quid Lituania beatius te regnante & imperante dici vel haberi potest? cùm vtra virtutum earum magis præstes non facilè dixerim, & an fortitudine, quæ stabile iudicium conseruare, quæ labores suscipere, quæ adire pericula, quæ despicere mortem docet: an iustitia regina virtutum omnium, fidei & æquabilitatis patrona, nominis & laudis auctrice, verecundiæ socia, magistra officij potius antecellas. Quæ, quoniam non modò in castigandis malis, verùm etiam remunerandis bonis consistit iustitia, videndum est, ne in illam quam in hanc partem magis prolabare. Quòd si in alterutrum vitiorum eorum quæ cum hac virtute pugnant incurrere deberes, neque illam mediam virtutis viam retinere posses (nolle enim te nunquam dixero) non tam seuerus quàm benignus, neque tam in congerendis quàm in bene collocandis facultatibus reipubl. diligens & attentus videri; &, vt facis, diligi quàm metui malis. Quòd si ipsum talem non fuisse me aliquis dicat

cat vel sentiat, næ haud ille posteriores quàm priores cogitationes prudentiores esse intelligit, & artem gubernandæ reipubl. esse vnã, cuius perfectam expletamque cognitionem nemo fuerit assecutus. Tu certè debes esse is, qui & sapientibus ratione, & rudioribus exemplo, de barbaris documento, virtutem tuam probes, & in summa potestate, summa moderatione animi, prudentiaque vtare. Propterea quòd, vt apum, sic & hominum reges debent carere aculeo, & quod non tam est regium malè meritis quàm optimè de se meritis referre quod debeas: & quod à parsimonia, à frugalitate, & ab aliquibus virtutibus generis eiusdem œconomi & patres familias commendantur. Reges certè & principes, à liberalitate, à splendore & magnificentia in primis laudantur, linguis & literis omnium celebrantur, æternitati consecrantur, & quo denique nihil habet vis animi tui sapientius, nihil amplitudo maius, nihil fortuna præclarius, quàm scire & velle beneficia collocare. Sed quid verbis hoc loco opus est multis? quid currentem incitare necesse est? aut cur hæc tenuis & impolita oratio, laudibus tuis celebrandis non potius finitur & terminatur mea? O felicem Lituaniam patriam, Samogitiam altricem, Russiam adiutricem meam, quę abste non dicam rege, sed patre, non domino sed patrono gubernatur. Per te est ciuibus meis pax data, per te calamitas detracta, per te dignitas restituta: Tu dum es in negotio, illi fruuntur ocio: tu dum teneris difficultate, illi lætantur tran-

quillitate & pace: tuis postremò occupationibus, laboribus & periculis, illorum rationibus, commodis & ornamentis prouidetur. Tu quemadmodum istas disiunctissimas terras, non tam passibus, quàm cursibus, nõ tam hostium sternendis cadaueribus, quàm occupandis arcibus superasti, ita vtinam ad hunc plenum siderum & quietis locum, posteaquam & naturæ, & gloriæ, & reipub. satis diu vixeris citius perueniles; & sicuti imperij & instituti nostri sors similis fuit, ita sempiterno æuo vna fruamur. Atque hæc quidem rex Vitoudus tecum. Iam verò ego eiusdem insistens vestigijs, te Deus opt. max. quem omnium regnorum conditorem, regiæ auctorem amplitudinis, victoriarum & triumphorum datorem, summa fide & constantia Rex Stephanvs colit, semperque coluit; oro & obtestor, vt quemadmodum hęc resp. tuis auspicijs creuit, sicuti ipse ad gubernacula eius nutu & voluntate tua peruenit, ita illam integram religione vera, stabilitam libertate, opibus firmam, copijs auctam, ocio & tranquillitate florentem efficias. Rei verò nostro vitam quã maximè diuturnam, constantem, æquabilemq; fortunam & victoriam, & denique pro hac caduca & mortali conditione regnandi, in illo animorum concilio & cœtu perpetuum & immortale imperium largiare.

FINIS.

COMPENDIVM CHRONICORVM POLONIÆ SECVNDVM SERIEM & successiones omnium principum regumq; gentis, à Lecho primo duce authoreq; Polonorum, vsq; ad modernum regem Henricum Valesium ordine seruato.

LECHVS PRIMVS DVX ET AVTOR Polonorum.

Qvæ modò Sarmatia est, quondã deserta fuerunt
Inuia, post magnas Deucalionis aquas.
Primus in hæc Lechus populum deduxit agrestem,
De patria pulsus seditione domo:
Dalmata vir, Pharijs claro patre natus in agris,
Quos rapidus curuis Crupa pererrat aquis.
Colle super pulcro properatæ mœnia Gneznæ
Struxit, & à nidis nomen habere dedit.
Omine permotus: multas ibi namq; videbat
Per vicinum aquilas nidificasse nemus.
Exule patre sumus, sed plurima regna per orbem
Principia exulibus dant sua, Roma notho.

EX hac gente bellicosa Slauonica, siue Sarmatica, cuius deductionem copiosè descripsimus, duo illustres magnanimique principes ortum duxerunt, quorũ vnus Cechus, alter Lechus appellatur, fratres germani, hi exantlatis superatisque multis & difficillimis laboribus, miserisq; bellicis temporibus illis turbulentis, in Illyrico & Dalmatia, domesticæ seditionis (quę ex pace cõpositis bellis oriebatur) pertæsi, vegetiora nobilioraq; nacti ingenia, viuendi aliam rationẽ elegerunt, cum exercitibusque suis à castris suæ tribus Slauonicæ, ciuili bello dissidente, ex Croatia Illyrici regione sese subduxerunt. Occidentem versus in Germaniæ ditiones contendentes, regiones sitas inter fluuios celeberrimos Albim & Veseram occupauerunt, ciuitatemq; cum arce munitam in ripa Veseræ condiderunt, cui nomen Bremiæ indiderunt, vt significarent se in ea onus miseriæ deposuisse. *Bremia* enim Slauis, onus sonat, & hucusque hæc ciuitas Bremen à Germanis appellatur, illiq; multa & præclara bella cum Germanis de sedibus decertantes gesserunt, multęq; ciuitates & arces terrore eorum perculsæ, libenter se illis dediderunt. Atq; ita Cechus ad Danubiũ & Albim fluuios in Boëmia antiqua Germanorũ colonia, quæ nunc Boëmia dicitur, primum domicilium habuit, incolis regionis priorib. partim expulsis, partim inter suos connumeratis. Deinde Austriam, Lusatiam, Morauiam, Misniã ditioni suæ subegit. Lechus verò frater suus magnanimus heros vlterius cum suo exercitu, anno quo diuina potestas humana in specie ad salutem nostram cælitus sese

Lechus & Cechus fratres germani.

Lechus cum Cechofratre in Germaniæ ditionibus Bremen ædificant.

Cechus in Boemia cõsedit.

Lechus primus Polonorum dux & auctor.

sese demisit 550. processit, inuestigandi eligẽdiq; pro sui arbitrio caussa sedes cultiores, primoq; ab Occidente in septentrionalẽ plagam se conferens, hos in campos, vbi nunc Polonia, peruenit, ad Vistulamq; fluuium, vnde Vandali Sarmatica gens surrexerat, consedit: ibique cum suis requieuit. Deinde à Vistula ad Oderam vsque fluuium Orientem & Septẽtrionem versus, omnes has prouincias, vbi nunc est Silesia, Marchinoatus Brandẽburgensis, Prussia, Mekelburga, Pomerania, Holsatia, Saxoniaq; armis imperio suo subegit, quibusdam incolis earum partim cæsis, partim expulsis, cæteris verò in gratiam susceptis. Cùm igit imperiũ suum strenuo Marte sic dilataret, Regulus quidam Germanorum Lechũ ad duellum euocauit, vt secũ de imperio ferro decertaret, cui id fortuna obtulerit. In primoque congressu Lechus Germanum trucidauit, regnumq; illius cum omnibus maritimis regionibus, quę nunc Pomeranię nomen retinent, Marte concedente, occupauit. Pacato itaq; imperio suo, deserta Poloniæ peragrans, loca munitiora ciuitatibus, arcibusque erigendis idonea circumlustrabat, forteq; reperit locũ inter lacus paludesq; lutosas natura & opportunitate loci munitum, vbi primam omnium Poloniæ ciuitatem & arcem fundauit, quam Gneznam à nidificantium multitudine aquilarum appellauit: Nidus enim auium Slauis *Gniazdo* dicitur. Ariolorumque & aruspicum consilio aquilam albam cum expansis ad volandum alis pro insigni stemmateq; patrio sibi elegit, qua in vexillis cæterisque signis bellicis vtebatur, & ab hoc tempore hoc celebre stemma à regibus Poloniæ gestatur. Itaque à Lecho primo duce autoreq; Polono-

Quidam de tempore aduentus eorũ dubitant.

Imperij Lechij promotio.

Lechus Regulum Germaniæ duello fecit.

Gnezna prima Poloniæ ciuitas.

Insigne Potentorum regum aquila alba.

TRÜ raamatukogu

rum Poloni, à Ruthenis cæterisq; Slauis Lechitę, Bohemi verò à Czecho, Czechi appellantur. Hoc verò nomen quo Poloni vocantur, à regionis planicie campisque quos incolunt apertis retinent. Campus enim, vt diximus, *Pole* significat. Multis itaq; præclaris gestis exactis, rebusq; in Polonia omnibus rectè constitutis; extremum diem feliciter clausit.

Poloni sic dicti.

Post mortem Lechij nihil certi de legitimis hæredibus successoribusq; eius reperitur, magnaque hac de re historiographorum Polonorum lis est, sed hic testamento moriens legauerat, vt aliquem dignum virũ ex sua gente de patria & rebus bellicis bene meritum, summæ rerum præficerent, cui in omnibus obtemperarent.

VISIMIRVS ex nepotibus Lechij, princeps Polonorum, cùm ad Danorum fines vsque imperium suum extenderat, & ob vicinitatem à rege eorum Syuardo varijs excursionibus infestaretur, vndecunque potuit auxilia coëgit, nauesque adornauit, & armato milite compleuit, ex quibus vnam ingẽtem fabricâsse dicitur, cuius solo aspectu Dani perterriti fuêre. Nauali itaque prælio fortuna auspicante, Syuardum regem cum ingenti classe Danorum occurrentem strenuè fudit, fugauitq;, & ad interiora terræ hostes persequens, has insulas in Dania, Rugiam, Hemeriam, Feondiam, Salendiamque occupauit, plurimasq; ciuitates & castra in eis Polonorum præsidijs munita, extruxit, vbi ad hæc vsque tempora hæ omnes ciuitates nomina à Polonis Slauonicõ idiomate indita retinent, vtpote Wisimer, à Wisimiro, Lubeca vrbs opulentissima & populosa, Danczik siue

Poloni Danos nauali prælio superant, insulasq; eorum occupant.

Ciuitates à Polonis fundata.

siue Gedanum ciuitas celeberrima, ad mare Germanicum à Polonis contra Danorum excursiones arcendas in primis condita. Prædictum itaq; Danorum regem filio eius in obsidem sumpto, Wisimirus vectigalem sibi efficiens, & rebus in Dania rectè dispositis, multimodis spolijs onustus classem in Poloniam reduxit. Hocque primo nauali prælio Poloni quasi quodam tyrocinio instructi cum inimicis nauali prælio bella gerere animosiores effecti sunt. Tandẽ aliquot annis exactis, Syuardus Polonorum iugũ ægrè ferens, conspiratione cum Holsatis, Suetijs, Danisque aduersus Polonos facta, exercitum numerosum contra eos eduxit, sed secundò maiori clade cum tota suorum manu in Scania à Polonis prostratus est, ipse verò pernici fuga elapsus mœrore & dolore ob amissum exercitũ deploratumque rerum suarum casum consumptus, spiritum exhalauit. Wisimirus verò magnam Daniæ partem imperio suo subegit. Postea multis præclaris gestis editis, finibusque imperij Polonici prolatis absque posteritate decessit.

Dani iterũ à Polonis prosternuntur.

Syuardus moritur.

DVODECIM PALATINI.

CVM itaq; tota domus Lechij decessisset, Poloni libertatem strenuè asserentes, neminemq; extraneorum principum sibi imperare patientes, duodecim Palatinos (vt dicitur) viros præcipuos ex sua gente solenni conuentu Gneznæ celebrato, ad rempublicam gubernandam subornant, quam viginti annis administrabant. Sed multis & diuersis imperantibus discordiæ & ambitionis impulsu, bellis ciuilibus cladibusque mutuis & intestinis sese afficiebant. Finitimæ verò gẽtes præcipuè Germani discor-

Multorum imperium dãnosum.

dia Polonorum considerata rebellare cœperunt, iugoq; excusso suas prouincias ab eis occupatas recuperauerunt. Hoc detrimentum & diminutionẽ imperij sui Poloni ex pluralitate gubernatorũ animaduertẽtes, comitijs generalibus celebratis, ad Cracum quendã siue Crocum, virũ tunc temporis insignẽ de genere Cechij oriundum, sceptra deferunt.

CRACVS PRINCEPS POLONORVM.

Luctata iugo multorum patria, CRACVM
Præfecit rebus lata lubensq; suis.
Finibus hic pepulit Gallos, qui nostra ruebant
Inrura, exustæ post mala Pannoniæ.
Inuitus regni tenuit quoque sceptra Bohëmi,
Et rexit geminum, carus vtriq;, solum.
Tunc habitasse draco fertur sub rupe Vaneli,
Dirus vicini depopulator agri.
Sulphure farcit ouem CRACVS, *monstro obijcit: illo*
Interijt ingens bellua victa cibo.
Conditur à CRACO CRACOVIA: *fabula Grachi*
Friuola Romani iam mihi, quæso, tace.

CRacus nepos Cechij Boëmorum principis, ad imperij Polonici fasces communibus omnium suffragijs euectus, finitimas gentes iam Polonis rebellantes, iugumq; excutientes coërcuit, finesque regni ab omni insultu hostium tutauit. Gallorũ copias prostrauit, quæ Hũgaria deuastata in Poloniam excurrebant. Tandem pacato armis imperio, deserta loca solitudinesq; agricolis adornauit, ciuitatem celebrem cum arce in scopulo Vanel dicto ad Vistulam fluuium condidit, quam à suo nomine Cracouiam appellauit. In hoc autem scopulo draco ingens tunc

Cracouia Poloniæ metropolis à Craco fundatur.

tunc temporis delitescebat, qui sordido suo anhelitu cùm esuriret, de antro prorepẽs multos velut peste quadã inficiebat, per ciuitatem q; & loca circũiacẽtia grassando, omnia obuia deuorabat. Quã ob caussam incolę ciuitatis ordine tria iumẽta per diem ei ad antrũ offerre cogebãtur. Cracus igit Princeps suorũ deploratũ statũ videns, cùm iam omnibus iumẽtis expilarent, pellẽ vituli excoriati, sulphure, nitro, pice infarcire iussit. Quod vbi hora cõsueta ad antrum draconis opponeretur, bestia prorepens, famelica, iumentũ putans, venaculum illud deglutijt. Cumq; in eo illa materia igne sulphureo accedente accensa esset, de antro sese proripiens in Vistula aquam tamdiu sorbebat; quousq; medio creparetur. Cracus tandẽ princeps rebus imperij rectè dispositis, Cracoque & Lecho filijs, filiaq; Vanda relictis è vita sublatus est.

Draco in Cracouia.

Draco artificiosè peremtus.

IVstis Craco gentili ritu persolutis, Poloni cõuentu celebrato, Cracũ secundum, natu maiorẽ Craci filium, in solium paternũ substituũt, sed Lechus frater iunior ambitione tumens, inuidensq; illi imperium, inter venandũ eum occidit, dixitq; falsò lacrymas addens, eum equi lapsu, dum temere persequitur ferã, dilaniatũ, strangulatumq; esse; atq; hac arte callidus imperium assecutus est: sed paulò post dolo in lucem prodeunte regno pulsus, fugatusq; est.

Lechus frater Cracum trucidat.

VANDA VIRAGO.

COnnubij ob crebram virgo formosa repulsam
Teutonici bello VANDA *petita ducis.*
Hosti congreditur: vincit. Magno ille pudore
Incumbit gladio, se peremitq; suo.
At victrix: mea virginitas sit victima vobis
O superi, per quos est mihi sospes, ait.

Rotogari effugi thalamos: sic fata, sub alti
Se fluuij rapidas præcipitauit aquas:
Bactra Semiramidē, Tomyrin Scythaq́, ornet, vtriq́,
Quam meus anteferat laude POLONVS *habet.*
Æquentur regnis, æquentur Marte, licebit,
Æquari VANDÆ *quæ, rogo, morte potest?*

ANNO à nato Christo 730. Vanda filia Craci in ordine ducum Poloniæ quarta, vnica legitimaque hæres regni, omnium acclamatione ad imperij fasces euehitur. Hæc summa prudentia, & rara fortitudine rempublicam (virginalem cœlibemque vitam ducens) strenuè gubernabat, non aliter atq; illa Penthesilea, Orithiaque. Erat autem formosa & pulcerrima nimis, vt pulcritudine sua plurimos principes ad se alliceret, & veluti hamo pisces caperet, vnde *Vanda* vel *Venda* quæ dictio Slauis hamum quo pisces capiuntur sonat, appellata est. Ritagoras igitur princeps Germanorum virtute illius, prudētia, atq; pulcritudine commotus, procos ad illam destinauit, solicitans vt sibi nuberet, illa verò obstinatè connubium repugnando procos vacuos sæpius dimisit. Quapropter Ritagoras putans se ab ea contēptum, Poloniæ bellum indixit, terroreq́; & vi ad cōiugium eam cogi sperabat. Illa è contra impauida celeriter vndecunq; auxilijs coactis, eum in conflictu bis capitali & cruenta clade fudit: ipse autem pernici fuga elapsus, præ pudore quòd virginis manu fusus fugatusque fuerit, nolens testē sui dedecoris Solem amplius esse, gladio proprio sese interemit. Vanda verò memorabili victoria Polonis relicta, prout dijs virginitatem deuouerat, volens voti compos esse de ponte

Vanda Ritagorā Germanorum Principem fudit.

Vanda in Vistulam de pōte triumphās desilijt.

ponte in Vistulam sese præcipitauit, sicq; aquis obruta interijt. Cadauer illius repertū est in ostijs Dlubnę vbi Vistulam influit, atque in scopulo vno milliari à Cracouia in Mogilà gentili ritu sepulta est.

Demum post Vandam nullo successore legitimo existente, iterum duodecim Palatinos, vt vnusquisq; prouinciæ suæ præesset, Poloni elegerunt, vnde magnum detrimentum diminutioque regni, velut & prius subsecuta sunt. Quæ enim in inimicos arma essent conuertenda, in se conuertebant: ambitioneq; flagrantes, mutuis cladibus inter se dissidebant, qua de caussa Marcomanni, Hunni, & Germani, Poloniam vndiq; angustabant.

Duodecim Palatini iterum.

PREMISLAVS SIVE LESKO primus.

RESTITUIT patriæ magna virtute ruinam
LESCO *suæ, miris vsus in hoste dolis.*
Sub nemore hostis erat: Lesko sub nocte silenti
Appendi galeas per nemus omne iubet.
Sed oritur, galeas accendit: id obuius hostis
In nemus, instructi militis arma putans.
Nil reperit: species quia Lesco remouerat illas,
Sic nostros Morauis terga dedisse putat.
Castra mero celebrat, belli securus: in antris
Lesco venit tenebris: castra sopita capit.
Æternumq́, hosti dat somnum: longa Polonis
Otia: finitimis fœdera, iura, metum.

ANNO Virginei partus 750. ex bis bissenis Palatinis intestina bella mutuò mouētibus, vnus Premislaus Lesko, non sua, sed patriæ commoda quærebat. Cumq; Morauí Poloniam vastarent, ille p tem-

pore coacto instructoq; exercitu, hostes iam spolijs & exuuijs onustos ad sua reuertentes, insecutus est: in quos ad montem, vt dicitur Caluũ, vbi nunc templum sanctæ Crucis conditũ est, sub altis nemoribus castrametatos impetũ fecit: statimq; se in abdita syluarum cum suis subduxit. Hostes verò armis arreptis, in ea loca vbi Lesco eis se apparuerat venientes, neminem inuenerunt, perterritumq; exercitũ Polonorum fugere credentes ad sua castra reuersi sunt. Cumq; iam tutissimè omnia agerent Baccho indulgentes, Premislaus nacta occasione ex abditis syluarum cum suo exercitu, intempestiua nocte inopinatos, somnoq; oppressos Moravios, magna vi, à frõte, & à tergo inuasit: omnesq; ad vnũ cruento prælio funditus trucidauit, & spolia captiuosq; recuperauit. Qua insigni victoria clarus, omniũ suffragijs, spreta pluralitate gubernatorum, regni habenis præficitur, multisq; egregiè gestis editis, ruinisq; patriæ magna virtute restauratis, absq; posteris è viuis decessit.

Premislaus Moravios prostrauit.

LESCO SECVNDVS.

ATtulit huic regnum variorum cursus equorum,
Et præter morem, Sors oculata suum.
Dignus erat regno, quamuis patre natus agresti
Rusticus, & modici iustus arator agri.
Non bello quam pace minor: mireris in illo
Hoc, qui nulla vnquam nouerat arma, viro.
Ante oculos voluit monumentum vile priorũ
Fortunæ, sagulum semper habere suos,
Et tamen illius non legerat ille poëtæ,
Sarmatico dignum carmen in orbe legi.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediêre loco.

Anno

ANNO à Christo nobis cælitus misso 780. Premislao Lescone absq; posteris decedente, de electione monarchæ voces communes, & sententiæ senatorum discrepabant: communiq; omnium consensu, post multas litigationes, hunc modum eligendi principis constituerunt: columnam ante Cracouiam statuerunt, desuperq; diadema & sceptrum regale posuerunt, ac palam omnibus & singulis præconis proclamatione notum fecerunt, vt quicunque à flumine Pradnik dicto, equi sui celeriori cursu ad columnam subordinatam cæteros anteuerteret, monarcha designaretur. Quidam igitur iuuenis infimæ familiæ, sed astutus & callidus, re diligenter considerata, clauos ferreos in via qua currendum erat occultè infixit, terraq; occuluit, præsignita sibi ad currendum via. Inter currendum autem equi omnium ferro subordinato saucij substiterunt, nemoq; ad columnã ex illa multitudine, solummodo ille peruenit: & sic principatu dolo acquisito, potitus est. Sed occulta fraus illico innotuit. Paulò enim pòst duo iuuenes ex plebe ludentes simbolo iacto, per illa loca cursu pedestri à fluuio Pradnik ad columnam prædictam decertabant, ambobusque saucijs effectis vnus leuius claudicans primus columnam attigit, socius verò suus clauos in terra considerans brauium ei denegabat: caussamque ad senatum detulit: vbi patefacta est peruersa astutia Lescij: qui dolo supradicto, ad regni fasces euectus erat. Omnes igitur nobiles & magnates de iniuria coram senatu expostulantes, Lesconem solio deiectum tractu equorum membratim dilaniari, dilacerarique fecerunt. Ille verò qui ludendo pedester ad columnam venerat,

Modus electionis certare equis.

Equorũ cursu de imperio decertatur.

Dolus Lescij.

Dolus aperitur.

Præmium fraudis.

Lesco plebeius ad regnũ euehitur.

Lesco secundus appellatus, communi omnium acclamatione regno præponitur. Hic quamuis plebeius esset, attamen talem se præbuit, ac si regali ortus esset prosapia: idque totis diebus vitæ suæ diligenter obseruabat, quod ornamentis regijs solenniter induturus, vestes quas olim ex vili lana gerebat, desuper indueret; pro monumento prioris vitæ id habens: vtque fortunam instabilem, quæ sursum eleuatos ad ima deijcit, eluderet. Quam cõsuetudinem multi principes Polonorum solenniter obseruabãt. Tandem Lesco plurimis heroicis gestis exactis, filioque huius nominis tertio relicto, vitam cum morte commutauit.

Mos Lescij.

LESCO TERTIVS.

Qvàm fuerit belli cupidus, quàm Martis amicus
Iste, vel hoc signo discere quisq; potest:
Cùm sub eo patriæ pax arma quieta teneret,
Bellandi fieret nullaq; causa domi:
Impatiens otij, Græcos contra, atq; Latinos,
Pannonibus toties auxiliaris erat.
Viginti genitor varia de matre nothorum:
Infamat quantum tanta libido virum?
Sæpe licèt magna, post multa trophæa legantur
Et Cypriæ studijs incubuisse diuos.
Quod si defendi exemplo non posset Achillis
Lesco, & Alexandri, Mars quoque mœchus erat.

FVnebribus exequijs Lesconi gentiliter persolutis, Lesco filius eius, huius nominis tertius in ordine Principum Poloniæ septimus, monarcha salutatur. Hic à moribus paternis minimè degenerauit, omnes finitimos hostes sedauit. Imperiique sui fines in pace & securitate cicurauit. Postea otij impatiens, Hungaris, Saxonibusq;, aduersus Carolum Magnum Romanorum imperatorem auxilia suppeditabat. Tandem anno Domini 801. cum Boëmis, Pomeranis, Prutenisque à Carolo in Silesia cruento prælio ad Oderam fluuium prostratus est. Cui filius Popilius ex legitimo thoro natus (viginti enim illegitimos natos ex concubinis, Pomeraniæ duces generarat) successit.

POPELVS PRIMVS.

Annè tibi lectum tantum, lasciue, reliquit,
Non etiam clypeos, armaq; dura pater?
Et Veneri tantùm iussit seruire? Gradiuo
Non etiam, ô noster Sardanapale, suo?
Quandoquidem in fratrum tam multa gente tuorum,
Legitima solus coniuge natus eras.
Successisse etiam patrijs te laudibus æquum
Non tantùm vitijs, imperioq; fuit.
At genitore tuo felicior, ipse fuisti,
Hac in tam rari parte, POPELE, boni:
Quòd tibi tu similem genuisti; quiq; putaret
A cuculo cuculum degenerare, nefas.

POpelus huius nominis primus Lescij tertij filius, qui à Germanis Osserich dicebatur: patre decedente, regni habenas regendas suscepit, anno Domini 815. Hic à virtute paterna degenerauit: in vrbe Cracouiensi sede spreta, eam in Gneznam, demum in Cruschiciam transtulit: ibiq; arcem in lacu Goplo condidit. Nil amplius de eo scribendum restat: cùm nulla egregia gesta memoriæ digna ediderit; semper enim libidinibus delicijsque indulgebat.

Sedis translatio.

Arx Goplo.

Mos execrãdi sese Popeli.

Hac verò execrandi particula sępissime vtebatur, dicens: O vtinam à muribus corroderer, quod quamuis non ipsi sed filio eius prout inferius dicetur contigit.

POPELVS SECVNDVS.

DVm timet hic regno pelli, vir inutilis, & cum
Coniuge consultat, quid malè tutis agat.
Vim morbi simulat: patruos accersit, & illis
(Viginti fuerant) toxica mista dedit.
Orta cadaueribus vis murum erupit: & illum,
Vxorem, natos, vndiq; dente petit:
Dilaniat, frustra medios fugiebat in ignes,
Frustra in Goplæas perfidus hospes aquas.
Discite iustitiam, qui propter lucra paratas
Fertis & exertas ad scelus omne manus.
Est Deus, est scelerum vindicta, est pœna malorum,
Vnde putes minimè posse venire, venit.

ANno salutiferi Virginis partus 830. Popelus secundus, patri in regno succedens, à moribus eius libidinosis minimè degenerauit: postpositisque negotijs reipub. vanis otijs, choreisque, & delitijs domesticis indulsit. Insuper nõ ille sed vxor eius, quam insano amore prosequebatur, pro sui peruerso arbitrio imperabat. Quapropter magnates & equites regni, eum vt hominem nihili, Sardanapalum Poloniæ appellantes, spreuerunt. Popelus verò re considerata, veritus ne Poloni aliquem ex patruis suis in locum suum substituerent: vxoris astuto consilio infirmitatem simulauit; patruosque omnes qui viginti numero erant, principes Pomeraniæ accersiuit, & decumbens in lecto, obnixè ab eis rogauit,

Astuta simulatio infirmitatis.

vt

vt vnum filium suum ex duobus, regno se decedente præficerent, quod libenter patrui se facturos sponderunt, si magnates regni consenserint. Regina verò interea poculum cum veneno mixto adornauit, & vnicuique bibendum pro sanitate regis obtulit. Egressi illi à rege, maxima corrosione ex veneno hausto excruciati, omnes pariter expirauerunt. Regina autem cum lætitia dixit: deos in eos quod malum regi, domino suo machinati fuerint, iustè animaduertisse. Ideo cadauera eorum inhumata quasi perfidorum, in lacum Goplo reginæ iussu, proiecta sunt. Statimque Deus iustus vindex & vltor nefandi homicidij, murium vim numerosam, dictuque horrendam, ex illis cadaueribus mira quadam metamorphosi, excitauit, quæ regem in arce lautè coniuantem, vxoremq; & filios eius cum terribili strepitu vndiq; inuaserunt: & neq; armis, neq; igne se arceri passæ sunt. Rex metu inauditi insitatiq; periculi perturbatus, in arcem quæ est hucusque in lacu Goplo, iuxta Crusphiciam oppidum, cum vxore & filijs profugit: mures verò adhuc plures terram & aquas cooperientes, cum horridis sibilis eum persequebantur: Nautæ præsens præ oculis exitium videntes, timentes ne in medio lacus nauem corroderent, ad ripam otiùs appropinquantes, aufugerunt. Popilius quoque in turrim natura loci munitam, & aquis opportunè circumfluam cum suis se recepit: vbi cum vxore & liberis à muribus corrosus, consumtusque est, vt ne monumentum quidem eorum relictum fuerit.

Grande turpeque factum.

Mira iustaque vindicta diuina. Ex cadaueribus mures.

Popelus à muribus cũ vxore & liberis corroditur.

PYASTVS CRVSPHICENSIS.

O Priſcos hominum mores, ô neſcia faſtus
Simplicitas, ingens ô probitas, & amor!
Non puduit proceres homini dare ſceptra Polonos
Qui modo cultor agri Cruſphicienſis erat.
Ob ſolas virtutis opes, virtutis honorem,
Qua vir in exigua floruit ille caſa.
Hoc orti de fonte duces, regesq́, Poloni
Duraûêre dies, ad Ludouice tuos.
Compita Cruſphiciæ veterum, noſtro eſtis in orbe
Euentu gemini nobilitata ducis.
Regnum ruricolæ deferri: à mure vorari
Regem: res æquè prodigioſa fuit.

ANno incarnationis diuinæ 842. Popilio ſecundo à muribus portẽtosè abſumpto, multæ controuerſiæ in Chruſphicienſi conuentu de electione principis exortæ ſunt. Erat autem tunc temporis in Cruſphicia Pyaſtus quidam vir ſimplex, virtute tamen & pietate præſtans. Huic eodem conuentus tempore filius natus eſt, cui ad nomen ſolenniter gentili ritu imponendum, mellis mulſati duo vaſa præparauit, propter conuiuas tractandos, porcumq; mactauit. Interdum aiunt ad eum duos viros ignotos veniſſe peregrino habitu (quos Paulum & Ioannem martyres Romanos ferunt eſſe:) Hi in palatium vbi electio celebrabatur non ſunt admiſſi, à Pyaſto verò humaniter hoſpitio excepti fuêre, infantemque natum gentili more ſubraſerunt, nomenque ei Semouiti impoſuerunt, & tandem diſceſſerunt. Tunc temporis autem in Cruſphicia ob magnum confluxum populi ad comitia electionis plurimi commeatus,

tus, pabulique penuria laborantes, ad Pyaſtum vt ſibi aliquid pro victu venderet, veniebant, qui ſingulis gratis neceſſaria ſuppeditabat, quantum cuique opus fuerat, carnis autem ſuillæ & mellis, panisq; copia, apud eum non deficiebat: nam incrementa omnium rerum à Deo copioſiſſimo largitore & remuneratore illi procedebãt. Omnes igitur manum diuinam cum Pyaſto eſſe videntes, cõmunibus ſuffragijs & vocibus, monarcham eum ſalutant, regnumque oblatum, quamuis agreſti familia natus, ſtrenuè cum ſumma fortitudine, & dexteritate viginti annis gubernauit. Poſtea 120. annis ætatis ſuæ exactis, relicto filio Semouito extremum diem clauſit. Ex huius ſanguine duces regesque Polonorum ad Ludouicum Hungarum vſq;, genus duxerunt.

Hoſpitalitas largaremunerator.

Pyaſtus ruricola regni faſces obtinet.

SEMOVITVS.

Sic & Alexander iuuenis vix illa ſuarum
Ingreſſus rerum limina magna perijt:
Vi SEMOVITE *peris patriæq́, relinquis acerbos*
Mœrores, iuſtam mortuus ante diem.
Enſe tuo electi de noſtro turpiter agro
Vltra Carpathium, Pannones vſq́, iugum.
Tota tibi ſoluit Pomerania victa tributum:
Fluctibus & noſtris accola quiſq́nis erat.
Quattuor annorum ſunt, hæc omnia, quid ſi
Non abrupta tibi tam citò vita foret?
Quamuis, quantumuis modicæ ſub tempore vitæ
Maxima qui geſſit, vixit abundè diu.

ANno humanæ redemptionis 895. Semouitus patri gentili ritu iuſtis perſolutis, ad regni faſces euehitur. Hic inſigni prudentia, fortitudineque, &

Virtus Semouiti.

prouidentia, populum sibi commissum regebat, omnesque hostes à finibus imperij sui sæpissime fugabat, Hungaros, Boëmos, Cassubios, Pomeranosque ad tributum sibi pendendum compulit, multisque præclaris gestis editis, quatuor in regno duntaxat annis exactis. Patria in pace relicta, immatura morte peremptus est, relicto filio Lescone quarto.

LESCO QVARTVS.

QVam pater inuictis Semouitus fecerat armis
Pacem, Sauromatis attuleratq; suis:
Filius est illam miro complexus amore,
Et vitæ summam fouit ad vsq; diem:
Vir cuius mores nemo reprehendere possit,
Aut nisi quem pugnæ classica bella iuuant.
Sed cur bella geras, frueris qui pace? quid optes,
Contentus proprio qui potes esse, meum?
Gloria ad arma vocat multos, laudumq; cupido,
Spes prædæ multos dies ad arma vocat.
Vtraq; bellandi causa iniustissima solam
Quæ pacem quærunt prælia, iusta voca.

ANno Virginei partus 902. Lesco quartus patri Semouito iuuenili ætate, in principatu successit, sub tutoribusque ad annos competentes erat. Postea imperium à patre pacificatum relictum, in pace à nemine lacessitus regebat, patrijs & auitis virtutibus correspondens, relictoque filio Semomislao immatura ætate è viuis decessit.

SEMOMISLAVS,

VLtimus iste fuit nostrorum ex ordine regum,
Ignari falsos qui coluêre deos.

Huic peperit coniunx oculorum luce carentem
Hæredem: sterilis cum foret ante diu.
Mos erat infanti, vitæ vt compleuerat annum,
Ludere, quod vellet nomen habere pater.
Ergo dies venit simul illa, recepit ocellos,
Ostentum dubia plebe stupente puer.
Res ea signabat, discussa nocte POLONOS
Visuros lucis lumina vera nouæ:
Visuros illo CHRISTVM *sub rege negemus,*
Quod bona præstituat quæque futura DEVS.

ANno à Christo nato 921. Semomislaus patre è viuis decedẽte regni habenis præficitur. Hic etiam ex auitis moribus minimè degenerauit, filium vix in senecture & ipsum cæcum obtinuit, cumque in Gneznam primates & equites regni ad subradendum nomenq; imponendum filio gentili ritu conuocatet, Miesconem eum appellârunt. Postea conuiuio indulgentibus in primo mense accubitu, nunciatum est patri, filium cęcum visum recepisse, omnibusque conuiuis attonitis, cum claris apertisq; oculis infans affertur. Cumque rex ab ariolis scisciteretur quid hoc sibi velit? responderunt, sicut hic infans gratia deorum est illuminatus, sic per eum Polonia in breui illuminabitur, quod & factum est. Tandem Semomislaus finibus imperij in pace relictis vitam cum morte transmutauit.

Semomislao filius cæcus nascitur qui postea illuminatur, figuram illuminandæ Poloniæ per Euãgelium præsagiens.

MIESCO PRIMVS

CHriste, sub hoc ad nos veniisti principe, ab hoste
Possessas Stygio commiseratus oues.
Cesserunt idola tibi: Mars, Lada, Gemelli,
Cynthia, Pluto, Ceres, Iupiter, Aura, Venus.

Fœmina te nobis ostendit prima, Bohemo
Sanguine: prima crucem nos docuit q̃, tuam.
Sic tu prima quidem nobis es causſa ſalutis,
Ipſe DEVS, *mulier, causſa ſecunda fuit.*
Illa tuo tingi Meſconem fonte maritum
Fecit: terra ſuum est tota ſecuta ducem.
Plurima tũc data ſunt tibi templa, nouem q̃ cathedræ,
Et, quas ſacrifici dilapidamus, opes.

ANno domini 962. Mieſco qui erat cæcus natus, patri ex more funebribus exequijs peractis; communi omnium acclamatione in monarcham Poloniæ eligitur. Hic concubinas ſeptem habuit, nullam tamen ex illis fœcundauit, quamobrem maximo mœrore diſcruciabatur. Quapropter frequenter à quibuſdam Chriſtianis ſolicitabatur, vt Chriſto cum ſua gente nomina daret, ſi velit earam ſobolem à Deo obtinere. Chriſtianorum itaq; perſuaſionibus adductus, procos ad regem Bohemię Boleſlaum, qui fratrem germanũ diuum Venceſlaum nefariè occiderat, deſtinauit, matrimonium filię eius expetens: cui rei Boleſlaus libenter annuit, hac conditione ſi ſacrum baptiſma cum ſuis ſuſciperet. Mieſco itaque cum vniuerſa gente ſua alacriter baptiſatus eſt anno Domini 965. Mieſconiſq; priori nomine immutato, *Mieczslaus* appellatus eſt, quaſi gladio nomen acquirens clarum. Mandauitq́ue confeſtim omnibus & ſingulis ſuo imperio ſubiacentibus, die ſeptima Martij, idola omnia vanorum deorum comminuere, demolire, igneq; cõſumere. Nam antea quaſlibet vanas creaturas Solem, Lunã, Auram, quam *Pogwisd* appellabant, cultu diuino proſequebantur.

Poloni fidẽ Chriſti amplexantur.

Idola demoliuntur.

bantur. Præterea Iouem quem illi *Jeſſam*, Plutonem quem *Lacton*, ſiue Lactonem, Cererem quã *Niam*, cuius templum Gneznæ celeberrimum erat, Venerem quam *Marzanam*, & Dianã quam *Zieuoniam* gentili lingua appellabant, Lælum quoque & Poletum Romanis Caſtorem & Pollucẽ appellatos, pro dijs colebant. Et adhuc in compotationibus illa gens nomine eorum vtitur, Lælum Poletum vociferantes. Solebant autem viri, mulieres, iuuenes, & ſenes horum deorũ ſuorum, diebus feſtis ad luſus & choreas pariter conuenire, maximè verò 25. die Maij, & 25. Iunij. Quam congregationem populi *Stado*, id eſt, agmen appellabant, quod adhuc apud Ruthenos & Lituanos paſſim in villis obſeruari videtur. Poſt dominicam enim conductus Paſchæ ad diui vſq; Ioannis Baptiſtæ feſtum, mulieres & virgines diebus feſtis ad choreas turmatim conuenire ſolent; Ladonemq; canentes, & *Lado Lado* frequentius ingeminatis manibus, complaudẽtes in gyrum choreas ducunt. In Sileſia quoque confini Poloniæ 17. die Martij, quo videlicet tempore hæc idola demolita ſunt, pueri in villis & oppidis ex more recepto ſimulacrũ quoddam, ad ſimilitudinem mulieris conficiunt, opidoq́ue turmatim egreſſi quandam cantionem ingeminantes ſimulacrum illud de Ponte in flumen præcipitant. Expurgata itaque ab idolis Polonia Mieczſlaus princeps, ad euidentius ſignum Chriſtianitatis inſtituit, vt infra officium Miſſæ, dum Euangelium prælegeretur, ſinguli virorũ ad medium gladij è vaginis depromerent, quo ſe teſtarẽtur propter Euangelium Chriſti ad mortem vſque decertare paratos eſſe. Multas eccleſias, parœcias & epiſcopatus

Ritus religionis gentilis Polonorum.

Mos Polonorũ antiquus infra lectionem Euangelij.

fundauit, copiosisque prouentibus ditauit. Ex vxore Bohema *Dambrowka* dicta, filium Boleslaum Chabri suscepit, quæ post partum paulò pòst decessit, Gneznæ sepulta est, alteram verò Mieczslaus in matrimonium accepit, Iuditham filiam Iessæ principis Hungarorum, quæ ei filium Mieczslaum genuit. Tandem multis Christianitatis monumentis in Polonia relictis, è viuis feliciter migrauit. Destinauerat quoq; legatos ad summum pontificē Benedictum, diadema regium ab eo postulans, quod illi denegatum est, suspicabantur enim nondū eum perfectum Christianum esse.

BOLESLAVS CHABRI, PRIMVS rex Poloniæ.

VIci, deuictos cepi cum rege Bohemos,
Subieci Morauos, Saxoniosq; mihi.
Cassubios populosq; freti cis littora nostri,
Et Prussos, dubia teq;, Ruthene, fide.
Imperij fines positis ex ære columnis
Signaui, Herculeum sic imitatus opus.
Nec mihi templa minus curæ, quàm castra fuerunt:
Hac quoq; laude patri cedere nolo meo.
Regia ab egregio sortitus stemmata Othone
Sum Gneznæ (Gneznæ, tunc meus hospes erat)
Quæ quicunq; fac sis hoc dignus honore,
Quo tunc, magno iudice, dignus eram.

ANNO à Christo nato 999. Boleslaus huius nominis primus ab heroicis gestis Chabri appellatus, Mieczslai filius natu primus, communi omnium acclamatione in fasces regni euehitur. Corpus diui Alberti episcopi Pragensis, ex Prussia in Gne-

Diui Alberti corpus è

Gneznam magno cum labore honorificè transtulit, quem gētiles Pruteni, iuxta Sauum fluuium prope oppidum maritimum Feschaus, salutifera pabula animæ ferentem, crudeliter occiderunt, ad cuius busta Gneznæ plurima miracula, virtute diuina edita sunt. Eodem tempore Otto tertius, Romanorum imperator, acerba infirmitate pressus, iamque animam agens, audiens tanta miracula ad sepulcrum diui Alberti in Polonia fieri, voto vouit se busta illius, si de infirmitate leuaretur, accessurum, atq; statim post votum promissum, sanitatem integram diuina benignitate recepit. Cumq; vota persoluturus religiosus imperator ad Posnaniam vrbem maioris Poloniæ appropinquaret, Boleslaus splendido equitatu nobilium & magnatum Poloniæ cinctus, obuiam ei processit, honoremq; vt Cæsari hospiti exhibens, varij coloris pānos pretiosos, fericeos quoq;, & id genus alios in via per 7. milliaria Polonica, à Posnania in Gneznam vsque sternere fecit, & vltro citroque data salute, illa insigniter strata via vterque manibus iunctis, multa inter se cōferentes, pedestri itinere ad Gneznam vsq; peruenerunt. Ingressus itaque deuotus imperator limina templi, pronus prouolutus ad sepulcrum diui Alberti, ardēti corde Deo omnipotenti, quod mirabilis sit in sanctis suis, gratias agit, votoque persoluit. Tandem honorificentissimè sumptuosissimeque per aliquot dies, à Boleslao tractatus, multisque & splendidis muneribus ab eo donatus est, quibus hospitalitatis officijs Otto in se exhibitis consideratis, Boleslaum eodem in templo Gneznæ imperiali diademate solenniter coronauit, eumque regem Poloniæ declarauit, &in

Prussia in Gneznam trāsfertur.

Otto imperator ex vōto diuo Alberto facto, sanatur.

Otto imperator in Poloniam venit.

Boleslaus Cæsari splendidè & lautè honorem exhibet.

Otto Boleslaū Poloniæ regē creat, suoq; diademate coronat.

æternũ authoritate imperiali confirmauit, ab omnibusque tributis & obsequijs Romanis imperatoribus pendẽdis, posteros eius omnes in regno sibi succedẽtes immunes fecit. Deinde in digressu quo euidentius vinculum societatis inter se cõciperent. Otto imperator Boleslao nouo regi lanceã sancti Mauricij, clauumque de cruce Christi donauit. Boleslaus verò vicissim illi brachium sancti Adalberti pro munere hospitalitatis dedit, quod Romæ in templo diui Bartholomæi imperator posuit. Insuper vinculo consanguinitatis sibi iuncti sunt. Otto enim neptam suam, filiam Palatini Rheni, nomine Rischã, in matrimonium locauit. Tandem imperatorem ad sua reuertentem Boleslaus cum insigni pompa, splendidoq; equitum & magnatum Poloniæ agmine, ad terminos vsq; regni sui, honorificè deduxit.

Hic primus rex Poloniæ omnia, summa cum prouidẽtia & fortitudine administrauit, supra modumque bellicosus extitit. Marte enim felici omnes finitimos hostes frequenter strauit, regnaq; eorum sæpius, nullo repugnãte, peruastauit; Bohemiæ regem Boleslaum cum innumeroso exercitu fudit, regnũq; eius, nullo repugnãte infestis armis vastauit; & ipsum captum execare fecit. Iaroslaum quoq; ducem præcipuum Russiæ validissimo exercitu fretum insidiosè contra se procedentem, memorabili, cruentaque clade, prostrauit; Kiouiam vrbem Russiæ metropolim cepit, indeque thesauros ingentes asportauit, & omnes principes Russiæ tributarios sibi effecit. Prutenos, Saxones, Cassubiosque, & Pomeranos debellauit; cum Ruthenis ad fluuium vsque Tyram, & Borysthenẽ fines suos posuit; cum Prutenis, Cassubijsque,

Boleslaus Bohemos, Russos, Prutenos & Pomeranos sternit.

que, & Saxonibus ad fluuium Albim, vsque ad mare Germanicum siue Balticũ imperij sui terminos constituit, Herculemq; imitatus, ad perpetuam rei memoriam columnas æreas illic collocauit. Sicque imperio suo amplissimè dilatato, relicto Miescone filio è viuis decessit.

Boleslaus fines imperij sui prolatat.

MIESCO SECVNDVS.

DEgener, imbellis, gula, crapula, sordibus vxor
Vxoris totus fœmina, lurco nihil.
Hic erat: vxor erat, rex, princeps, omnia, nostrum
Asperius quouis angue perosa genus,
Teutonibus tantùm æqua suis: quam credis abilla
Tractata est miseris terra Polona modis?
Tunc Boleslai nobis periêre labores,
Ruperunt nostrum regna subacta iugum.
Vtrapuit tantùm mors fausta phrenitide regem,
Pellitur è regno, rixa fugitq; suo.
Dant pœnas scelerum: furor hunc, dolor abstulit illam,
At longo fato dignus vterq; fuit.

ANno Virginei partus 1025. Miesco II. patre defuncto, ad regni habenas moderãdas euehitur. Hic ex moribus patrijs degenerat: postpositisq; negotijs reipublicę cõiugis consilio vtebatur, & imperium à patre amplissimum relictum, suis libidinibus diminuit, debilitauit, laboresque patrios perdidit. Tandem ab omnibus spretus, infirmitate correptus, relicto Casimiro filio, è viuis decessit.

Mortuo igitur Miescone, multæ controuersiæ circa electionem principis exortæ sunt. Quidã enim ad Casimirũ filium eius sceptra deferenda volebant: cæteri verò timentes ne mores paternos peruersos

Miesco degeneratur.

sequeretur, huic sententiæ acerrimè repugnabant. Tandē regina Miesconis regis relicta, vidēs se à Polonis spretam, ad fratrē Cęsarem in Saxoniam, accepto Casimiro filio, coronáque regni & ingentibus thesaurisregalibus sublatis profecta est. Interim filium Casimirum studendi gratia Parisios misit: vbi tandem in monasterium Cluniacense ingressus, sacris initiatus est. Poloni verò multis annis hærede legitimo orbati, cum sui & reipublicæ ingenti detrimento, in Gallia eum quærere coacti sunt, qui eis multis de caussis denegabatur ab Abbate Monasterij. Tandem vix magno cum labore impensisque Polonorum, per Benedictū nonum pontificem à professione absolutus est, pœnitentia Polonis indicta, pro eo quod dominum suum hęredemq; legitimum expulerint, vt ab vna quaque persona quotannis obulum vnum Romano pontifici penderent, quod vocatur debitum sancti Petri. Item vt singuli viri crines supra aures tonderent. Deinde vt præcipuis festis diebus linteo albo pro cingulo vterentur.

Regina cum filio Casimiro exulat.

Debitum S. Petri.

CAZIMIRVS PRIMVS.

INnocuus cum matre puer CASIMIRVS *eodem*
Exilio, matris crimine, pulsus erat.
Cluniaci placuit sibi vita monastica: seruus
Quam cuiusquam hominis, maluit esse Dei:
Nos sumus interea sine principe, subdita cunctis
Terra, dolor fuerit, quæ numerare malis.
Reddimus ejecto regnum, multa ille reuersus
Restituit melior vix patre, dignus auo.
Maslaum domuit ciuili Marte furentem,
In reliquos mansit pax sibi grata dies.

Quòd

Quòd Deus innocuis adsit, quòd corruat insons,
Maiori vt surgat laude: videre potes.

ANno Domini 1041. CAZIMIRVS huius nominis primus, è monasterio acceptus, Miesconis secundi filius, tertius rex Poloniæ, Gneznæ cōmuni omnium applausu sacro diademate coronatur. Hic primum in latrones deprędatoresque qui tunc temporis in regno passim latrocinabantur animaduertit. Demum regiones tributarias à regno deficientes ad iugum pristinum redegit. Maslaum ducem Massouiæ bello furentem intestino, cum Prutenis & Piecingis conspirantem, ad Vistulam fluuium cruento prælio prostrauit, iuxta Plocsko ciuitatem. Tandem Maslaus exercitum coēgit: sed iterum à Casimiro funditus fusus, desperatis suis rebus ad Prutenos profugit, vbi varijs tormentis examinatus laqueo vitam finiuit. Ab hoc Maslao Massouia appellata est. Postea Casimirus pacato vndique regno, relictisq; tribus filijs, Boleslao, Vladislao, Miescone, & filia Suuatochna, extremum diem feliciter clausit. Monasterium in Tyniec eius Regulæ quam ipse olim profitebatur, regalibus, sumptuosissimisque immunitatibus & bonis opimis fundatum dotauit.

Casimirus Maslaum cum Prutenis bello vicit.

Massouia denominatio.

BOLESLAVS AVDAX.

QVam bello magnus, quàm magnis strenuus ausis
Boleslaus erat, tam truculentus erat.
Vastauit Morauos, Hunnos, te Russe, Bohemos,
Vastauit patriæ nec minus arua suæ.

Cuncta libidinibus complebat, cuncta rapinis,
Cuncta ignominiis, sanguine, cuncta metu.
Pontificem secuit frustratim recta monentem:
Vrbis pontificem, maxime Crace, tuæ.
O scelus, ô portentum, ô nostri infamia regni,
Non tibi sacrilegæ tunc cecidêre manus?
Vnde, & vbi perijt, ne iam dubitate Poloni,
Raptum sub Stygijs obruit orcus aquis.

ANno salutiferi Virginei partus 1068. Casimiro Boleslaus filius ab heroico animo Audax appellatus, communibus omnium suffragijs, rex declaratur. Huic statim Vratislaus Bohemię rex bellum indixit: infestisque armis in Silesiam vastaturus excurrit. Boleslaus re comperta, armato milite cinctus, celeriter contra eum contendit: cuius aduentu Vratislaus perterritus, relictis castris terga pudenda dedit. Boleslaus verò eum in meditullium Bohemiæ persequens, eam vndique peruastauit: spolijsq; multimodis onustus, ad sua nullo repugnante reuersus est.

Boleslaus Bohemiam vastat.

Postea anno sequenti, Boleslaus validioribus copijs coactis, Morauiam, Bohemiamque iterum infestis armis peruastauit: donec eũ Vratislaus Bohemiæ rex, maius periculum timens reconciliauit. Perdomitis igitur ab vna parte Bohemis, & Morauis, à Prutenis tandem & Pomeranis infestatur: quos Boleslaus ad fluuium Ossa vndiq; circumuentos, ad internecionem prostrauit, & deleuit: Pomeraniamq; & plurimas munitiones Prussiæ, ditioni suæ subegit: & ipsos Prutenos sub iugum compulit, anno domini 1059. Interea Bela hæres regni Hungariæ, ad Boleslaum

Iterum Bohemiam infestat.

Pruteni cũ Pomeranis victi vectigales Boleslao fiunt.

leslaum exulans profugit: auxilium contra fratrem Andream (à quo regno pulsus erat) implorans. Boleslaus itaque infestis armis in Hungariam cum Bela cõtendit: Henriciq; imperatoris copias, Bohemosque & Teutones, partes Andreæ defendentes profligauit: vbi & ipse Andreas rex interemptus est. Sicque Bela auxilio Boleslai ad regnum peruenit. Boleslaus verò rex in Poloniam reuersus, vnicam heredem ducum Russiæ, Viseslauam nomine, in matrimonium accepit, iureq; dotis Ducatus quosdã Russiæ acquisiuit. Kiouiam quoque metropolim Russiæ vi cepit, vbi hybernum tempus transegit, vniuersamque Russiam terrore suo compleuit, & cõcussit, adeò vt complures duces (parum se tutos in Russia putantes) fugã in Græciam adornauerint. ciuitates omnes oppidaq; & munitiones plurimæ, vltro se ei dediderunt. Postea Præmisliam ciuitatem celebrem, vnam ex Ducatibus Russiæ expugnauit, & exussit, sed arcem propter exundationem fluuiorum, capere non potuit: quæ ei postea certis sub conditionibus dedita est. Tandem in Hungariam cum exercitu profectus, inimicitias inter Belæ hæredes, & Salomonem Hungariæ regem composuit: exinde recta in Russiam reuersus, Volodimiriam & Chelmiam ciuitates cum suis prouincijs occupauit: postea totum Ducatum Volhinię cepit. Inde rectà in Kiouiam exercitum duxit, vbi Suuatoslaum principem Russiæ cum ingentibus copijs sibi insidiantem cruento prelio profligauit, fugauitq;, ac omnes vires Russorum prorsus debilitauit, multumq; temporis in Kiouia transegit, vbi in delicias libidinesq; venereos, & cætera vitia prolapsus est. Postea septennio in castris exacto in Polo-

Boleslaus in Hungaria triumphat.

Russiã vastat Kiouiãque capit.

Præmisliæ dedita.

Hungariam petit.

Volniam expugnat.

Suuatoslaũ fugat, fuditque.

Episcopum Cracouiæ diuum Stanislaũ occidit.

niam reuersus, diuum Stanislaum episcopum Cracouiensem occidit, membratimque dissecare fecit: cuius postea corpus diuina prouidẽtia insimul compactum coactumque, & honorificè sepultum, multis miraculis claret, prout latius in Polonorũ Chronicis patet. Conscius itaque Boleslaus perpetrati facinoris pœnitentia adactus, cum filio Mieczslao regno relicto in ignotas regiones profectus est: vbi in habitu peregrino vitam clausit. Filius verò Mieczslaus postea in patriam reuersus est.

Boleslaus exulat voluntariè.

VLADISLAVS HERMANNVS.

PLurima rescidit fratris decreta tyranni
Hermannus, Latio par pietate Numa.
Hunc spurius vetitis vexauit filius armis,
Sed pius arma tulit propietate Deus.
Vincitur impietas Goplea ad stagna paludis,
Induit inq; feras debita vincla manus.
Dic, qui multa legis, quot dignos laude, piosq;
Legeris, historia per genus omne nothos?
Telogonus, qui piscepatrem obtruncauit Vlyssem,
De turpi circes natus amore fuit.
Proditor Æneas patria est, nec crede Maroni:
Romulus occisor fratris: vterq; nothus.

ANno à Christo nato 1082. Vladislaus Hermannus fratri Boleslao in regno successit. Hic ex Iuditha Vratislai regis Bohemorum filia, filium Boleslaum tertium suscepit, Kziuiuousti ab ore recuruo appellatum. Ex secunda verò vxore, Henrici 4. Romanorum imperatoris filia, tres filias produxit: multas ecclesias monasteriaque construxit & ditauit. Prussos, Pomeranosq; rebelles cruento prelio penes fluuium

fluuium Druuãcza profligauit, ad deditionem q; coẽgit. Interea Bratislaus, Bohemorũ princeps videns regẽ bello in Prussia occupatũ, magna damna Poloniæ intulit. Rex itaq; Siecziechum Palatinũ Cracouiensem cum filio suo Boleslao nouẽ annos habẽte, contra hostes destinauit, quos vnà cũ principe Bratislao strenuè fuderunt: & Moraviam vndiq; ferro & igne vastãtes peragratunt: spoliisq; multis onusti, in pace ad regẽ reuersi sunt. Tandem nunciatũ est Hermanno regi, Pomeranos fœdifragos Miedzirzecze arcẽ munitissimã in finibus Saxoniæ intercepisse. Boleslaus igitur 12. annorũ puer is patrẽ obnixè cum lacrymis solicitat, vt sibi copias propter recuperandam arcem cõmitteret, cuius audaciæ, prouidẽtiæ, animositatiq; rex admitãs, legionem vnã cum certis rectoribus illi cõmisit. cæterũ exercitui Siecziechũ Palatinũ Cracouiensem præfecit. Arcem itaq; obsessam fortiter oppugnarũt: sed quia in loco natura munitissimo sita erat, ideo incassum laborabãt. Qua de causa dux exercitus obsidionẽ soluere suadebat: sed Boleslaus regius filius à proposito eũ retraxit, & militibus confirmatis domos & tuguriola circa arcem, hyemis tempore imminente, erigere iussit, vt videretur arcem se per hyemem oppugnare velle. Qua re conspecta, Pomerani obsessi ad Boleslaum cum muneribus supplices veniunt, se & sua ei offerentes: Quos ille liberos dimittens, arcem recuperat: prudentiaque sua omnia damna à Pomeranis illata resarcijt; ad patremque ingenti cùm præda ouans, reuertitur. Postea Hermannus senio confectus, multis fortibus, præclarisque gestis exactis, vitam cum morte feliciter commutauit.

Prussos Hermannus & Pomeranos domat.

Bohemia à Polonis vastatur.

Miedzirzecze intercepta.

Astutia oppugnationis.

Miedzirzecze à Polonis recuperatur prudentia Boleslai.

BOLESLAVS KRZIVOVSTI.

Hic quinquaginta pugnauit prælia, signis
Collatis, casu non variante fidem.
Pugnauit quoties, toties & vicit: eorum
Nomina quos vicit, quod breue claudat opus?
Cæsaris Henrici magnas fudisse cohortes,
Sat sibi, si deessent cætera, laudis erat.
Mœrore interijt: quòd prorsus inermis ab hoste
Fœdifrago victus fraude, dolóq; semel.
I, modò Pompeij numera mihi Roma, triumphos,
Nos Boleslai prælia: maior vter?
Pompeium Cæsar bello prostrauit aperto:
Fraus potuit nostrum vincere sola ducem.

ANno domini 1103. Boleslaus Krziuousti ab ore recuruo siue retorto (quod ex morbo contraxerat) appellatus, patre è viuis sublato, communi omnium applausu, regni habenis præficitur. Hunc Zbigneuius monachus, frater illegitimus sceptra sibi inuidens, in primis lacessiuit: Boriuoiumque Bohemiæ regem, & Suatopolkum ducem Morauiæ, contra eum commouit: quos Boleslaus egregiè per Zeliflaum ducem exercitus sui profligauit. Anno deinde sequenti validioribus copijs coactis, in Morauiam excurrit, quam nullo repugnante, ferro, & igne, peruastauit. Tertiò Boleslaus exercitum in Bohemiam & Morauiam duxit: dumque agrum hostilem vndique armis & flamma peragraret, Bohemi ex insidijs in loco arctissimo in eum impressionem fecerunt. Rex verò strenui militis & imperatoris officium agens, vnum ex hostibus primus gladio interemit. Dersniak quoque eques Polonus, secundum hasta transfixit. cæteri Poloni animosiores effecti, Bohemos fugientes insigni clade profligârunt. Tandem Boleslaus Pomeraniã armato milite aggressus, eam vndiq; peruastauit: plurimisque oppidis & munitionibus occupatis, spolijs onustus, ad suos reuersus est. Accidit autem dum, post hãc insignem victoriam, in festo dedicationis templi apud quendam nobilem conuiuium celebraret, recreationis gratia, centum duntaxat equitibus cinctus, venatum processit: vbi tria millia Pomeranorum insidiantium incidit, in quos ipse rex veluti leo rugiẽs, primã impressionem fecit: tribusque interfectis, suos animosiores reddidit. Quidam verò Pomeranus in ipsum regem collimans, equũ sub eo transfixit: attamen à persequendis hostibus equo altero nacto, haud destitit: donec multo cum labore à tanta obstinata audacia vix retractus fuerit: victorque ad suos conuiuantes, profligatis hostibus redijt. Interea Boriuogius rex Bohemiæ exulans ad eum venit, auxilium contra Suatopolgum nepotem suum implorans, quem Boleslaus in regnum reduxit, Boemiamque peruastauit. Tandem in Pomeraniam expeditionem adornauit, qua vndiq; peruastata, Bielgradũ arcem munitissimam cum ciuitate, & multitudine Pomeranorum, expugnauit: cæteræ autem ciuitates & munitiones, vtpote Camenecia, Golimberg, Vielim, Czarnkouia, libenter sese ei dedidêrunt. Postea Boleslaus irritatus Bohemiam deuastauit: Zbigneuiumque & Gueuonirum Pomeraniæ Duces rebelles, & fœdifragos, fudit cepitque.

Henricus 4. Romanorum imperator, Boleslao ob damna Bohemis sæpissime illata infensus, cõiun-

Zbigneuius monachus.

Zeliflaus Bohemos Morauosq; profligauit.

Boleslaus Morauiam Bohemiãq; vastat.

Bohemi profligantur.

Pomerania vastatur à Boleslao.

Boleslaus strenue dimicat.

Bohemus auxilium impetrat.

Expeditio Boleslai in Pomeraniam.

Henricus 4. Cæsar in Boleslaum arma extollit.

ctis viribus cum Suuatopolgo rege Boemiæ, validissimas copias contra eum in Silesiam duxit, Lubusaque ciuitate expugnata, Glogouiam vrbem Glogouiensis Ducatus sedem, acerrimè, frustra tamen oppugnauit: magna & crudeli strage in militibus accepta. Boleslaus quoque valida Polonorum manu stipatus, contra imperatorem & Bohemos processit: & in exercitu suo proclamari fecit, vt quicunque se talem virum præbuerit, qui Suuatopolgum Bohemiæ regem occiderit, ille dono insigni in sempiternum cum posteris suis remuneraretur. Vnus igitur Bohemus in castris Polonicis militans conditionem datam accepit, exploratáq; habens castra Bohemorum ad tentorium vsq; regium peruenit, & horribiliter in vocẽ prorupit dicens, Fuge, fuge ô rex. Multitudo enim Polonorum nos vndique inuasit: regem itaque ex tentorio prosilientem lancea transfixit, & ad Polonos frustra insecutus aufugit, ac munera promissa stemmaque Oxa dictum securim videlicet accepit, & in magnam familiam Poloniæ excreuit. Henricus tamen imperator magna damna Polonis in Silesia exercuit, quem cùm Boleslaus ad amicitiam iustis conditionibus perducere non posset, armato Polonorum milite accinctus, in aurora impetum in Cæsarianos fecit, distantia vnius milliaris à Vratislauia vrbe Silesiæ, sicque ad vesperam vsque acriter decertabant. Boleslaus autem cum fortiori agmine Polonorum & Silesianorum in acies Cęsarianas à latere irruit, totumq; exercitum dispersit, fugauit & ad internitionem prostrauit, vt ipse imperator fuga sibi consulens vno duntaxat seruo comitatus vix euaserit. Poloni verò spolijs exuuijsque occi-

Boleslaus repugnat.

Conditiones dãtur à Boleslao si quis Bohemiarẽ occiderit.

Bohemia rex occiditur.

Arma Oxa.

Acre & memorabile certamẽ Boleslai cum Henrico Cæsare.

Henricus Cæsar fudi-tur & fugatur.

occisorum ditati victoriæ palmam obtinuerunt, adhuc locus in quo conflictus erat Polonicè, *Psie pole*, id est, caninus campus appellatur: nam illic multitudo canum ad cadauera humana confluxerat, vt multo tempore vix prætereuntes tuti transire possint. Tandem anno sequenti Henricus imperator expeditionem Romam versus obuiam summo pontifici adornabat, timensque ne Boleslaus se absente prouincias suas vastaret, legatos ad eum destinauit, rogans eum sub certis conditionibus habita dignitate imperatoria, vt ad se Bambergum veniret, promittens illum huius conditionis nequaquam pœnituisse. Vbi Boleslaus veniens imperatori omnia obsequia ad quæ præstanda attrahebatur, in perpetuum renunciauit, abdixitque & consanguinitatis vinculo (vt fit inter pacificantes principes) sibi iuncti sunt. Boleslaus enim sororem imperatoris Adchleydam nomine, Vladislaus verò filius eius Christinã filiam eiusdem imperatoris in matrimonium accepit, sicq; pace composita captiuos vtrinq; restituerunt.

Psie pole.

Poloni triumphant.

Henricus cũ Boleslao amicitiam inire optat.

Anno deinde Christi 1113. Pomerani & Pruteni postposito iuramento inopinate in Massouiæ Ducatum excurrerunt, regionemque totam infestis armis peruastauerunt, sed eius oræ præfectus hostes cum spolijs reuertentes inopinate aggressus, omnes trucidauit & spolia abegit. Hac perfidia Pomeranorum Boleslaus exacerbatus, instructis copijs contra eos processit, Nakloque arcem in qua erant 10000. Pomeranorum graui obsidione cinxit, sed obsessi ad quindecim dies inducias impetrauerunt, hac conditione, vt si intra concessum tempus nullum auxilium à suis haberent. Interea verò nunciatur Bole-

Pruteni & Pomerani fœdifragi trucidãtur.

Naklo obsidetur.

slao, Pomeranorum & Prutenorum quinquaginta millia in subsidium obsessis clanculum per syluas aduentare. Quorum castra Boleslaus explorata habēs, à fronte & à tergo in eos impetum fecit, omnesque inopinatos funditus prostrauit, quorum 4000. cæsa sunt, cæteri capti & fugati. Naklocenses verò se & arcem cum cæteris ciuitatibus regni vltro dediderunt. Postea Pomerani cū Prutenis vires magnas insimul coniunxerunt, omnes tamen à Boleslao velut à leone fortissimo iugulati, princepsq; eorum perpetuis carceribus mancipatus est. Rex itaque rebus in Pomerania & Prussia rectè constitutis, expeditionem in Daniam regionem trāsmarinam nauali classe adornauit, anno Domini 1124. vnde thesauros ingentes abstulit, regnum verò vltro oblatum respuit, & thesaurarium regni Danici cum tota familia in Poloniam transtulit, cuius posteri hucusque in Polonia & Prussia celebres restant. Duniniq; à Dania vocantur. Boleslaum itaque è Dania in Poloniam reuertentem principes Russiæ seditiosi bello appetierunt, & quo magis eum irritarent, principem Halicienſem consanguineum regis expulerunt. Quos Boleslaus egregiè vltus est, Præmisliensemque ducem cum ingenti exercitu prostrauit, vbi tres duces Russiæ in conflictu occubuerunt. Postea Iaropolhi ducis Kioviæ consilio astuto omnes principes Russiæ aduersus Boleslaum regem conspirauerunt, vtq; eum facilius sub prætextu amicitiæ obruere possent, legatos ad eum destinauerunt, obstringentes se omnes tributarios, ac subditos Poloniæ regno fore, vtque ducem Halicienſem in locum pristinum reduceret optabant. Rex igitur nihil mali suspicans expeditionem

Pomerani vincuntur.

Iterum Pomerani sternuntur.

Boleslaus in Daniam nauigat.

Rutheni in Boleslaum concitatur.

Insidiæ Boleslao parantur.

nem in Russiā paruis copijs cinctus adornauit, cumque ad Halaciam ciuitatem appropinquaret, ecce principes Russię cum auxiliarijs copijs Hungarorum quasi congratulantes ei ex insidijs eruperūt, regemque vndiquaque circumdederunt. Rex autem astutiam Rutheńorum cōsiderans, milites suos qui pauci erant, ad resistendum hosti fœdifrago fœcunda oratione confirmauit. Sed Palatinus Cracouiensis admonitione regia minimè motus cum præcipua ala equitum, cui præfectus erat, inter primū tumultum aufugit. Rex verò rem aliter non posse fieri videns, strenui militis & imperatoris officium agens, primo cum suę aulę equitatu Hungaros aggressus est, quos strenuè repressit & prostrauit. Viribusque resumptis cum validis Ruthenorū copijs manus acriter conseruit, iamque Ruthenorum acies inclinabantur, dum recentes legiones auxiliares validiores, Polonos vndique circumderunt, viresque eorum perfregerunt, equus sub rege ipso confossus vt intestina ex eo profluxerint, alium tamen eques ei suppeditauit, sicque vix à suis ad fugiendum cōpulsus illesus euasit. Quapropter mœstus animo angebatur, non tam Ruthenorum fœdifragorum insidias, sed Palatini Cracouiensis perfidiam turpissimā execrans, cui pelliceum leporinum, & colum instrumentum quo mulieres fuso fila ducunt, linique fasciculum, & cordam misit, indicans eum lepori in fugiendo similē esse, & quod indignus sit vir, sed mulier haberi: resque muliebres & non viriles potius tractare, suspendique dignum. Palatinus itaq; ille, in desperatione adactus, in campanili oratorij sui fune campanæ sese suspendit, cuius nomē propter posterorum dedecorem in Chroni-

Boleslaus circumuenitur.

Palatinus fugit conflictum. N6.

Boleslaus strenue sese defendit.

Donum Palatino profugo à Boleslao dignum mittitur.

Castellanus Palatino Cracouiensi dignior titulo.

cis reticetur, ab hocq; tempore Castellanus Cracouiensis, Palatinum autoritate dignitateq; antecellit. Boleslaus autem quotidie aduersam fortunam execrando tristitia consumptus, sumptis sacrosanctis Sacramentis extremum diem clausit, annos ætatis suæ 54. regno 36. annos præfuit, in ecclesia cathedrali Plocensi sepultus. Porrò nullus rex Poloniæ ad hæc vsq; tempora illo felicior bellicosiorque extitit. Omnes enim reges & monarchæ finitimi vndiq; in eum irruebant: ille verò eos strenuè casu non variante, fidem propugnabat, & regna eorum secundum arbitrium suum militis strenui & imperatoris mœnia obiens peragrabat. Conflictus cum hostibus principales & memorabiles ac publicos 47. commisit, exceptis congressibus excursionibusq; paruis, qui sæpissime eueniebant, excepto quoq; hoc vltimo certamine, quod cum eo Rutheni astutè commiserant, ex quo ille nō secus atq; ille Hector Troianus, Hannibalque Carthaginensis suo Marte sese strenuè defendens, aciesq; hostiū instructas fortitudine, dispergens euasit. Adhuc vitæ superstes filijs suis imperium disposuit, Vladislao natu maiori Cracouiensem, Siradiensem, Silesiæq; & Pomeraniæ Ducatus legauit. Boleslao Crispo Massouiam, Dobriniam Cuiauiamque. Mieslao Gnesnensem, Posnaniensem, Calisiensemq;. Henrico verò Lublinēsem, Casimiriensemq; tractum testamento ordinauit. Casimiro autem omnium iuniori quicquam reliquit. Admonentibusque se de eius sorte senatoribus, respondit: An ignoratis, inquit, quod in curru quatuor rotæ currentes necesse habent, vt aliquis eis insideret, quod & factum est, vt inferius dicetur.

47. cōflictus Boleslaus victor abijt.

VLA-

VLADISLAVS SECVNDVS.

QVatuor in natos regnum diuiserat æquis
Partibus, egregia cum ratione, pater.
Ladislae, tibi cessit Cracouia natu
Maxime: auaritia maxime, Marte nihil.
Fratribus electis solus dum quæris habere
Omnia, possessis pelleris ipse bonis,
Coniuge cumq; tua, quærem tibi suasit iniquam,
Victus in externam profugis exul humum.
Ignorata tibi fuit alea: discere in illa,
Contentus proprio viuere quisq; potest.
Namq; aliena petens perdit sua lusor, & aurum
Dum cupit, amisso flens abit ære domum.

ANno Domini 1140. Vladislaus secundus, Boleslao patri in regno successit. Hic ex moribus patrijs degenerauit, vxorisq; impulsu sorte sua nō contentus, fratres suos Ducatibus exuendos proposuit, eosque bello appetijt, auxiliaribus copijs à principe Russiæ acceptis. Henricus itaque, Boleslaus & Crispus, cum Mieczlao in arcem Posnanensem fratris metu sese receperunt: quos Vladislaus oblitus fraternæ caritatis, grauiter obsedit. Iamq; obsessi penuria victus coacti deditionē moliebantur: sed veteranorū militū persuasione confirmati, aleam belli tentare proposuerunt: nactaque occasione, cùm hostes choreis temulenti indulgerent, intempesta nocte exarce cum ingenti vociferatione vnusquisque facem accensam manibus gestando, eruperunt, castraque hostium incenderunt, & ipsos hostes ferro protriuerunt. Vladislaus vix turpi fuga elapsus est: quem fratres victores Cracouiam vsque insequuti sunt.

Vladislaus degener.

Vladislaus fratres oppugnās ipse fugatur regnoq; exuitur.

Sed postea in Germaniam ad cognatos vxoris suæ aufugit: quem postea vxor cum filijs secuta est. sicque proprio viuere non contentus, alienis inhians, sua amisit.

BOLESLAVS QVARTVS Crispus.

Dum cogit Prussos ad Christi dogma Polonos,
Amisso euertit milite Crispus opes.
Transfuga ducebat nostros malefidus, iniquum
Transgressos Ossam pertrahit ing locum,
In conuestitum viridanti cespite cœnum,
(Aergo in siluis abditus hostis erat)
Insilit: inclusos cœno suffocat in illo,
Vix pauci incolumes se eripuêre fuga.
Mens generosa dolo, quia nil agit, ipsa malignis
Oppo tuna dolis, insidijs q, capi est.
Et quia metitur proprijs virtutibus omnes
Est in perniciem credula sape suam.

ANno domini 1146. Boleslaus Crispus, à capillis contortis dictus, fratre Vladislao seditioso expulso, habenas regni suscepit. A Conrado imperatore frequenter solicitabatur, vt aliquam regionem exulanti fratri concederet, quod ille strenuè repugnabat. qua de caussa imperator in Silesiam exercitum duxit: sed pluribus damnis à Polonis affectus, re infecta discessit. Eadem de caussa cum Friderico Barbarossa imperatore, Boleslaus bella gessit. Inimicitijsque vtrinque compositis, Vladislaum fratrem ex Germania reuocatum, in gratiam accepit: qui postquam aduenit, in Ploczko ciuitate non sine veneni suspitione, spiritum exhalauit. Tandem anno Domini

Cum Conrado imperatore & Friderico Barbarossa bella geratur.

Vladislaus in Poloniã reuertitur.

mini 1164. rex cum fratribus triplici exercitu instructus, in Prussiam descendit, quam ferro & igne latè peruastauit, ad Christianismum Prutenos sollicitans, donec se baptisari spoponderent: sed demum baptismo spreto, contra Polonos in Massouiam excurrerunt: contra quos denuo Boleslaus cum fratribus exercitum duxit. Interea verò, ad Polonos duo Pruteni, sub prætextu exulũ astutè defecerũt, qui se totius Prussiæ situ exploratissimè nosse affirmabant: ideo eos Poloni, duces belli sibi delegerũt: qui exercitum perfidè inter densissimas palustrosasq; syluas induxerunt, vbi in palude quadam cespite viridanti contecta, tanquam muscæ in pice hæserunt: vt nec vlterius progredi, nec retrogredi potuerint. Pruteni autem ex insidijs prorepentes, Polonos ingenti clade affecerunt, vbi Henricus Lublinensis, & Sendomirìensis dux, frater Boleslai, strenuè dimicando occubuit. Princeps verò Boleslaus in Poloniam reuersus est, qui postea multis gestis extrenuè peractis, extremum diem clausit. Anno Domini 1171. ætatis suæ 29. in arcis ecclesiæ templo, Cracouiæ sepultus.

Pruteni à Boleslao oppugnantur.

Profugi è Prussia fraudulenti.

Profugis nõ credendum.

Poloni funduntur.

MIECZLAVS SIVE MIESCO tertius.

Sæpe dies oritur nitida face, nec tamen illi
Credideris: subito nubilus esse potest:
Grandine messores lapidare: tonitribus orbem
Concutere: & rapidis frangere fulminibus.
Ecce senex noster, regni cum cepit habenas,
Vir bonus, & placidi fratris imago fuit.
Mox sobole ingenti generis, affinibus, auro
Inflatus: cœptam destituire viam.

Nil illo peius, nil & crudelius illo,
(Audace excepto) patria nostra tulit.
Sed tamen est pulsus: Nunquam impunita tyrannis
Sarmaticis feritas scilicet vlla fuit.

ANno Domini 1174. Mieczslaus senex, fratri Boleslao Crispo in monarchia successit. Hic rapax, crudelis, seuerusq; in subditos extitit, & tyrannidem ingentem exercuit: qua propter ab omnibus diris execrationibus maledicebatur. Episcopus itaq; Cracouiensis Gedeon nomine, cum cæteris senatoribus consilium occultè inijt, de Casimiro in locum eius substituendo: & nacta occasione temporis, cum Mieczslaus rex in maiorem Poloniam discessisset, ad Casimirum fratrẽ eius iuniorem, quamuis inuitum, sceptra detulerunt.

Mieczlaus tyrannus regno exuitur.

CASIMIRVS SECVNDVS IVSTVS cognominatus.

TRactus ad imperiũ precibus, lacrymisq; suorum,
Imperij fractas surgere fecit opes.
Percussit scelerum fratris iusto ense ministros,
Sacrificis pacem, ruricolisq; dedit.
Qui modò calcati sub direptore iacebant,
Inq; suis rebus nil habuêre sui.
Intulit in patriam corpus, Roma vsq; petitum,
Diui qui floris nobile nomen habet.
Mista dedit domino scelerati aconita ministri,
Inter solennes perfida dextra dapes.
Trusit & insubitum, patria plangente, sepulcrum,
Delicias hominum, deliciasq; deũm.

Anno

ANno salutiferi Virginei partus 1104. Casimirus facinus fratris aboleuit, in comitijsq; generalibus Lancitiæ celebratis, omnes qui erant caussa intestinæ dissensionis dignis supplicijs affecit. Fratrem postea Mieczslaum in gratiam accepit, Gnesnensemq; tractum & Posnaniensem ei concessit. Tandem Pruteni & Pomerani Casimiri regis clementia considerata, vltro se ei obtulerunt. Interea verò Lituaniæ ciuitas Brestia, à Polonis defecit. Eò itaq; rex cum exercitu profectus, ciuitatem cum arce cepit: eosq; qui erant caussa defectionis, dignis supplicijs affecit. Inde rectà in Russiam profectus, Seuoldũ & Volodimirũ duces rebelles, cruento prælio fudit. Rege autem in Russia militãte, Mieczslaus senex priorem dignitatem affectans, Cracouia potitus est, arcem tamen capere non potuit, ciuitate verò suis præsidijs firmata, ad comparandum maiorẽ exercitum, profectus est. Casimirus autem ex Russia exercitum reducens Cracouiam libenter intromissus, de seditionis seminatoribus, dignas accepit pœnas. Postea non oblitus cædis Henrici fratris cladisque Polonorum, in Prussiam exercitum duxit: quam vndique armis peragrauit, Prutenosq; & Pomeranos tributarios sibi effecit: Cracouiamq; reuersus, anno Domini 1194. extremũ diem clausit: non sine veneni suspicione. Eius cura & impensis corpus sancti Floriani Roma Cracouiam allatum est, anno Domini 1184.

LESCO QVARTVS.

CVm sene beuani patruo, sed an impius isto
Sit facto, iusti discutitote viri.

Esset vter rerum dominus, certauimus: at me
Id velle in patriam, nudus adegit amor.
Ne paterer regnare lupum, maiore petentem,
A quo pulsus erat, cum feritate gregem.
Dum labor: inuadit Pomeranus balnea, inermem,
Dat non sperate, meq; meosq; neci.
Quanto igitur rerum dominis securius æuum
(Quod quidam scripsit) cernite pauper agit?
Tempora sunt, loca sunt quæuis metuenda potenti,
Quod viuit, totum est cura, pericla, metus.

IVstis Casimiro persolutis, Lesco filius eius à crinibus Albus cognominatus, ab omnibus rex salutatur; anno Domini 1194. Mieczslaus tamen senex, patruus eius monarchiam regebat: pro qua postea, vario Marte cum eo Lesco bella gessit. Tandem comitia generalia in Zueyman ciuitate celebrauit, ad quæ plurimi magnates, & principes Poloniæ conuenerunt, vbi citatus est mandato regio Suantopolus, capitaneus Pomeraniæ, qui tributum 10000. marcarum argenti per aliquot annos iuxta pacta regi non pendebat, qui, occasione per exploratores nacta, armata manu ad ciuitatem prædictam inopinatè accelerauit, diuersoriaque obruens, qui se defendere volebant, interfecit. Regi statim tumultus caussa qui in balneo tunc temporis erat, significatur. Ex balneo itaq; exiliens, cum paucis famulis equis conscensis, aufugit. Suantopolus verò eum insequutus, vt fœdifragus, & nequissimus sine vlla dignitatis ratione, trucidauit. Henricum quoq; Vratislauię principem, letali vulnere affecit, & plures alios trucidauit: anno Domini 1227. Cadauer Lesconis per suos relatum

Lesco cum Mieslao patruo de monarchia certat.

Lesco nefariè occiditur à Pomerano fœdifrago.

relatum, in Basilica Cracouiensi cum maximo luctu terræ mandatum est.

BOLESLAVS QVINTVS Pudicus.

TArtaricus furor, in cineres regnante Pudico,
Sarmatiæ totas pene redegit opes:
In flammas abijt Cracouia: quicquid & agris,
Porrigitur ripas. Odera, ad vsq; tuas.
Fugerat ad Ingros princeps, quia viribus impar
Ad confligendum cum subito hoste fuit:
Stanislae, tuos cineres tellure leuauit:
Et sacrum in fastus fecit habere locum.
Coniuge consenuit cum virgine, virgo maritus:
Addictus studijs, casta Diana tuis.
Bochnenses reperit thesauros primus: & inde
Sarcijt a diris damna recepta Getis.

ANno Domini 1243. Boleslaus Pudicus, patri crudeliter occiso, in regimine succedit. Eo regnante multa mala Poloniam premebant: id verò ob principũ plurali[illegible]m, qui tunc temporis 24. erãt. Quod malum tãdem pcius redintegratum est. Tartarorum enim 100000. Poloniam Russiamq; populabundi venientes, vtramque regionem crudeliter vastabant: ciuitatibus, villisque succensis, captiuos educebant. Rex igitur Boleslaus cum Henrico duce maioris Poloniæ, cæterisque principibus cõtra Tartaros vnanimiter progressi, prælium cũ eis acre commiserunt. Iamq; Tartari inclinabantur: sed quidam vexillifer Tartarorum, cum vexillo, in quo erat scripta litera Græca tali modo, X, processit, superius verò in cuspide hastæ, erat caput quoddam terribile in-

Tartari in Polonia crudeliter grassantur.

Poloni cum Tartaris dimicant.

fixum, arte magica confectum, ore fumũ vaporemq; sordidum in Polonos euomẽs: quo velut peste quadam infecti, & incantationum vi fascinati, vires amiserunt. Sicq; funditus à Tartaris nõ secus, atq; à grandinibus frumenta, prostrati sunt. Cupientesq; Barbari numerum occisorum peruestigare, auriculam vnicuique dextram amputantes, nouem saccos magnos eis impleuerunt, vbi diminuta est multitudo principum Poloniæ, Silesiæ, atq; Russiæ. Tunc temporis Tartari totã ferè Russiam, & Poloniam, Hungariæq; & Germaniæ partem, flamma ferroque peruastauerũt, terroreq; inaudito omnia cõpleuerunt.

Incantationis vis.

Poloni à Tartaris funduntur.

Auricularum nouem facci implentur.

Anno Domini 1269. visus est in cælo exercitus equestris, inter se acerrimè confligens.

Miracula, monstraq; in Polonia.

Eodem anno mulier quædã nobilis, in terra Cracouiensi triginta sex pueros vno partu edidit.

Eodem anno in Calissia ciuitate vitulus duo capita, septemque pedes habens enixus est, cuius cadauer nec à canibus, nec auibus commestum, permansit.

Boleslaus postea rex exactis in regno 37. annis, è viuis decessit absq; prole: cælibem enim vitam (vnde Pudicus appellatus est) duxisse fertur.

LESCO SEXTVS NIGER.

Quanta locustarum, quo nos hæc scripsimus anno,
Appulit in nostros agmina, ventus, agros:
Agmina tanta ferunt in nos venisse Getarum
Sub Nigro, & primum congeminasse malum.
Iis cessit solis, alioqui semper in hoste
Cum quocunq; iniit prælia, victor erat.

Arma

Arma Ruthenorum, ductore superba Leone
Et magna, exigua contudit ille manu.
Obtriuit quoties Lituanum & Iazygas (hoc iam
Interijt nostro funditus ense genus.)
Multam Christicolas nil laudum habitura fuerunt
Bella: lacessitus sed quia vicit, habent.

Anno Domini 1279. Lesco Niger dux Siradiensis, mortuo fratre Boleslao Pudico, habenis regni præficitur. Quem statim pericula insecuta sunt. Tartari enim validis copijs Russiam, & Poloniã iterum crudeliter peruastauerunt.

Tartari Poloniam vastant.

Tandem anno Domini 1280. Lesco rex meliori fortuna vsus, Leonem principem Russiæ superbum, cum ingenti exercitu Tartarorum & Russorũ cruenta clade prostrauit, Russiæque prouincias fugato hoste, infestis armis peruastauit, ex quibus multis trucidatis, sex millia captiuorum abduxit.

Lesco Niger Leonẽ Russiæ ducem prostrauit.

Postea anno à Christo nato 1282. Lituani in terram Lublinensem valida manu excurrerunt, ingentemq; captiuitatem hominum eduxerunt: quos Lesco collectis vndecunque pro tempore copijs persequutus, ad Nemen & Narew fluuios insecutos, clade cruenta prostrauit, captiuosq; liberauit. Cæsa sunt tunc temporis 14000. Lituanorum infidelium.

Lituanorũ 14000. cæduntur.

Demum anno Domini 1285. Lituani collectis maioribus copijs, per abdita syluarum in Lucouiensem tractum excurrerunt: quos Lesco simili modo assecutos fudit, & fugauit, spoliaque & captiuos ademit. Tandem multis gestis strenuè editis è viuis decessit: Cracouiæ terræ mandatus est.

Iterum Lituani funduntur.

HENRICVS PROBVS.

Teutonibus solis claues permiserat vrbis,
Quæ regni titulum possidet vna, Niger:
Illi Silesium furtim sub nocte silenti
Mœnibus accipiunt, cui studuêre, ducem:
Nobilium contra, contra decreta senatus,
Nam cui legitimè sceptra darentur, erat.
Perfida pars vicit: regnat Probus, exulat hæres,
Sed res parta dolo non diuturna fuit.
Silesij Henricum dubio rapuêre veneno:
Quòd factis alter, nomine & alter erat.
Qui fraudem in vita coluit, rem fraude parauit,
Qua perijt: dignus fraude perire fuit.

ANno à Christo nato 1290. Henricus Probus dux Vratislauiæ, Lesconi Nigro in regimine successit. Episcopus quoq; Cracouiensis cum cæteris proceribus, Boleslaum, Massouiæ ducem ad regnum vocauerant: sed ab Henrico eiectus est. Tandem Vladislaus Cubitalis (ad quem etiam monarchia iure naturali competebat) dux Siradiensis, adiunctis sibi in auxilium maioris Poloniæ equitibus, cũ Henrico de regno acriter contendebat, exercitumq; eius cruenta clade in Silesia ad Sienieram ciuitatem, prostrauit: vbi ducis Glogouiensis filium, & Sprotauiæ principem occidit. Vnusquisque eodem tempore ex Silesijs insignem victoriam reportauit: & victor Cracouiam vltro deditam occupauit. Sed Henricus denuo ad expugnandam Cracouiam, exercitum duxit: quem Teutones ciues clandestino noctu in ciuitatem immiserunt: adeò vt Vladislaus vix cuculla monastica indutus, effugerit. Et sic Henricus regno

Discordia principum Poloniæ de monarchia.

Cracouia bis capitur.

gno potitus est. Sed paulo pòst, anno in regimine nõ exacto, è viuis decessit: non sine veneni suspicione: Vratislauiæ terræ mandatus.

PREMISLAVS SECVNDVS.

OBscelus Audacis, raptum diadema Polonis,
Rettulit istius gloria, luxq; viri.
Magnus erat, tantum peperit qui primus honorem
Nobis: munus & hic qui reuocauit, erat.
Splendidus, antiquis certans heroibus omni
Virtute, in summo quam decet esse viro.
Caditur insidijs, celebrans solenne Lijci,
Inuidiam virtus dat sibi, & illa necem.
Et cautè, & timidè, genio seruite potentes:
Exitio multis lux genialis erat.
Hac Cyrus interijt, Macedo interijtq; Philippus,
Hac est Argolicis, Troia cremata, rogis.

ANno Domini 1295. Premislaus princeps maioris Poloniæ & Pomeraniæ, regni habenis præficitur. Hic omnibus principibus finitimis terrorem incusserat: ideo Marchiones Brandenburgenses, impulsu regis Bohemiæ Venceslai, nacta occasione, cùm rex ipse die S. Dorotheæ cum suis conuiuaret, ex improuiso in eum irruerunt: multisq; vulneribus affectum (quamuis sese strenuè cum suis aulicis defenderet) occiderunt. Septem tantum menses regno præfuit.

Premislaus rex occiditur.

VENCESLAVS BOHEMIÆ REX.

AD Venceslai vsq; dies, Auguste, Bohemi,
Scortea Sauromatis tota moneta fuit.
Nummus erat pellis, detracta animantibus illis,
Quas aspergillos patria nostra vocat.

Hoc ego dum cuidam narro, qui strangulat amplo
Arcas argento, semper egenus ait:
Ergo putrescebant tunc nummi? O dura priorum
Tempora: tunc nasci res miseranda fuit.
Gratia magna Deo, quòd homo sum natus in isto
Seculo: cum pelles non nisi sutor habet.
Quòd si quando Deus mala vult sæcla illa reuerti,
Tunc ego, tunc superi, miluius esse precor.

ANno Virginei partus 1300. Vladislaus rex Bohemiæ ad regnum Poloniæ vocatur. Cum Vladislao Cubitali de regno acriter contendebat, omnesque possessiones & arces ei ademit, quibus non Polonos sed Bohemos præfecit. Vladislaus verò omnibus spoliatus (ad quem monarchia iustè competebat) in Hungariam exulans perrexit, inde Romam petijt. Demum Roma in Hungariam reuersus, sumptis ab Hungaris auxiliaribus copijs, varijs excursionibus Bohemos in Polonia infestabat. Postea Pelcen, Visliciam, & Lelouiam arces occupauit. Tandem post nebulam (vt dicitur) Phœbo illucescente, Venceslao Bohemo è viuis sublato, Vladislaus Cubitalis regno multis ab annis expectato potitur. Hic Venceslaus Bohemus, primus monetam argenteam, grossos videlicet Bohemicos, in Poloniam intulit: qui adhuc in vsu Cracouiæ passim habentur. Primò verò frustulis quibusdam argenti, pellibusque aspreolorum, & cæterarum rerum transmutatione, necessaria comparabant. Eo quoque regnante, Cracouia muro cincta est.

Peregrinatio Vladislai exulis.

Vladislaus regno potitur.

Argentea moneta in Polonia.

VLADI-

VLADISLAVS CVBITALIS VVLGO Lokietek.

COrpore paruus eram, cubito vix altior vno:
Sed tamen in paruo corpore magnus eram.
Non ego Prussorumq;, Bohemorumq; eruorem
Jactabo, cladem nec Gedimine tuam:
Fortunam vici, cum qua mihi bella fuerunt,
Vt niger è terris triste volârat iter.
Ter cecidi regno: per te Rhamnusia semper
Post lapsum erexi maius ad arma caput.
Corde viris opus est magno, non corpore: magnum
Qui strauit Goliam, nonne pusillus erat?
Ingentem paruus Polyphemum vicit Vlysses.
Sed tamen ille hominem: tam graue numen ego?

ANno Domini 1306. Vladislaus Cubitalis, post multa pericula perpessa, frequētibusq; repulsis exantlatis, monarcham Polonię se gerere cœpit. Hic eodem anno, collecto exercitu, contra Henricum ducem Glogouiæ, in Silesiam processit: quā flammā, ferroq; nullo repugnante peruastauit. Postea anno Domini 1320. Vladislaus prędictus dux, in verum regem & monarchā Poloniæ coronatur cum Heduigi consorte sua: ab eoq; tempore ecclesia Cracouiensis iure coronādi Poloniæ reges primùm dotata, & priuilegiata est. Primò enim in loco minimè tuto Gneznæ coronabantur. Demum anno Domini 1326. validioribus copijs ex Lituanis, Ruthenis, & Polonis conscriptis, rex Vladislaus, cædem fratris Præmislai vlturus, in prouincias Marchionum Brandeburgensium infestis armis excurrit: omniaq; ab Odera fluuio & à Brandeburga, Francofordiam vsque

Vladislaus Silesiam vastat.

Cracouia pro coronatione regum delecta.

In Marchiā vastabūdus contendit.

in latitudinem & longitudinem igne, & gladio peruastauit: multisque spolijs onustus, cum sex millibus captiuorum, ad sua in pace reuersus est. Cum Crucigeris Prussiensibus plurima bella gessit. Postea cùm præfati Crucigeri iniustè in Polonia grassarentur, eorum iniuria rex prouocatus, exercitum in Prussiam duxit, cum validissimis; Teutonicis copijs, anno Domini 1331. mense Septembri, ingenti armorum fragore acerrimè conflixit, ac primas acies Polono milite protriuit, fugauit & dispersit. Postea viribus recentes phalanges Teutonicorum (quibus præerant Commendatores Russer de Plauno Comes, & Otto magnus de Brunsdorff) contra Polonos processerunt, bellumque redintegrauerunt: omnes tamen à Polonis prostrati sunt. Cæsa sunt in eo cõflictu 4000. Crucigerorum Prussiensium, cum plurimis Commendatoribus. Postea Vladislaus Cubitalis infirmitate correptus, extremum diem vitæ Cracouiæ clausit, anno Domini 1333.

Cum Crucigeris acre certamen.

Crucigeri prostrãtur.

CASIMIRVS MAGNVS.

Nil hoc splendidius, nil magnificentius vno est,
Quodcunq; illius respiciatur opus.
Legibus armauit patriam placidumq; sub illo
Libertas ad nos protulit alma caput.
Oppida tot cinxit muris, quot pæne per omne
Hoc regnum muris oppida cincta vides.
Tres simul hospitio excepit cum Cæsare reges,
Cum tibi dat neptem, Carole quarte, suam.
Rex ingens opibus, bello, pietate: quid illum,
Quid premis infami Cypria sola notha?

Hunc

Hunc dici Magnum, est iniuria magna Poloni,
Iure suum nomen, Maximus, esse potest.

ANno Domini 1333. Casimirus Magnus, patri iustis persolutis, rex cõmuni omnium acclamatione salutatur. Regnum oblatum ex omni parte in primis pacificatur: in seditiososque, & passim latrocinantes animaduertit. Postea anno Domini 1339. Ludouicum nepotem ex sorore, Caroli regis Hungariæ filium, successorem post se in regno Poloniæ assignauit, & declarauit, constituitq;. Tandem 1340. Casimirus armata manu in Russiam progressus Leopolim regionis metropolim cepit: vnde thesauros ingentes asportauit. Deinde ad Volodimiriam contendit: qua expugnata, Cracouiam triumphãs exercitum reduxit. Denuo in Russiam validioribus copijs cinctus descendit: hasq; prouincias, cum ciuitatibus ad deditionẽ compulit, Premisliam, Haliciam, Leopolim, Sanociam, Lucouiam, Volodimiriam, Lubaczouiam, Treblouiam, Tustaniam, & complures alias, quæ hucusque à regno Poloniæ non separantur. Tertiò Casimirus anno Domini 1349. exercitum in Russiam duxit, arcesque quas nondum possederat, suæ ditioni subegit.

Casimirus Leopolim cepit.

Volodimiriam expugnauit.

Casimirus Russiæ prouincias tributarias reddidit subiugauitq;.

Postea anno Domini 1363. Casimirus rex Carolo 4. Romanorum imperatori, neptim suam Elisabetham, ducis Stolpensis filiam in matrimonium dedit: ad nuptiarumque solennia ipse Carolus imperator, Ludouicus quoque Hungariæ, Petrus Cypriæ, Sigismundus Daniæ reges, Otto Bauariæ, Semouitus Massouiæ, Boleslaus Suidniciæ, Vladislaus Opoliæ duces, satis splendido apparatu Cracouiam con-

Ad nuptiarum solẽnia tres reges imperator, & multi principes à Casimiro inuitantur.

uenerunt, absolutoq; nuptiarum conuiuio, quidam ciuis Cracouiensis, Vierinok nomine, à Rheno oriundus, thesaurarius regius, hos omnes reges & principes cum imperatore, lautissimo conuiuio aliquot diebus excepit, muneraq; insignia singulis obtulit.

Casimirus à pedis fractura mortuus.

Anno tandem Domini 1370. Casimirus rex, iuxta Przedboriam ciuitatem, inter venandum, ceruum insequens, equo succumbente pedem fregit: à quo vulnere spiritum exhalauit Cracouiæ: ibidemque sepultus. Hic omnes ferè ciuitates & arces, in Polonia muro cinxit: plurimasq; arces & Basilicas condidit. Legibus quoque tam equestribus, quàm ciuilibus patriam locupletauit, quæ hucusq; vigent; & omnes reges antecessores suos, summa dexteritate in promouendis thesauris & prouentibus regni superauit: ideo Magnus iure appellatus est.

Casimirus bonus pater familias.

LVDOVICVS HVNGARVS.

NOn quia vir fuerit, nequaquã Ludouicus, & vltor
Crudelis nostras non bene rexit opes.
Sed quia Pannoniæ, dum plus amat arua paterna,
Linquebat sæuis istud ouile lupis.
Qui nouit quid agant famuli, si longius absit
(Præsertim fuerit qui minus asper) herus.
Hic videt arumnas, quas multa absentia veri
Pastoris nostrum tum cumulabat auis.
Illo rege quidem leges creuêre: sed illo
Rege tamen, robur non habuêre suum.
Lex nisi tutores habeat, contra arma potentum:
Est quod araneolus subtrabe nectit opus.

DEcedente Casimiro Magno absq; hærede masculino legitimo Ludouicus rex Hungariæ nepos

pos eius, anno Domini 1370. sacrum diadema Polonicum suscepit. Eo in Polonia regnante nihil memoria dignum gerebatur: sed homicidia, latrociniaque passim exercebantur, propter absentiam illius. Qui verò de iniuria sibi illata in Hungariam ad regẽ proficiscebantur, hi à rege ad reginã: à regina verò ad factores regios, & à factoribus ad gubernatores in Poloniã cum literis relegabantur, plurimisq; iniurijs, & angustijs Polonia tunc temporis, premebatur.

Postea anno Domini 1381. Ludouicus filiã suam Mariam, Sigismundo Marchioni Caroli quarti Romanorum imperatoris regis Bohemiæ filio, desponsauit, regemque Poloniæ post se futurum declarauit. Qui in Poloniam armata manu veniens, quasdam rebelles puniuit: rectaque contra Massouię ducem exercitum duxit, qui etiam sceptra iure propinquitatis affectabat. Massouia itaque flamma & ferro peruastata Posnaniam maioris Poloniæ metropolim profectus, ab omnibus honorificè pro monarcha agnoscitur. Interea verò Ludouicus Hungariæ & Poloniæ rex è viuis decedens, Albæ regiæ sepelitur, anno à Christo nato 1382. Regno Polonię 12. annis præfuit. Poloni itaque Ludouici regis morte audita, consilium clandestinum inierunt, vt Sigismundo relicto pro hærede regni, Ludouici regis filiam ad se reciperent: eamque in matrimonium tali principi, qui rempub. rectè gubernaret, ab hostibusque vindicaret, locarent. Regina itaque Hungariæ Ludouici coniunx, filiam Heduigim in Poloniam misit, quæ honorificentissimè à Polonis proceribus accepta, sacro diademate solenniter Cracouiæ ex more coronata est.

Sigismũdus Caroli filius regnum Poloniæ sibi obtinere tentat.

Poloni Sigismundo spreto pro hærede regni filiam Ludouici accipiunt.

Iagielo Lituanus. Heduigim Poloniæ hæredem cum regno sub conditionibus petit.

Anno igitur Domini 1385. Iagielo magnus Dux Lituaniæ certior factus de Heduigis reginæ ex Hungaria in Poloniam aduentu, pulcritudine, moribusque eius honestis commotus, oratores ad eam fratres suos, Skiergielonem, & Borissum cum perampliis muneribus destinauit: coniugium regnumq; dotale expetens, promittens se cum vniuersa gente sua baptisaturum, omnesque ciuitates & arces cum suis prouincijs, quas Lituani à regno abstraxerunt, & etiam captiuos liberaturum: insuper etiam Magnum ducatum Lituaniæ cum regno Poloniæ vniturum, & incorporaturū; Silesiam, Prussiam, Pomeraniam armis recuperaturum, thesaurosque omnes in vsum regni Poloniæ conuersurum; omnia denique quæ ad amplitudinem reipub. Poloniæ, & ad incrementum totius Christianitatis spectarent, acturum curaturumque. Hæc legatio Lituanorum, grata periucundaque Polonis erat: sed regina eam detractabat: à barbari enim matrimonio abhorrebat. Nam adhuc patre viuente, Wilhelmo Austriæ duci desponsata erat: ideo illum priorem sponsum ardenti animo complectebatur. Qua de causa oratores Polonorum legationem Iagielonis Lituani, ad reginā Helisabetham in Hungariam detulerunt, quæ in omnibus se contentam esse respondit, quidcunque boni proceres regni constituerint. Legati igitur Polonorum in Lituaniam profecti, vt Iagielonem in Poloniam cum promissis muneribus, Heduigi reginæ maritum, adduxerunt. Interea verò Wilhelmus Austriæ dux, certior rerum Polonicarum factus, Cracouiam splendido aulicorum equitatu stipatus cum ingentibus muneribus, ad præcipiendum matrimonium

Oratores in Lituaniam pro Iagielone.

Wilhelmus Austriacus Cracouiam venit.

nium venit, à reginaq; alacriter acceptus, multa conuiuia quotidie alterutrum celebrabant, choreisque honestè tamē & modestè indulgebant: qua de causa proceres Poloni Wilhelmum Austriacum apud reginam videntes acceptum, gratumque hospitem, & propensam vtriusq; erga se voluntatem animaduertentes, in arcem eum deducunt: cum regina desiderato matrimonio copulant. Sed Iagielonem aduenisse audientes Wilhelmum ex arce propellunt, portasque post eum obserant. Cuius expulsionem regina animo egrè ferens, suis manibus seras portę frangere, & contundere cœpit: optatis cum eo nuptijs in ciuitate fruitura. Sed per cōsiliarios longa dissuasione à proposito retracta est. Wilhelmus verò videns sibi proceres Poloniæ apertè & obstinatè aduersari, de aduentuque Iagielonis audiens, è Cracouia cum suis (relictis thesauris) clandestinè discessit.

Wilhelmus Austriæ dux, Cracouia ejicitur.

IAGIELO SIVE VLADISLAVS Lituanus.

Hic gentilis erat Lituanus de stirpe Iagello,
Vir bonus, & tantas inter honestus opes.
Mox est cæsti princeps baptismate tinctus,
Quem subitò est dominum gens imitata suum.
Hinc dotale capit pulcra cum coniuge regnum,
Et tribuit Litauis signa Polona suis.
Rege sub hoc memorem suscepit Prussia cladem,
Sæpius & rigidus concidit ense Getes.
Quam multa in regno struxit delubra Polono,
Monstrat Gymnasium sat puto Croca tuum.
Et linquens gratos ex iusta coniuge natos,
Lucida fulgentis scandit ad astra poli.

Lituanus in regnum Poloniæ acceptus.

ANno à Christo nato 1386. Iagielo magnus Dux Lituaniæ (cuius genealogia in Lituaniæ descriptione latius patet) cum fratribus suis Borisso, Suidrigielone, & Vitoldo, Cracouiam satis splendidè 12. Februarij venit: vbi ab omnibus ingenti cum lætitia acceptus & in arcẽ honorificè deductus est. Itaq; 14. die Februarij, cum fratribus in fide Christiana instructus, sacro baptismi fonte abluitur, & Vladislaus appellatur. Eadem die baptismo absoluto matrimonium cum regina Heduigi contraxit, magnumque Ducatum Lituaniæ, Samogitiæ, Russiæ, sicut promiserat regno Poloniæ incorporauit, vniuit, diplomatibusque, & iureiurando cõfirmauit. Tandem hebdomada elapsa in regem Poloniæ solenniter constituitur, & sacro diademate coronatur. Postea nuptiarum solennis peractis, Iagielo cum regina in maiorem Poloniam sub Quadragesimæ tempore profectus est, propter pacificandas seditiones, quæ per Domaratum capitaneum generalem maioris Poloniæ, & Vincentium Palatinum, excitabantur. Rebus itaque in Polonia maiori compositis, in Lituaniam expeditionem adornauit, nolens eam amplius cultui idolorum & dæmonum vacari: in Comitatu suo magnam procerum, & equitum Poloniæ cateruam habens. Archiepiscopus quoque Gnesnensis, plurimisque ecclesiasticorum, & Semouitus Massouiæ, Conradusque Olensniciæ duces eum secuti sunt. Vilnæque solenniter conuentu indicto, sub initium Quadragesimæ, de vano idolorum cultu abolendo tractare cœperunt, sicque illa gens barbara Lituaniæ, & Samogitiæ sacro baptismi fonte lauata est. Portò turmatim stantes aqua lustrali (nomine vniq;

Lituania Poloniæ adiuncta.

Expeditio in Lituaniã Iagielonis.

Lituania & Samogitia ad fidem Christi conuertitur.

cuiq; turmæ, Stanislai vel Petri, &c. imposito) aspergebãtur, prout latius in descriptione Lituaniæ patet.

Rebus in Lituania pius rex rectè dispositis, Vitoldum patruelem summæ rerum præfecit, in Poloniamq; reuersus rectà in Silesiam exercitum duxit, arcesque & ciuitates sub Vladislao duce Opoliensi rebelli cepit: Krzepice, Bobolicze, Olstin, Brzeznice, Ostreseuo, & Grabouo dictas, Boleslauiecz arx septem annis obsidebatur, quam postea Ofka ducissa vidua, penuria cõmeatus coacta regi subdidit. Dux igitur Opoliensis reliquas arces quadraginta millibus florenorum, videns se eas non posse defendere, Crucigeris Prussiensibus vendidit, quas illi suis præsidijs munierunt: sed rex destinato exercitu cæteras arces ditioni suæ subegit.

Iagielo arces in Silesia recuperat.

Opoliensis dux arces vendit.

Moritur anno Domini 1399. Heduigis regina, de cuius vitę sanctimonia testãtur annales Polonorum. Postea anno 1400. regi Cilicienſis Comitis de Hungaria filia Anna Cracouiam allata est.

Heduigis moritur.

Tandem anno Domini 1410. rex armatis copijs cinctus contra Prussienses Crucigeros profectus, superato Vistula fluuio ad Cierniensko oppidum castra metatus est, vbi etiam Vitoldus patruelis regius cum suis Lituanis & Tartaris venit. Semouitus quoque & Ianusius Massouiæ duces, suas cohortes adduxerunt, viribus itaque coniunctis castra ad Tanebrigum & Grimoaldum oppida mouerunt. Interea verò rege officium missæ manè in tentorio audiente, duo nuncij alterutrum sese anteuertentes venerunt, nũciantes iam iam imminere sibi Prutenos. Attamen rex pius à diuino officio quin prius absolueretur discedere noluit: quo absoluto mili-

Expeditio cõtra Prussienses Crucigeros.

Iagielonis deuotio.

tem in acies celeriter instruxit, quinquagintaque vexilla Polonorum ordine suo distribuit. Vitoldus similiter copias suas contra hostem rectè direxit, quadragintaque vexilla Lituanorum iusto ordine disposuit: quibus Tartarorum manum ingentem adiunxit. Interea verò magister Crucigerorum Prussiensium, Vlricus Iungingen illudens regi, duos gladios euaginatos, totidemq; clypeos ei dono misit, dicens: Quid remoraris prælium ô rex, si tibi desunt gladij, en tibi vnum, fratrique tuo Vitoldo alterum mitto: si verò campum ad ordinandum exercitum arctum habes, ego tibi suo cedam. Rex igitur pius gladios oblatos humiliter accipiens ingemuit dicēs: Quamuis armis omni generis abundo, attamē hoc munus per quod mihi signum victoriæ (Deo fauente) datur, libenti animo accipiam. his dictis, signa vtrinque canuntur, inde maximo clamore infestis signis concurritur: Tartari & Lituani arcubus & sagittis assueti, creberrimo telorum iactu æthera obumbrant, à Teutonibus tamen in primo conflictu fugati sunt, in quorū locū Poloni armis & viribus recentes, cum ingenti sonitu, armorumque fragore successerunt, Prutenasq; acies perfregerunr; & vndique circumdatas, ad internecionem funditus prostrauerunt. In hoc cōflictu magister Crucigerorum Prussiensium, Vlricus cum suis Comēdatoribus (quos Siluius 300. recensēt) occubuit: Duces quoque Stetinensis & Olesnicienſis capti, cum multis alijs præcipuis Germanis equitibus. Cæsa sunt tunc temporis 50000. Prutenorum, Teutonicorum. Siluius verò 40000 testatur. Ingentes exuuias ex castris Prutenorum Poloni tulerunt: victoriamque insignem obtinuerunt, & vexilla

Superbia Crucigerorum.

Humilitas Iagelonis.

Certamen acre initur.

Magister Crucigerorum cæsus omnisq; exercitus suus prostigatus.

Ordinis cōmendatores erant quasi Palatini prouincijs cōmendatis præsidentes.

& vexilla hostium præcipua 50. ad perpetuam rei memoriam Cracouiæ in Basilica arcis posuerunt. *Poloni triūphant.*

Denuo crucigeri auxiliares copias ex Saxonia, & à Sigismundo Romanorū rege corraserunt, quibus Poloni pro temporis necessitate exercitu conscripto occurrerunt: manusque cum eis conseruerunt. Interea quidam eques Polonus Ioannes Missai exercitum Crucigerorum strenuè dimicando, ad vexillum vsque principale pertransiuit. Vexilliferoque trucidato vexillum arripuit, & post tergum sibi infixit, ad suosque acies diuerberans incolumis redijt. Crucigeri itaq; vexillo orbati, ordinibus solutis, terga verterunt, quos Poloni insequentes per agros & syluas pallantes passim trucidabant, in quo conflictu 10000. Teutonicorum cæsa sunt. *Alius cōflictus Polonorū cum Crucigeris.* *Poloni palmam victoriæ è Crucigeris obtinent.*

Eodem anno Hungarorum copias duodecim vexilla habentes, in Poloniam excurrentes, Poloni fuderunt. Postea anno Domini 1414. rex cum Vitoldo ingentem in Prussiam exercitum Polonorum & Lituanorum: (quod Crucigeri promissis non starent) duxit, plurimasque ciuitates & munitiones expugnauit. Militibus autem & equitibus Lituanorum in bello bene meritis insignia stemmataque nobilitatis Poloniæ pro donarijs distribuit. *Poloni Hungaros trucidant.* *Poloni cum Lituanis Prussiam diripiunt.*

Tandem anno Domini 1432. rex Iagielo senio confectus multis gestis strenuè editis, Vladislao & Casimiro hæredibus relictis, vitam cum morte feliciter cōmutauit. Cracouiæ in Basilica arcis sub marmoreo sacrophago vbi sua imago expressa est, terræ mandatur. *Lituani insignia nobilitatis Polonorum accipiunt.* *Iagielo moritur.*

VLADISLAVS QVINTVS.

Ladislae tibi regale Polonia sceptrum
Contulit, ob proprij splendida facta patris.
Hinc quoq; & Vngaricus defert diadema senatus,
Et quæ sunt latiu gera multa soli.
Egregia verò tu præditus indole regnas,
Ac regis imperio subdita regna tuo.
Nec piguit Macedum fines vastare remotos,
Nominis vt foret gloria nota tui.
Donec inire petit tecum trux fœdera Turca,
Quod facis: at latius frangere Papa iubet.
Cui tu dum pares, te ad Varnam Marte paludem
Fudit Amurates, & tua castra capit.

Polonus Hungariæ rex coronatur.

IAgielone Vladislao è viuis decedente, Vladislaus filius eius, anno Domini 1434. habenas regni moderandas suscepit. Tandem anno 1437. Sigismundo imperatore Romanorum, rege Hungariæ & Bohemiæ fatis concedente, Vladislaus, Hungariæ procerum assiduis precibus, ad regnum Hungariæ suscipiendum vocatus est. Itaq; anno 1440. in eo profectus, Budæ coronatur.

Vladislaus arces Rascia recuperat à Turcis.

Vladislaus Turcas profligat.

Anno Domini 1443. Vladislaus expeditionem bellicam contra Turcas suscepit, arcesque in Rascia ab eis occupatis recuperauit. Audiens tandem Turcas cõtra se processisse, Ioãnem Hunniadem Palatinum Transiluaniæ, cum armatis copijs Polonorum & Hungarorum aduersus eos destinauit, qui absque rumore in Turcas irruens omnes funditus prostrauit & dispersit. 4000. captiuorum & nouem vexilla abduxit, omnesque Slauonicas prouincias Macedoniam vsq;, Hungari cum Polonis peragrarunt. Turcarum

earum verò imperator exercitum propter Romaniam & Macedoniam defendendam in montibus collocauit. Bassa itaque Turcicus numeroso exercitu fretus, victoriam sperans cum Polonis & Hungaris conflixit, sed spe frustratus cum Turcarum viribus ingenti clade à Christianis prostratus est: adeò vt Turcarum imperator Amurates ad regem Vladislaum legatos pro pace impetranda mittere cogeretur, omnes possessiones, arces & ciuitates in Rascia occupatas restituendo, quibus restitutis, ad decem annos fœdus vtrinque iecerunt, & iureiurando confirmârunt. Interea verò Iulianus cardinalis, legatus Apostolicus ad regem venit: multisque & varijs persuasionibus hoc fœdus irritum fecit, regemque summi pontificis potestate à iuramento, quo se Turcis obstrinxerat, absoluit: vtque expeditionem aduersus Turcam Christiani nominis hostem cum vniuersitate Christianorum susciperet, persuasit.

Turcæ profligantur.

Turca pacem petit.

Papa fœdus frangere suadet.

Vladislaus contra Turcas.

Anno igitur 1444. armatis copijs Rex contra Turcarum imperatorem Amuratẽ processit. Amurates verò re comperta inconstantiæ, leuitatique Christianorum admirabatur, quod Dei sui nomen flocci penderent. exercitu itaq; validissimo ex Asia conscripto, ad Varnam paludem iuxta littus ponti Euxini, prælium acre cum Christianis cõmisit, quos vndiq; circundatos cruenta clade prostrauit, vbi & rex inclitus strenui militis, & imperatoris officium adimplens occubuit cum multitudine Polonorum, quæ clades ingentis mœroris planctusque toto orbi Christiano causa extitit.

Hungari & Poloni cum rege suo à Turcis ob fœdus fractum profligats.

Præfuit Vladislaus Poloniæ regno decem, Hun-

gariæ verò quatuor annis. Anno verò ætatis suæ vigesimo primo, ad Varnam à Turcis occisus est, consilio summi pontificis parens, qui eum ad frangendum fœdus barbaro hosti impulerat.

CASIMIRVS QVARTVS.

POst fratrẽ Casimirus adest, quem Turca peremit.
Sarmaticas iustius qui regit vltor opes.
Eripit & captas Marianis fratribus vrbes,
Æthera terribili discutiente modo.
Hoc duce sacrificij magnas sensêre repulsas,
Hic vbi Castaliam Vistula voluit aquam.
Hinc repetit Mariæ non vi, sed munere castrum,
Prussiaci quod tunc incoluêre duces.
Hunc quoq; Choynitium multis licèt inde peremptis,
Sensit, & illius quæ ditionis erant.
Ducentem reliquæ felicia tempora vitæ,
Fata grauem nobis eripuêre ducem.

ANno humanæ redemptionis 1447. Casimirus magnus dux Lituaniæ, fratri Vladislao Poloniæ & Hungarię regi, à Turcis peremptо in regimine succedit.

Homagium Palatini Valachiæ.

Anno Domini 1448. Petrus Valachiæ Palatinus in verba regis iurauit: tributumque debitum & obedientiam se præstiturum obstrinxit, quem Bochdamus frater ex illegitimo toro natus dominatu propulsare nitebatur: sed ipse à Polonis cum exercitu pulsus, fugatusque & trucidatus est. Tandem anno Domini 1454. legati à nobilibus, ciuibusque Prutenorum venientes, regi sese in clientelam & patrocinium subijcientes venerant. Crucigeri enim intolerabili

lerabili onere adinuentitijsq; eos exactionibus premebant, vxores à viris, virginesque teneras vi tollebant, possessiones, iumenta colonis abstrahebant, vulgum in seruitutem redigentes, eorum opera velut iumentorum in arcibus, mœnibusque erigendis vtebantur, quos rex certo tributo indicto in clientelam suscepit, & sicut pro temporis breuitate potuit, exercitu conscripto, in Prussiam contra Ludouicum Crucigerorum magistrum infestis armis contendit. Ludouicus quoque ingentem exercitum Teutonicum opposuit, prælium itaque ad ciuitatem Choynicze atrox oboritur. Primam alam Crucigerorum Poloni perfregerunt, funditusque profligauerunt; & Baltazarem ducem Zeganensem occiderunt, Bernardumque Stumbarg ducem exercitus ceperunt: vbi verò ad vnam cohortem Polonorum malè ordinatam peruentum est, Poloni Prutenorum vim sustinere non valentes, solutis ordinibus terga verterunt, quos rex frustra tamen vt conuerterentur admonebat: parumq; abfuit quin ipse hostium manus effugerit, multi Poloni cæsi, 300. verò captiuorum abducti sunt.

Prussi à Crucigeris ad regem Poloniæ deficiunt.

Tyrannis Crucigerorum. Expeditio in Prussiã.

Dux Zeganensis occisus.

Clades Polonorum à Crucigeris.

Rex tandem nouis copijs cõscriptis Prussiam infestis armis aggreditur, plurimasque munitiones & ciuitates expugnauit, & occupauit. Prussiæ autẽ magister non habens vnde stipendium suis militibus persolueret, Marienburgam arcem præstantissimam eis in potestatem dedit, quousq; illis stipendium persolueretur. Qui arcem Casimiro regi pro summa 476000. florenorum, anno Domini 1457. vendiderunt, eamque cum omnibus tormentis, instrumentisque bellicis dediderunt. Postea magister Prussiæ

Rex Prussiam vastat.

Marienburga Polonis venditur.

iniuriam à rege sibi illatam vlturus, quasdam munitiones regis in Prussia expugnauit: qua de caussa rex armata manu egressus, Crucigeros cum validis copijs cruenta clade ad internitionem prostrauit: ipse verò Ludouicus magister vix elapsus est: sicque Poloni (quamuis magna cum difficultate) omnibus arcibus Crucigeros exuerunt.

Crucigeri fundituꝰ profligati.

Pax cum Crucigeris.

Tandem anno Domini 1466. Casimirus rex ciuitate arceque Choynici vi expugnata, concordiam fœdusque perpetuum, suffragijs multorum principum adductus, cum magistro Prussię & ordine Teutonico inijt. Ab hocque tempore Pomeraniæ Ducatus, Michlouiensis quoque & Culmensis terra, regno Poloniæ adiuncta est, pro quibus Poloni 180. annis, armis cum Crucigeris decertabant.

Pomerania recuperata.

Casimirus moritur.

Tandem anno Domini 1490. Casimirus rex multis egregijs gestis exactis, vitam cum morte feliciter Grodnæ in Lituania commutauit, filios sex Vladislaum, Casimirum, Albertum, Sigismundum, Fridericum, Alexandrum: filias verò septem, Heduigim, Zophiam, Annam, Barbaram, Helisabetham, &c. genuit. Vladislaus post mortem Matthiæ communibus Hungarorum suffragijs, in regnum Hungariæ euehitur, qui etiam postea regnum Bohemiæ in tutelam suscepit. Albertus verò patri in solio successit, Alexander magnum Ducatum Lituaniæ, Sigismundus Glogouiæ, sorte acceperunt. Fridericus episcopatum Cracouiensem & Posnanienſem accepit, postea inter Romanos patres cardinales scilicet connumeratus.

Casimiri proles.

IOAN-

IOANNES ALBERTVS.

Ducis Ioannes Alberte binominis agmen
Sarmaticum matre id perhibente tua.
Instauraſq; nouo, sed frustra Marte tumultum,
Vlturus patrui funera mœsta sui.
Nam Dacus variat primo quod dixerat ore,
Te contra Turcam velle iuuare ferum.
Instruit horrendos te contra perfidus hostes,
Et fudit populos Marte iuuante tuos.
Vnde nemus nostris patuli memorabile fagi,
Dum sol syderico tramite currit, erit.
Sic igitur multis non fauſtis obruius actis,
Te rapuit iuuenem Parca seuera ducem.

ANno à Christo nato 1492. Casimiro rege è viuis ad superos commigrante, Ioannes Albertus filius in locum eius substituitur: sacroque diademate solenniter insignitur. Ad quem oratores Venetorum venerunt: cuncta prospera, fortunamque contra hostem Christianum propitiam illi exoptantes. Postea Turcarum legati inducias petētes venerunt: cum quibus rex fœdus ad certum tempus pepigit.

Legatio Venetorum.

Oratores Turcarum inducias petunt.

Tandem anno 1494. Albertus rex cum fratre Vladislao Bohemiæ & Hungariæ rege, in Liuocza conuentum habuit: consultantes quomodo cōiunctis viribus, cædem crudelissimam Vladislai patrui sui, vlcisci possint, propositumque constitutum nemini reuelabant. Sed Turcarum imperator omnium exploratissimus erat: qua de caussa legatum magnum ad regem Albertum propter confirmandum fœdus destinauit. Interea verò Stephanus Palatinus

Conuentus Alberti regis cum Vladislao rege Hungariæ fratre cōtra Turcam.

Turca inducias petit.

Valachiæ, vt feudalis, à rege auxilium contra Turcas implorauit: qua de cauſſa rex apertam occaſionẽ vlciſcendi barbari hoſtis nactus, ingentẽ validiſſimumque exercitum ex Polonis, Lituanis, Maſſouitis, Ruthenis, Prutenisque & Sileſijs conſcripſit: expeditionemque in Moldauiam contra Turcas celeriter adornauit. Vbi ſtatim ſigna aduerſæ fortunæ apparuerunt, equus enim generoſus in quodam paruo torrente, iuxta Leopolim Ruſſiæ ſub rege ſuccubuit, pauculoque aquę obrutus eſt. Leopolię etiam eques quidam Polonus Sropski dictus, inſanæ mentis clamabat dicens: Noſtri in ſuum malum proficiſcũtur. Fulmen quoq; quendam equitem in tentorio cum duodecim equis interemit. Palatinus autem Moldauiæ regi commeatum pabuliq; neceſſaria & vniuerſo exercitui, ſe ſuppeditaturum promiſit. Rex itaque falſis eius promiſſis fidem adhibẽs, vbi in Valachiam exercitum induxit, ad Palatinum, vt promiſſis ſtaret, contra Turcasque expeditionem ſecum adornaret, miſit. Ille verò perfidus reſpondit: Caueat ſibi rex à Turcis vel ab alijs, quod auſus ſit in ditiones meas, me inſcio venire. Rex verò ſecũdò & tertiò eum admonuit, vt promiſſa perſolueret: ſed Palatinus hæc flocci pendebat: qua de cauſſa Poloni iniuſtè exacerbati arma quæ in Turcas parauerant in ſuos conuerterunt. Soczauamque Valachiæ metropolim obſederunt: quam grandioribus machinis bellicis admotis oppugnarunt. Sed Vladiſlaus rex Hungariæ inter regem fratrem ſuum, & Palatinum inimicitias per legatos compoſuit. Fœdere itaq; alterutrum firmato: rex infirmitate, partim ex aduerſa fortuna, partim ex nimijs curis correptus, in Poloniam cum vniuerſo

Expeditio Alberti contra Turcarum imperatorem infelix.

Signa aduerſa.

Perfidia Palatini Valachia.

Arma in Turcas parata in Valachos conuertuntur.

uerſo exercitu reuertitur. Cumque in meditullium ſyluæ ampliſſimæ (quæ *Bukouia*, à faginis arboribus dicitur) penetrarent: vbi arbores ſucciſæ erant, Stephanus Palatinus Valachiæ fœdifragus, contra ius diuinum & humanum, à fronte & à tergo armata manu in regis copias irruit, ingentiq; & cruẽta clade Polonos inopinatos oppreſſit, captiuorumq; multitudinem abduxit. Inter quos inſigniores erant, Nicolaus Palatinus Ruſſię, Gabriel Comes à Tenczin, Ioãnes Zpigneuius Capitanei Marienburgenſis filius, & alij complures qui ſanguine ſuo vitam regis redimerunt. Vbi adhuc ſigna huius cladis infelicis oſſa videlicet albentia in hac ſylua ipſemet vidi, cùm magnificus dominus à Lasko, Palatinus Siradiæ, Deſpotam Heraclidem in occupanda Valachia iuuaret, in cuius caſtris ego peditum præfectus fui: anno Domini 1562. Sed ad rem redeo.

Valachus Polonos fœdere fracto ſternit.

Anno Domini 1493. menſe Ianuario, & Februario tantus calor, quod in illis regionibus mirum eſt, in Polonia extiterat, vt pomeria florerent, aues nidificarent, gramĩnaq; pulcerrimè vireſcerent. Poſtea menſe Martio tanta frigora ſubſequuta ſunt, vt hæc omnia gelu arefacta marceſcerint.

Calor inſuetus.

Anno ſequenti iuxta Cracouiam in villa Czarna dicta, mulier quædam puerum cum leporino collo, & auribus peperit: qui ore aperto hiabat. Non multum pòſt altera mulier ſerpentem cum puero edidit: qui ſerpens puerum ad inteſtina vſq; corroſit.

Monſtra nata in Polonia.

Aliud monſtrum.

Anno Domini 1499. Cracouiæ Iudæa mulier vitulum bicipitem peperit, qui vnum caput in cauda, aliud verò in principio habebat: cauda verò in tergo ſita erat, pedes ſeptẽ in dextro latere, in ſiniſtro ve-

Tertiũ monſtrum inter Iudæos natum.

rò nullum habebat: multo tempore extra Cracouiam hoc monstrum, vt ab hominibus videretur expositum erat.

Ioannis Alberti regis mors.

Anno Domini 1501. Albertus rex Cracouia in Prussiam profectus, Toruniæ apoplexia correptus extremum diem clausit. Ætatis suæ 41. anno. regnauit octo annis totidemq; mensibus.

ALEXANDER.

Multa laborati hoc recinunt de rege libelli,
Quam duri promptus Martis ad arma fuit.
Nil illum morbi, nil frigora sæua mouebant,
Vt non incœptum perficeretur opus.
Sæpius insano compressit Iazygas arcu,
Et dedit horrenda millia multa neci.
Indigna vlciscens sæui periuria Moschi,
Illius constans abstulit vltor opes.
Nec tantùm bello studuit, sed legibus æquis,
Subiectam patiens est moderatus humum.
Illa ducis laus est certò verissima magni,
Qui sacra, qui iustum cum pietate colit.

Perfidia Valachorũ vlciscitur.

Anno à Christo nato 1501. Alexander Magnus dux Lituaniæ, fratri Alberto in regimine successit. Postea anno Domini 1506. expeditionem in Valachiam adornauit, multasq; arces ad Tyram fluuium sitas sub Valachis expugnauit. Eodem anno in Lituaniam profectus, Vilnæ infirmitate correptus est. Interea verò Tartarorum 20000. populabundi in Lituaniam excurrerunt, contra quos rex Stanislaus Kiskam Lituanum cum armata manu destinauit: ipseq; sua persona semiuiuus ferè exercitum sequutus est, recensitisq; copijs in Lida arce remansit.

Tartarorũ à Lituanis fusa 20000

Lituani

Lituani igitur inopinatè in Tartaros securos, ad Kleczo oppidum ingenti impetu irruerunt, quos ad vnum cruenta clade fuderunt, & spolia, captiuosque abegerunt. Quæ victoria cùm regi iam iam animam agenti nunciaretur, ille, quamuis beneficio linguæ priuatus, manus tamen in altum extollens, suspirãsque cum lacrymis Deo gratias egit, omnibusque circumstantibus manum porrigens, ad superos commigrauit: anno ætatis suæ 45. Vilnæ vbi & sepultus quiescit: quatuor annis, & mensibus octo Poloniæ regni sceptra tenebat. Magno verò Ducatui Lituaniæ 14. annis præfuit.

Alexander moritur.

SIGISMVNDVS PRIMVS.

Cum iurârat atrox deuicto Glinscius hoste
Suspectam, pulsa suspitione, fidem.
Qui caperet regni post mortem fratris habenas,
Tota Sigismundum terra Polona cupit.
Hoc, qui magnatum tunc nemo tenacior æqui,
Maior consilijs, & pietate foret.
Dos regum decorabat eum clementia, solus
Deq; Iagelona stirpe superstes erat.
Prostrauit fretum numeroso milite Moschum,
Millia quo bello bis cecidere decem.
Quantus amor populoq; suo, externisq; monarchis,
Tantus erat Turcis, & tibi Theuto, tremor.

Anno Domini 1507. curato sumptuosè funere Alexandri regis, Sigismundus frater eius dux Glogouiæ, & Opauiæ Capitaneus generalis, magnus dux Lituaniæ regni gubernacula suscepit. Hic lapsam ferè rempub. Polonam humeris suis e-

Moschouia depredatur.

rexit, qua rectè constituta, & vndique pacata aduersus Moschouiæ principem Basilium armatas copias duxit Tartaris Præcopensibus in auxilium sibi acceptis: arcesque plurimas expugnauit, & suorum præsidijs muniuit.

Eodem anno Tartari in prouincias Russiæ excurrerunt, contra quos Castellanus Leopolienſis, cum quingentis equitibus Polonorum profectus, gentem barbaram auspice Deo inopinatè oppressit, & profligauit, spoliaq; abegit.

Tartari profligati. Valachus Poloniam infestat.

Anno 1509. Palatinus Valachiæ fœdifragus in Russiam armata manu excurrit: Leopolimque spoliauit, vnde thesauros plurimos abstulit, Rohatiniam arcem deditione cepit, de Polonorumque contra se expeditione audiens, in Valachiam aufugit, quem Poloni insequuti, damna in Valachia ferro & igne nullo obstante (ipse enim Palatinus in abditis syluarum latitabat) maxima intulerunt. Hasque munitiones, Dorochiniam, Sczepanouice, Czarnouicze, Botusaniam, Chocimiam ceperunt, Soczauam metropolim regionis grauiter oppugnarunt: sed re infecta multimodis spolijs onusti, vniuersa regione peruastata, ad sua reuertuntur. Cumque Tyram siue Nestrum fluuium traijcerent, Valachij nacta occasione è syluis ad pugnandum instructi erumpunt, cum quibus equitatus aulæ regiæ qui adhuc in hostili ripa remanserant, manus acriter commiserunt, à tergoque hostium aliquot cohortibus Polonorum clandestino trãsmissis, omnem exercitum Valachiorum fuderunt.

Poloni Gleiscuntur, Valachos egregiè.

Valachi cæduntur à Polonis.

Postea anno Domini 1512. Tartari Præcopenses stipendiarij regis, in 24000. equitum in Russiam excurrerunt, ad Visniouiciumq; in Podolia castrametati sunt, ad quorum vim reprimendam Poloni & Lituani expeditionem susceperunt: certamenque acre cum eis commiserunt, & dum vna ala Polonorum ad castra hostium vbi captiui Polonorum Lituanorumque erant, penetrârunt: captiuos soluentes, ad arma excitarunt. Statim igitur captiui soluti à tergo, illi à fronte in Tartarorum ordines solutos irruerunt: quos paruo negocio fuderunt, & celebrem victoriam impari Marte obtinuerunt.

Tartari in Russia grassantur.

Poloni triũphant de Tartaris.

Anno 1514. Sigismundus rex audiens Smolensko arcem munitissimam in ditione Lituanorum à Moschouiæ duce Basilio captam, exercitum ad vlciscendum hostem duxit. Moschus verò 8000. equitum contra regem destinauit: Polonorum autem, & Lituanorum copiæ 35000. non excedebant. Constãtinus itaq; Ostrouuski dux exercitus, strato ponte pedites vltra Borysthenẽ iuxta Orsham oppidum transfert. Equitatus verò augustum vallum sub ipso castro Orshæ superat. Mox vbi dimidia pars exercitus Borysthenem transiret, nunciatur Ioanni Andreæ Celadin, cui summa rerum à Moscho commissa erat, vt hanc exercitus partem inuaderet. At ille respondit: si partem hanc exercitus oppresserimus, quid postea faciemus: cùm cæteri metu perculsi terga vertent, expectemus tantisper dum totus exercitus transferatur: tantæ enim sunt vires nostræ, vt circumuentos hostes Moschouiam vsque velut iumenta agere possimus: tandem quod vnicum restat totam occupemus Lituaniam. Signa itaque vtrinq; canuntur, Moschouitæ primi in Lituanos impetum faciunt: illi haud timidi strenuè resistunt. Postremò

Expeditio regis contra Moschorum ducem.

Cõstãtinus Ostrousti.

Andreas Celadin.

Certamen acre cum Moschouitis.

maxima vi certatur; Lituani ſtudio cedentes ad collem vbi tormenta collocata erant, ea in Moſchos inſequentes exonerant: extremamq; aciem eorum in ſubſidijs collocatã feriunt, turbãt, dirimũtq;: hoc nouo belli genere Moſchi perterriti terga vertũt, quos Lituani cum Polonis conuerſi omnibus copijs effuſis inſequuntur, fugant, confodiunt, cæduntq;, bellum ſola nox diremit. Eſt inter Orsham & Dubrounam, fluuius Cropiuna dictus: in cuius dubijs & altis ripis Moſchi fugientes, tot ſubmerſi, vt curſus fluminis impediretur. Capti ſunt in eo conflictu omnes militiæ præfecti, & conſiliarij, qui ad regẽ miſſi ſunt. Ioannes verò Celadin ſupremus dux exercitus, cum duobus præcipuis viris, Vilnæ in compedibus ferreis detinebatur. Cæſa ſunt tunc temporis Moſchorum 42000. capti 2000. exceptis ijs qui in fuga aquis obruti ſunt. Ex Polonis & Lituanis 300. duntaxat occubuere, ab hoc tempore Moſchouię dux campeſtre prælium nõ audet regi Poloniæ opponere. Moſchouiæ principes accepta ſuorũ clade, Smolensko continuò relinquens in Moſchouiam fugit: Lituanicus verò exercitus Smolensko obſedit: ſed eam capere non potuit, bene enim firmatã Moſchus reliquerat: tribusq; alijs caſtris citra Smolensko occupatis, quibuſdam peruaſtatis præda onuſti ad ſua reuerſi ſunt.

Moſchouita crudeliter proſligũtur.

Numerus Moſchorum occiſorum.

Moſchus fugit.

Smolensko obſidetur.

Anno Domini 1515. menſe Iulio, Sigiſmundus Poloniæ, & Vladiſlaus Hungariæ Bohemiæq; reges, fratres germani, cum Maximiliano imperatore Viennæ Auſtrię conuentum inſigni ſplendidoq; apparatu habuerunt.

Conuentus regum Poloniæ & Hũgariæ cum imperatore.

Tandem anno Domini 1518. Bona Ioãnis Sforţiæ ducis Mediolanẽſis filia, Sigismundo regi Cracouiam

Bona ducis Mediolani filia Sigiſmundo nupta.

uiam allata eſt: cui epiſcopi, magnates, equitesq; Polonorum, inſigni ac ſplẽdido apparatu obuiam proceſſerunt. Hæc anno Domini 1520. filium Sigiſmundum Auguſtum Cracouiæ in abſentia regis peperit.

Anno 1525. Albertus Marchio Brandenburgenſis, magiſter in Pruſſia ordinis Teutonici, poſt plurima bella & ſimultates cum Polonis ſuſceptas, videns fruſtra contra ſtimulum calcitrare, regni Polonię Sigiſmundo iuramentum Cracouiæ ſolenniter præſtitit, habituq; ordinis abiecto in ducem ſæcularem Pruſſiæ creatus eſt.

Magiſter Pruſſiæ ordinis Teutoniciregis ſuum ſubit.

Poſtea anno Domini 1526. decedentibus immatura ætate Staniſlao & Ioanne ducibus Maſſouiæ: Ducatus Maſſouiæ regi Poloniæ ceſſit.

Maſſouia Polono regi ceſſit.

Anno Domini 1530. Sigiſmundus ſecundus Auguſtus, patre viuente ſacro diademate ſolenniter Cracouiæ coronatur, decem duntaxat ætatis ſuę annos habens.

Sigiſmũdus Auguſtus coronatur.

Anno 1531. Petrilo Palatinus Valachiæ infeſtis armis in Pokuciam irruit, Snijatinq; & coloniã cum adiacentibus pagis exuſſit. Rex itaq; ſex millibus militum pro ſtipendio conſcriptis, Ioannem de Tarnouia Comitem eis præfecit, contra Valachiosq; deſtinauit. Poloni igitur ad Obertinã caſtra metati ſunt, in loco munitiſſimo. Petrilo verò Palatinus Valachię cum quinquaginta millibus Valachiorum, & Turcarum atque Hungarorum in colle editiori ſeſe apparuit: tormentaq; bellica aliquot in Polonos direxit: nihil tamen effecit. Poſtea vtrinque tormenta exonerantur, plurimosque Valachiorum Poloni globis glandibusque ferreis trucidant. Inde infeſtis armis maximo clamore vtrinque concurrunt, gladijs, lan-

Valachus Polonian infeſtat.

ceis, omniq; telorum genere res geritur. Poloni fortitudine, Valachij multitudine superabant. Postea Poloni tormenta, bombardasque in Valachos exonerant, exercitumque eorũ fudunt, dissipant, & vndiq; affligunt. Sicque Valachij ordinibus solutis terga vertunt, quos Poloni omnibus copijs effusis insequuntur, fugant, cædunt, turbant, trucidantque. Itaque omnis generis rerum copia ex castris eorum onusti, quinquaginta maioribus tormentis ablatis, milleq; captiuis insignioribus abductis, ad regem reuersi sunt cum insigni victoria.

Acer conflictus.

Poloni Valachos profligant.

Tres soles. Anno Domini 1532. in Morauia supra Olomunciam tres soles apparuerunt.

Anno 1535. Ouczina tutor, gubernatorque moderni ducis Moschouiæ, valida manu in Lituaniam excurrit, quam igne & ferro peruastauit, quindecim milliaribus à Vilna reuersus est. Rex itaque Poloniæ milites stipendiarios, voluntariosque, quibus Ioannem de Tarnou præfecit, in Moschouiam destinauit, cum quibus Lituani vires suas coniunxerunt, finesq; hostiles ingressi arcem Homel expugnarunt, suisque præsidijs munierunt. Indè recta ad Starodub arcem munitissimam, in qua OWczina, Suyski, & KoluczoW cæterique proceres Moschorum erant, contendunt: eamque grauiter tormentis bellicis adactis oppugnant. Moschouitæ quoque quorum numerosa multitudo in arce fuit strenuè sese defendũt. Arx ex roboribus ædificata terraq; & lapidibus propugnacula, & parietes impletæ erant: ideo tormenta incassum exonerabantur. Postea pulueribus, bombardarijs suppositis, arcem incenderunt: thesaurosq; ingentes quibusdam flamma absumptis asportauerunt.

Moschouitæ Lituaniam vastant.

Poloni in Moschouiã cõtendunt.

runt. OWczina gubernator totius Moschouiæ, Suijski, KoluczoW, cæteriq; magnates & proceres Moschouiæ capti sunt. Vulgi verò multitudo exercitum regium numero 60000. superabat: qua de caussa Ioannes Comes de TarnoW, supremus dux exercitus, omnes senes, plebeios, & parum idoneos decollari iussit, iuuenibus, nobilibusque & virginibus relictis.

Starodub capta.

Anno Domini 1548. Sigismundus rex multis gestis præclaris summa cum laude strenuè editis, imperioq; in pace relicto, & reipub. rebus rectè dispositis, vitam cum morte feliciter commutauit, ipso die solenni Paschę, ætatis suę 81. annos, menses duos, & dies septem peregit, Cracouiæ in Basilica arcis honorificè 26. die Iulij sepultus:

Sigismũdus moritur.

Martinus Bielski Polonus, qui annales Polonorum vulgari lingua conscripsit, facit mentionem, in principio imperij huius Sigismundi primi: nobilem quendam Iacobum Melstinski, prætorem de Brezinij ciuitate, ex leuitate quadam animi, seu potius desperatione, nomen autoritatemque Christi sibi asciuisse, Petrumq; Zatorski ciuem Cracouiensem, ceterosque sibi similes latrones duodecim, secundum numerum apostolorum elegisse: singulisque nomina apostolorum imposuisse: se verò Iesum Christum appellasse. Qui per villas vbique ambulantes, prodigia morionum, & prestigiatorum more exercebant: sycophantasq; alios, & latrones velut mortuos subornantes suscitabant: pisces in paludes lutosas primò impositos, vbi nunquam eos nasci possibile erat, in nomine Christi sui manibus capiebant: panes in fornaces imponebant: in nomine Christi cum illic an-

Melstinska se Christum fore finxit.

Latrocinij insigne.

tè non essent, depromebant, cum ingenti simplicis vulgi admiratione. Quodam tempore ad Cestochouiam monasterium diuæ Virginis imagine celebre, prædictus Christus cũ suis apostolis vbi adhuc ignotus erat, venit, cumque illic aliquot diebus morarentur, vnum ex suis quasi obsessum à dæmone subornauerunt, cuius opera victum acquirebant, cum sua coquina carerent: ille enim quasi dęmophoretus per hospitia, diuersoriaque ambulans, carnes de coquinis rapiebat, in suosq; proijciebat, qui cruce illas munientes carnes comedebant. Illic autem ingens erat confluxus populi tũc temporis ad diuę Virginis imaginem, quæ ibi perinde, vt apud nos in Loreto miraculis celebris est. Prædicti itaq; sicophantę, illum obsessum suum, ad altare diuæ Virginis ducunt: duplici veste ad id studiò præparata indutum, in cuius intercapedinem necessaria imponere possit: lapillos verò intra indusium à corpore ei imposuerunt, cumq; ad altare deduceretur, ille è manibus ducentium furibundus, sese propipiens, in altare oblationibus pecuniarijs onustum irruit, pecuniasq; de altare rapiens in vestis duplicatæ intercapedinem eas imponebat. Monachus verò ab altari diuino officio intermisso aufugit: cæteri monachi stupidi accurrentes cingulũ illius resoluunt, putantes eum pecuniam intra indusium posuisse: sed lapilli duntaxat quos antè studiò imposuerat, in terram exciderunt: pecunia verò in veste duplicata remansit. Monachi igitur mœsti pecuniam arte dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorcismos, orationesque supra lapillos sine intermissione fundunt: vt deinde in pristinam formam transformarentur: sed cum lapilli immutati in sua

Exorcismi supra lapillos.

sua forma perseuerarent, monachus librum Agendam (vt dicitur) indignabundus in terram proiecit dicens: adhuc talem dæmonem nunquam experti sumus: abite cum eo ad omnes dæmones. Hoc latrocinio prædicti sicophantę perpetrato, cum illa pecunia rectà in Silesiam vicinam Poloniæ perrexerunt, simplicem vulgum suis præstigiationibus seducentes, vbi ad quandam matronam nobilem, in quodam pago diuertentes, dicunt ad illam: Christus te cum suis apostolis visitat ô mulier, ideo te offer illi, & saluabitur anima tua. Illa verò virum domi non adesse, in cuius absentia id sibi non licere, respondit. Cui Apostoli dixerunt: Habesne mappas vel telam ad sacrificandum: mulier verò ligaturam telæ illis obtulit. Qui dixerunt, hanc nobiscum accipiemus, Christusque tibi benedicet, vt tibi linum abundantius crescat, ostende aliam si habes telam: quam cùm similiter accipere volebant, mulier dixit: non dabo vobis hanc: maritum enim timeo. Illi autem frustulum fomitis cum in igne telam inuoluentes mulieri reddiderunt: quam illa nihil suspicans in cistam reposuit. Itaque cista à tela, à cista verò domus accensa in flammam abijt. Vir igitur illius vxoris reuersus, domum conflagrantem inueniens: causam scisitatur, cui vxor se malè Christum cum suis Apostolis tractasse respondit: ideo hanc plagam iniustè in se permisisse. Vir autem ira excandescens, latro hic inquit nequissimus, & non Christus fuit. Ideo cum vicinis malefactores persequitur, quos in quadã villa insequuti sunt. Ille itaq; pseudochristus re animaduersa ad illum qui vocabatur Petrus dixit: Petre, iam mea passio, calixq; quẽ bibiturus sum appropinquat.

Aliud latrocinij pseudochristi.

Fugà pseudochristi.

Cui Petrus: Et mihi vt video Domine imminet. Christus verò dixit: Petre, ego aliter non possum, nisi per fenestram hinc euadere. Ad quem Petrus: Et ego te quoad viuam non derelinquam Domine, sed quocunque tu fugeris, sequar te. Sicque ille Christus per fenestram, Petro sequente, aufugit: cæteri quoque Apostoli quà potuerunt euaserunt. Quos villani vnà cum suo Christo insecutos, & vndique circumuentos baculis, fustibusque præustis cædunt, dicentes: Prophetisa nobis Christe cum tuis Apostolis, qua in sylua hi baculi creuerint. Sicque plagis emendati vitam suam pœnitentiam agentes, postea emendarunt, dicentes: Difficile est nobis Christi passionem, Apostolorumq; tormenta subire.

Pseudochristus cum Apostolis baculatur.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS.

Sigismundus 2. Augustus.

ANno salutiferi Virginis partus 1548. iustis Sigismundo primo honorificè sumptuoseq; persolutis, Sigismundus Augustus, filius eius magnus Dux Lituaniæ, regni habenas moderandas suscepit, quas summa cum prudentia & fortitudine in pace gubernauit.

Prima vxor Augusti.

Hic anno Domini 1543. Ferdinandi Romanorum Hungariæque & Bohemiæ regis filiam Helisabetham, matrimonio sibi copulauit, quæ Cracouiam honorificè allata est. Postea immatura ætate & sine prole anno Domini 1545. decimaquinta Iunij è viuis decessit.

Secunda vxor.

Deinde Barbaram Lituanam ex domo Radiuilorum, quę antè Gastoldo Lituano nupta fuerat, duxit. Inuita matre regina Bona, proceribusq; Poloniæ repugnantibus, hocque matrimonium indignè ferentibus,

tibus, & parum abfuit quin rebellio eorum cœpta, in pernicioſam ſeditionem abijſſet. Hæc quoq; non multo poſtè viuis ſublata eſt ſterilis: non ſine veneni ſuſpitione, quam rex Cracouia, Vilnam vſq; metropolim Lituaniæ deduxit, ibidemque in Basilica arcis diuo Staniſlao ſacrata, honorificè tumulauit.

Hac mortua ad redintegrãdam cum Ferdinando amicitiam, & affinitatem conuerſus, alteram filiam eius Catharinam, quam Franciſcus dux Mantuæ viduam reliquerat, germanam ſororem Heliſabethæ duxit. Nuptiarum ſolennia celebrata ſunt Cracouiæ 31. Iulij, anno Domini 1553. quam poſtea ſterilitate cauſata repudiauit: Maximilianoque fratri, Romanorum imperatori, in Germaniam honorificè remiſit.

3. Vxor.

Tandem anno Domini 1557. iuſtiſſimũ bellum aduerſus Guilhelmum Furſtemberk, magiſtrum Liuoniæ ordinis Teutonici ſuſcepit: centenisque millibus equitum & peditum electorum, tam Polonorum quàm Lituanorum Ruthenorumq; accinctus, in Liuoniam ſua perſona contendit, Sed Liuoniæ magiſter difficilè contra ſtimulum calcitrare videns, ſupplex pacem efflagitat, prælium q; deprecatur, & ſe cum vniuerſo ordine, & tota ditione in fidẽ & clientelam regis ſubmittit, prout latius in Liuoniæ deſcriptione patet.

Augustus contra Liuones cõtẽdit.

Tandem princeps Moſchouiæ anno Domini 1558. hæreditarij cuiuſdam iuris & denegati tributi prætextu numeroſo cum exercitu in Derptenſem Liuoniæ prouinciam excurrit, Derptamq; ciuitatem epiſcopalem cum arce cepit, ac plures munitiones temporis ſucceſſu expugnauit. Itaque Sigi-

Bellũ cum Moſchorum duce.

smundus Augustus rex, Liuones feudales & clientes suos strenuè propugnando bellũ (pio dolore stimulante) cum Moschouiæ magno Duce susceptit, quod vario Marte tam in Liuonia quàm in Russia alba, diu durauit, & in hunc diem fœdere intercedente perseuerat.

Dux Moschouiæ Poloczkam capit.

Anno Domini 1562. sub tẽpore Carnispriuij Februarij 23. die, Ioannes Basiliades, magnus Dux Moschouię, trecentenis millibus armatorũ coadunatis in sua persona Poloczkam dura oppugnatione cepit, vnde thesauros dictu incredibiles, captiuorumq; octuaginta millia quibusdam cæsis, in Moschouiam abduxit. Iudeos verò omnes baptismũ abhorrentes, aquis DWinę fluuij submergere fecit. Solummodo Polonos stipẽdiarios remuneratos, liberos dimisit.

Postea anno Domini 1564. magnus Dux Moschouiæ, detẽtis oratoribus Lituanorum, diutius in Moschouia, exercitum celeriter conscripsit, quem absolutis oratoribus in Lituaniam populabũdũ destinauit. Hic exercitus in duas partes diuisus vnus à Smolensko duce Srebrnij, alter à Poloczka duce Soiski cõtendebat, qui in campis Czasnicienſibus ad Vlam fluuiũ castrametatus est, Nicolaus verò Radiuil Palatinus Vilnensis, dux exercitus Lituanię supremus, & Gregorius Chodkie Wicz campiductor, rem certam ab exploratoribus de illis tenẽtes, parua manu hostes aggrediuntur, securosq; & inopinatos cędũt, trucidãt, cõfodiunt, fugãtq; : qui per syluas & agros, paludes, partim à colonis cęsi, partim aquis submersi sunt, quorũ 30. mil. occisa esse cõpertũ est. Ibidẽ Petrus Soiski suprem⁹ dux exercitus Moschouitici vulneratus fuga euadens, à rustico securi (cũ magno dolore

Moschouitæ funduntur.

Soiski occisus.

lore Lituanorum, quòd viuus nõ caperetur) occiditur, Vilnã delatus honorificè in Ruthenorũ Basilica sepelitur. Alius verò exercitus, qui à Smolensko ad Orshã cum duce Srebrnij cõtendebat, audita suorũ cruẽta, infelicią; clade, metu perterriti, omni bellica ipsaq; copiosissima supellectili abiecta, in pedes sese coniecerunt; turpią; fuga saluti suæ consuluerunt.

Srebrnij fugatur.

Anno Domini 1564. ipso festo diuæ Margaretę, magnificus dominus Stanislaus Pacz Archidapifer sacræ regiæ maiestatis magni Ducatus Lituaniæ, ac locum tenens tunc temporis Palatinus Vitebliensis, collecto ex Vitebliensi Palatinatu exercitu, adiuncta curia sua, & duobus centurionibus, alijsque cohortibus, quibus præfecerat duces, Isidorum signiferum Vitebliensem, & Ioannem Snieporod tenutarium Vitebliensem, hi in armatura leui duorum millium, cõtra hostem Moschum, qui tũc temporis arcẽ Iezeirisczа tredecim millibus armatorum grauiter oppugnabat, processerunt, manusq; actiter cõseruerunt, & hostium perrupta acie tormenta obtinuerunt: vlterioremq; exercitum qui fugam cœperat, insequuntur, trucidant, verberant, confodiunt, nonnullos captiuant: octoq; millia Moschorum cæsa, cæteri armis abiectis quoquo potuerunt fuga saluti suæ consuluerunt. Nostri verò omnem supellectilem bellicam, & vniuersa hostium arma, tormẽtumq; magnum, tela ignea, vexilla, bombardas, & id genus alia abstulerunt, & ipsi Dei beneficio incolumes spolijs onusti paucis in cõflictu desideratis, ad Witepskam redierunt. Georgium autem ToWmak dux exercitus hostilis vix euasit, qui postea viribus resumptis, eandẽ arcẽ Iezeirisczа

Moschouitæ sternuntur.

acerrima oppugnatione, & igneis telis expugnauit.

Postea aliquot annis vario Marte vtrinq; certatum est, magnis & paruis congressibus, arces quoq; alterutrum tentatæ & dux Romanus Sangusko campiductor exercitus Lituanici vires Moschorum debilitauit; paruaque manu magnas copias hostiles sæpius fudit. Sussam & Vlam arces Moschouiticas sæpius tentauit.

Dux Romanus.

Anno Domini 1567. 16. Septembris, nostrates ex Witebska in Sitno lacu Moschorum trecentos occiderunt, bombardas 120. pulueris, globorumque multitudinem, & spolia abstulerunt. Eodem anno pedites nostri ex Witebska 12. Decembris, sub arce Wielis multos Moschos prostrauerunt, cæteri ex ijs fugientes in Duna fluuio submersi sunt. Duo nobiles Alexius Simiczow, & Bachdanus Hreori cum multis alijs captiui abducti.

Sitno lacus.

Moschouitæ cæsi.

Tandem anno Domini 1568. Sigismundus Augustus rex, conscripto validissimo exercitu, ipsoque electissimo plusquã centum millium cum tormentis, & omni supellectili bellica sufficienti sumptuosaque, in Moschouiam sua persona tendere proposuerat, ad Rodosko Wiczeque à Vilna 24. milliaribus progressus, ibidem castrametatus, aliquot hebdomadis trãsactis, re infecta exercitus parte dimissa, ipse Gronam reuersus est. Stipendiariorum militum, equitum, & peditum copias, cum tormentis magnis muralibus, ad Vlam arcem Moschorum expugnandam, destinauit, quibus illustrem dominum Ioannem Chorkie Wicz, capitaneum generalem Samogitiæ, virũ militiæ peritum, & in bellis de Carolo quinto optimè meritum, præfecit: sed quamuis

Expeditio in Raskouice regia.

Vla obsessa.

uis arcem grauiter strenueque oppugnarent, auxilio obsessis adueniente, re infecta obsidionem soluere coacti sunt, quam postea dux Romanus Sangusko inopinata irruptione cepit & exussit, anno Domini 1568. 28. die Septembris. Hostium maior pars cæsa, cæteri combusti, quidam in Duna & Vla fluuijs, qui eam præterfluunt, fugientes naufragio perierũt: pauci captiui abducti, ex nostris aliqui vulnerati, spolia magna, exuuias, pecuniq; argẽteæ multitudinem, & tormenta aliquot abstulerunt, & cætera multa instrumenta bellica. Victus maior pars combusta, arcem ipsam nostri occupauerunt, quam & nunc suis præsidijs tenent, attamen longè à priori structura, (vt eam Moschouitæ firmauerant) differentem. Hanc nos anno Domini 1564. cùm eam in primis Moschouitæ ædificare cœperunt obsideramus, nihil tamen nescio cuius caussa (alter iudicet) effecimus, quamuis in strenua peditum oppugnatione quidquam defuerit. Ibi Nicolaus Venetianus Rotmagister peditum in Leplo, glande bombardæ ictus strenuè officium suum adimplens, hebdomada elapsa in Vitebsca occubuit. Ego quoque cum peditibus Rotæ meæ tormenta defendens, vndique hostili manu ex arce erumpente circumdatus, vim impetuosam sustinere non valens, vix de manibus ferè hostium, armata manu euasi.

Vla capta.

Venetianus occisus.

Eodem anno 1568. nostri pedites Viteblienses nocturna irruptione inopinata iuxta Vielisam arcem Moschouiticam ciuitatem exusserunt, hostiumq; 300. occiderunt, & spolia magna abegerunt, Ianuarij 5. die.

Vielis exustio.

Postea 17. Ianuarij, ijdem pedites nostri sub arce

Vsw iat direpta.

Moschouitica VsWiat, ciuitatem septis penetratis, perfractisq; exusserunt, multis occisis bombardas & spolia exuuiasq; multas abstulerunt, parum abfuit, quin arcem ipsam caperent.

Kozacy. Corsari. Freibuteri.

Eodem tempore Ianuarij 18. Birula cum suis peditibus (qui vulgò *Kozacy* dicuntur,) id est, qui hostem furtiuè & inopinatè adoriri solent, Italicè Corsari, Germanicè *Freibuteri* dicuntur, qui in mari latrocinantur: sed Ruthenis huiusmodi *Kozacy* dicuntur, qui vias hostium circũsident, & furtiuè inopinateq; interdum decem *Kozacy* prædicti, ad centum Moschos ex insidijs irruunt, inopinatosq; trucidant, ex Moschouię terra à Ducatu Biela magnis spolijs onustus, cum captiuorũ multitudine Vitebskam redijt.

Vielis exusta.

Tandem 28. Ianuarij nostrates pedites ex Vitebska & Surasa arcibus, cum equitibus domini Palatini Viteblienſis Paczi, Vielisam circumusserunt, erumpentes hostes ex arce cum Rotmagistro eorum Poluiato occiderunt. Aulicos quoque magni Ducis præcipuos triginta, cum trecentis equitibus ad præsidium arcis ferendũ eadem nocte venientes, inopinatos in ciuitate fuderunt, cæteris fuga dilapsis, nondum enim in arcem quod intempestiuè venerint, intromissi erant, Ioãnem Michaelis Holouinũ insignem virum, magni ducis pincernam, captiuum multis spolijs onusti Vitebskam adduxerunt.

Captiui insignes.

Eodem anno 27. Maij die, in festo Ascẽsionis Domini, nostrates ex Moschouia cum magnis spolijs & exuuijs venerunt. Rotmagistrum cum vxore & septem nobiles, cum multis alijs captiuos adduxerũt.

VsWiat exusta.

Eodem tempore 29. Augusti Viteblienses nostri, ciuitatem sub arce VsWiat exusserunt, captiuisq; & exuuijs

exuuijs onusti, Vitebskam redierunt. Huiusmodi autem excursiones innumeras nostri pedites Viteblienses cum maximo damno hostili quotidie, dies noctesq; exercebant, propter suam vtilitatem, videlicet: spolia enim magna referebant. Arcium reliquarum finitimarum excursiones taceo, nisi huius mentionem facio, cuius ipse præsidia egi.

Tartari Nahaicenses cum Seremiet Vitebskam oppugnant.

Anno supradicto 1568. Septembris 29. die, in festo diui Michaelis archangeli noctu diem Veneris præcedente, Moschouitarum cum Tartaris Nahaicensis Hordę, sex millia numero, sub Vitebskam venerunt, quibus præerant tres Palatini præcipui, Seremiet, Basilius Buturlin, & Hreori SzoboroW, duobus diebus sub arce exactis, ciuitate in duobus locis succensa nocte tertia sequente discesserunt.

Postea per legatos, oratoresq; generales, magnus Dux Moschouię & rex Polonię, fœdus ad tres annos vtrinq; percusserunt. Legati nostri anno Domini 1571. Varsouiam ad regem ex Moschouia fœdere cõfirmato redierunt, ex Polonia Palatinus InoWladislauiensis, ex Lituania Castellanus Samogitiæ.

Sigismũdus Augustus rex mortuus.

In hoc fœdere anno Domini 1572. sereniſſimus, inuictiſſimusq; rex Polonię Sigismundus Augustus, magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &c. dominus & hæres, pacis in tota vita sua amantissimus, vereq; Christianissimus appellandus, obdormiuit in Christo, Iulij 18. die Knyssinię, in confinibus Lituanię, & Podlassiæ, Massouiæq;. Interregnum per integrum annum pacificum, & diuina ferè protectione cõmunitum, contra spem omnium, nullo finitimorum hostium ne quidem mussitante durauit.

Interregna regni Poloniæ fuêre nouem à Lecho primo authore & propagatore gentis, ab anno Domini, vt quibusdam placet 550. vsq; ad hunc annum currentem 1572. in quo naturæ debitum persoluit prædictus inuictissimus princeps Sigismundus Augustus.

Primum interregnum post Lechij deficientem progeniẽ in Polonia extitit, cui postea incerto tempore Visimirus, secundum quosdam, Visimiro autem Cracus successit.

Secundum interregnum post Vandam Craci filiam, quæ de dijs virginitatem deuouens, victo tribus cruentis prælijs, Ritagora duce Germanorum, in Vistulam sese præcipitauit, postquam duodecim Palatini prouincias distributas rexerunt.

Tertium interregnum cum equorũ cursu Præmislao sterili decedente, de principatu decertarent, dum Lesconi infimæ familiæ iuueni sceptrum obueniret.

Quartum interregnum post Popelum secũdum, Crusphiciæ à muribus deuoratum, quando Piastus ille Crusphiciẽsis ciuis, & agricola simplex, sed probitate pollens, communi omnium cõsensu monarcha designatus est.

Quintum interregnũ post Mieczslaum siue Miesconem 2. quando Rixa vxor sua senatus consensu, imperium aliquot annis, cum detrimento regni administrauit, quæ postea ob suam peruersitatem à Polonis iustè in Saxoniam ad fratrẽ imperatorem Romanorum, cum Casimiro hærede innocuo exclusa est.

Sextum interregnum post Premislaum occisum ab Otho-

ab Othone Lango, & Marchionibus Brandemburgensibus, quando Venceslaum Bohemorũ regem, ad sceptra regenda vocauerunt.

Septimum interregnum post Casimirum Magnum Vladislai Lokietkonis filium, quando Ludouico Hungariæ regi habenas regni obtulerunt.

Octauum interregnum post Ludouicum Hungariæ & Poloniæ regem quando Iagielonem Lituanum, ad reginæ Heduigis filiæ Ludouici cõnubium vocauerunt, cui & regnum obtulerũt. Huius posteritas ad hoc vsq; nonum modernum interregnum durauit. Sed ad rem vnde digressus sum redeo.

Conuentus de electione regis.

Anno eodem 1572. statim post mortem regis multi conuentus particulares, nobilium & procerũ regni, magniq; Ducatus Lituaniæ celebrati sunt, de pacificãdis finibus tam Podoliæ à Tartaris, quàm Lituaniæ, Russiæque à Moschouitis, & de electione regis tractantes. Subinde multi legati & oratores, tam à summo pontifice imperatoreq; Romanorũ Maximiliano, quàm à rege Franciæ & fratre suo Henrico Andegauensium, & Borboniorum duce, à rege Suetiæ, alijsq; monarchis, ducibus, & principibus circũiacentibus, aduenìebant. Omnia tamen in pace diuina protegente clementia, contra spem omnium agebantur.

Tartari prostrati.

Tandem anno Domini 1573. in Sabbato magno Paschæ præcedente Tartarorum mille octingenti, cum ducibus Baca & Sieoza, in Podoliam sub Baram arcem excurrerunt, vicisque aliquot & prædijs circumiacentibus succensis, cum spolijs reuertentes ab aulicis & seruitoribus Buczacij capitanei Camienecensis, inopinata irruptione trucidantur,

confodiuntur,& spolijs abiectis cæteri in fugã conuertuntur.

Electio regu.

Electio incœpta est celebrari extra Vistulam Orientem versus apud Varsouiam in tentorio magno 7. Aprilis die,vbi omnis senatus regni,& magni Ducatus Lituaniæ de eligendo nouo rege cõsultabant. Interea Machmet Bassa supremus Constantinopoli,litteras intercessorias per oratorem suum ad senatum destinauit, intercedendo nomine imperatoris sui pro Henrico Andegauensium, Borboniorum duce, regis Galliæ fratre, in regem eligendo,

Orator à Bassa Turcarum.

multis conditionibus vtilibus regno proposuit. Hic legatus retentus erat à Buczacio Capitaneo Camienecensi,tandiu donec innotesceretur senatui. Venit itaque Varsouiam 12. Maij, auditus 17. absolutus, 21.

Orator imperatoris Turcarum.

Postea ab ipso imperatore Sultano Zelim orator Achmet Czaus venit, imperatoris sui gratiam, amicitiam & beneuolentiam omnem senatui denuncians, rogando sinceriterq; optando, quatenus aliquem ex suis dignum virum, in regem eligere dignarentur, ex hijs præcipuos proposuit, Iacobum Vchanski archipræsulem Gnesnensem, primatem regni,Ioannem Fierlei de Dambrouicza Palatinum Cracouiensem, regni Marschalcum, Georgium Iazlo Wieczi Palatinum Russiæ, Nicolaum Mieleczki Palatinum Podoliæ, quod si id facere tenuerint,obnixè rogauit, vt huiusmodi regẽ ab extraneis quærerent, qui fœdus & amicitiam cum imperatoribus

Legatio Turcica.

Turcarum & Tartarorũ auxiliares copias,ad quemuis hostem eorum si oporteret reprimendum. Pro quo beneuolenti auxilio senatores ei gratias egerunt:dicentes,sibi benignitate diuina ad quemliber hostem

hostem propulsandum vires proprias sufficere, huiusmodiq; auxilijs minimè egere.

Itaq; post multas consultationes,Henricum Andegauensium, Borboniorumq; ducem, eligendum censuerunt, aliquot Palatinatibus Cracouiæ videlicet, Sendomiriæ, & Podoliæ non consentientibus, priusquam sententiæ de religione in suo statu concluderentur, & iura, ac leges cum immunitatibus nobilium rectè constituerentur: sed in eundem regem in quem cæteri consentiebant.

Archiepiscopus itaque Gnesnensis,primas regni, Henricum prædictum Andegauensium ducem,regem electum esse denunciauit. Quamobrem commoti sunt domini Marschalci, & cæteri ordines ad quos hoc officium pertinebat, multiquere incontinuata,domos suas repetere proposuerant. Postea diuina affulgente gratia,diffidijs vtrinque compositis,insimul conuenerunt: Maijq; 13. & 14.diebus, pacta & conditiones ad libertatem, immunitates, leges & iura regni, magnique Ducatus Lituaniæ,cum legatis Francicis Henrici ducis statuerunt. quæ omnia iuramento solenniter (cuius formam episcopus Cracouiensis tradebat) prædicti legati confirmauerunt, & firmiter tenenda, administranda, augendaq; semper à duce suo,rege futuro promiserũt. His solenniter peractis,omnes & singuli,tam Poloni quàm Lituani vnanimiter cõcordibus vocibus,& suffragijs electum & confirmatum regem Polonię, magnumque Ducem Lituaniæ, &c. supranominatum ducem Andegauensium Henricum Caroli regis Galliæ fratrem, denunciauerunt, solenniterque confirmauerunt. Quem Ioannes Fierlei de

Dambrouicza Palatinus Cracouiensis, Marschalcus regni Poloniæ, & Ioānes Chodkiewicz, capitaneus Samogitiæ, Marschalcus generalis magni Ducatus Lituaniæ, Lituanis proclamauerunt. Sicq; rebus omnibus conclusis, Varschouiæ in ecclesiam diui Ioannis: tam catholici quàm euangelici conuenerunt: concordibusq; vocibus vnanimiter, Te Deum laudamus, & alia secundum ritum ecclesiæ Romanæ decantauerunt: bombardas & tormenta grandia, ad lætitiam exprimedam explodentes.

Concilio nondum dimisso tabulę electionis confectæ sunt. Ad eas in Galliam perferendas, & salutandum regem electum, delecti tam à senatu Poloniæ, & Lituaniæ, quàm ab equestri ordine, tredecim oratores magno nati loco, & singularis prudentiæ viri. *Legati in Galliam.* Legationis principem locum obtinebat Adamus Conarski episcopus Posnaniæ, eius collegæ Albertus à Lasko Palatinus Syradiensis: Ioānes Comes à Tenczin Castellanus Voinicien sis: Ioannes Tomiczki cum Nicolao filio, Gneznensis Castellanus, Andreas Comes à Gorka: Ioannes Herbortus Castellanus Sanocensis, Stanislaus Criski Castellanus Raciaznensis: Nicolaus Christophorus dux in Olika & Niesswiez, Ioānes Zamoiski Belsensis præfectus: Ioānes Zborowski Odalanouiēsis: Nicolaus Fierlei Casimiriēsis: Alexāder Prunski Palatinides Kiouiensis: qui petita quidē facultate, nondū tamen impetrata per Germaniam transeundi, accelerantes in Galliam salui peruenerunt. Parisijs 14. Calendas Septembris feliciter appulerunt, nullo suorum in itinere relicto, quorum præter legationis principes & complures nobilissimos adolescentes, in comitatu erant

tu erant amplius ducenti quinquaginta: omnesque à rege Carolo & suis procuratoribus cōmiter qua cum decebat reuerentia susceptī, omnibus officijs blandè hospitalitatis tractabantur.

Conclusionibus autem & conditionibus vltro citroq; alterutrū absolutis & compositis, frequentibus conuiuijs lautissimè apparatis interuenientibus, rex electus Henricus omnibus rebus ad tantum iter cōparatis, Parisijs valedixit. 4. Calen. Octobris. Abeuntem vniuersa Gallica nobilitas, ciuium omnium turmæ faustis omnibus sunt prosecuti. *Henrici regis Parisijs discessus.*

Rex Carolus proposuerat cum vniuersō comitatu ad vltimos regni fines cum fratre amantissimo progredi, nec prius diuelli, quàm ad Germaniæ limites ventum esset: verùm in ipso itinere morbo correptus propositum mutare coactus est: animo & corpore fratris discessum ægrè ferens. Rex electus, fratre Carolo amantissimo infirmo relicto, à Catalonorū finibus Nansium peruenit: vbi à duce Lotharingiæ sororio, cum omni comitatu, lautissimo hospitalitatis apparatu exceptus est. Tunc temporis verò duplex gaudium accidit: nā Claudia cōiunx duc is filiā recēs enixa erat: cui in sacrosancto baptismo, Posnanien sem episcopum, & collegas, Christiano ritu sponsores esse voluit. *Itinera Henrici regis.*

Postea valedictione sororio data, Henricus ad imperium citato cursu pergens Blamontum peruenit, vbi cum Catharina carissima matre, & Francisco duce Alenconiorum fratre dilectissimo, cum Margaritaq; sorore amantissima, & alijs proceribus Galliæ vltimò amplexus est. Eum in Poloniam vsque sedis Romanæ nuncius episcopus Montisregalis, &

magna nobilitatis Gallicæ caterua, duces & comites magnoq; in illis regionibus natali loco viri sexcenti ferè, cum suo comitatu Gallico, præter Polonos secuti sunt. Germaniæ principes Blamontum vsque regi obuiam venerunt, vtpote Christophorus Friderici Comitis Palatini filius, princeps Paruæ petræ cum Ludouico fratre, per quos velut itineris duces rex Tabernas oppidum deducitur, vbi ab episcopo Argentorati susceptus est incredibili hospitalitatis officio, cum vniuerso comitatu. A Tabernis per Nemetes & Vangiones ad Rhenum fluuium celeberrimum venit, quo superato, ad Fridericum Comitem Heidelbergæ agentem diuertit, qui etiam regem & insperatum hospitem, summa hospitalitate prosecutus est. Trãsito postea Rheno, ad Vangiones reuertitur, & Moguntiam peruenit, à cuius vrbis antistite cum sexcentis equitibus Germanis, honorificè exceptus est: Rhenoq; fluuio tertiò superato Francofordiam ad Mœnum sitam contendit, vbi etiam à ciuibus summa cum obseruantia tractatus fuit. Francofordia mouens Fuldam oppidum in vigilia natalis Domini peruenit, vbi festis transactis, Vahicum appulit, vbi etiam à Wilhelmo Lãdgrauio cum tribus equitum Teutonicorum millibus occurrente, maximo hospitalitatis honore susceptus est. Postea superatis Visurgi & Albi fluuijs in Saxoniam intrauit, ibiq; à Casimiro Saxoniæ principis genero, cum duobus millibus equitum, nobilitatis Saxonicę armatorum salutatus est, & ad fines ipsos regionis honorificè perductus. Locris postea à legato Maximiliani imperatoris mille quingentis equitibus cincto susceptus, & salutatus ad Marchiæ Brandeburgensis principis Polonię Vassalli, fines perductus, à cuius quoq; aulicis nullo officio hospitalitatis prętermisso honorificentissimè exceptus, Francfordiam Oderæ fluuio qui Poloniæ fines cum Germanis dirimit contiguam perducitur. Poloni itaque fines suos vltra Oderam iam læti considerantes, Deo omnipotenti vota persoluebant. Rex etiam Henricus imperatori omnibusque Germaniæ principibus, per quorum regiones iter habebat, pro fide publicè data, & sincerè conseruata, gratias immensas per facundum oratorem, suoq; ore proprio confirmatas egit. Tandem feliciter Miedzirzece oppidum Polonicum peruenerunt, vbi maximo cum gaudio à nobilitate gentis Poloniæ, proceribusq; & magnatibus summo apparatu, pompis, copijsq; instructissimis susceptus est. Post hoc in maioris Poloniæ metropolim Posnaniam honorificẽtissimè deductus, magnificentissimeque acceptus plures dies in ea transegit, & Cracouiam contendens, ad sepulturam Sigismundi Augusti prædecessoris sui solenniter honestandam, Albertum Marschalcũ Francię, Comitem Radesiarum præmisit. Quę tunc temporis ante aduentum suum solito more peragebatur, ea nunc nobis breuiter describenda videntur: nam cùm de sereniss. & potentiss. regis diui Sigismundi Augusti vitæ curriculo, rebusq; feliciter gestis, tum placida & beata ex hac mũdi colluuiæ emigratione, interregniq; felicissima trãquillitate multa superius cõmemorata sint, id vnum re humanissime Lector, desiderare amplius velle existimaui, qua is funeris pompa, & honore ad sepulturam latus, quoque splendore, & qua magnificentia, iusta ei fa-

Henrici regis in Germaniam ingressus.

In Saxoniã ingressus.

Ingressus Marchiam.

Ingressus in Poloniam.

cta essent, de qua re, quoniam ea quoque vt reliqua, honorificentissima ipsi meritò contigerunt, quàm potero paucis dicam.

Cùm enim iam annos 50. exegisset, & arduis curis ijsq; frequẽtibus regni debilitatus, & lenta morbi diuturni tabe confectus esset, integris planè vniuersis, & immotis animi sensibus, de ærumnosa hac vita, obitu sanè per quàm tranquillo, & pio discessisset, Knysiniæ quo se Varsouia Lituaniam inuisurus contulerat. De Knysinia postea Tikocinam arcem quam ipse ædificauerat munitissimam, duobus miliaribus distantem, funus deductum, tandem Varsouiã vno quasi anno exacto, Varsouia Cracouiam cum magna senatorum pompa, regina sorore sequente, deducitur ad sepulturam, cùm iam felix aduentus regis electi Miedzirzeciam nunciaretur, ante Cracouiam aduectũ, Pradnik Curia depositum, triduoque exacto, omnibus pro iustis persoluendis tanto principe dignis præparatis, 15. Februarij die omnes senatores, & episcopi, ac equites qui ad id funus cohonestandum & expectationem futuri regis vndiquaque confluxerant, lugubri vestiti habitu, ad sereniss imã reginulam Annam infantem, prudentissimam, pijssimamque & honoratissimam virginem, in arcem omnes sese conferunt. Similiter matronæ illustres tetris velamentis capita obuolutæ confluunt, quæ principem mœstam, atque adeò exanimatam ferè largisluisq; confectam lachrimis, amanter & diligenter consolabantur. Hæc dum fierent, interim æreæ campanæ, in ædibus sacris vrbis omnibus, & circumquaque in pagis vicinis paræcialibus, nusquam cessabant, quibus & vrbs ipsa, & omnis

mnis circumuicinia latè personuit: sic omnes senatores reginulam Pradnik vsque prosequuntur. Inde funus plumbeo loculo depositum serico viloso nigro obductum, stemmatibus & insignijs regni ornatum, octo equis absolutæ nigredinis deducitur, aulicis circumquaque serici viloſi regumenta longè per terram errantia tenentibus. Sequebatur verò longè honestissimus illustrium & ornatissimorum virorum comitatus, quibus omnibus vnus habitus atratus & lugubris erat. In his nobilissimi, grauissimiq; viri legati externorũ principum, archiepiscopusq; & episcopi cum abbatibus conspiciebantur. Infans mœstissima à legato summi pontificis & Venetorum oratore pedetentim deducebatur.

Hinc 32. pheretra serico viloso, & pannis aureis, holoserico q; preciosè tecta præferuntur cum insignijs regijs. Equi 33. similiter omnis generis sericei coloris tecti velamine, vtrunq; latus armis regni ornati deducuntur. Demum singularũ prouinciarum vexilliferi, vexilla terrestria, armati equites insidentes generosi præferunt.

Primò vexillum nigrum aulæ regiæ, aquila alba coronata cũ expansis ad volandum alis in campo rubeo præferebatur: aquilam verò omnia insignia prouinciarum regni cingebant.

Postea magni Ducatus Lituaniæ vexillũ rubeum equo currẽti cum equite armato gladium supra caput tenẽti, ex alia parte quatuor columnis insignie-batur, in campo rubeo. Postea vexillum Goncza di-ctum cruce duplici in campo lasurino insignitum.

Cracouiensis terræ vexillum rubeum, aquila alba similiter insignitum.

Sendomirienſis terræ vexillum rubeum inſignitur, clypeo ſiue ſcuto diuiſo, in vna medietate lineas tres rubeas, & tres albas, in altera campum laſurini coloris cum tribus ordinibus ſtellarum portante.

Kaliſſienſis terræ, vexillum capite biſontis inter cornua coronam auream geſtante, per nares; circulum aureum habente, in campo more ſchachorum diſtincto albo & rubro inſignitur.

Poſnanienſis terra aquilam albam ſimplicem in campo rubeo geſtat.

Siradienſis terra leonis rubei & aquilę nigrę medietate, corona inſigniti.

Cuiauienſis leonis nigri, & aquilæ rubeæ coronatorum medietate.

Lancicienſis aquilæ albæ & leonis nigri coronatorum medietate.

Rauenſis terræ vexillum aquila nigra R, in pectore aureum geſtante inſignitur. Similiter Plocenſis littera P, in pectore ad differentiam ornata.

Belzenſis Grifone albo in campo rubeo inſignitur.

Lublinenſis terra ceruum in collo coronatum geſtat in campo rubeo.

Podolienſis terrę vexillum, Sole radianti in campo albo.

Leopolienſis, leone petram aſcendente in campo laſurino.

Premiſlienſis aquila aurea bicipiti coronata in campo laſurino.

Chelmenſis vrſo inter tres arbores, gradienti in campo glauco.

Dobri-

Dobrinenſis capite humano coronato ex corona cornibus eminentibus.

Vielunenſis agno Dei cum vexillo cruce inſignito, & calice, in campo rubeo.

Sadecenſis ſcuto diuiſo, in cuius medietate, tres lineæ rubeæ & glaucæ, in altera nouę ſtellas in campo rubeo geſtat.

Liuenſis aquilæ rubeæ & vrſi albi medietate coronati.

Drohicinenſis ſtemmate magni Ducatus Lituaniæ, ex alia parte aquila alba inſignitur in campo rubeo.

Kiouienſis ſancto Georgio draconem lancea feriente in campo laſurino, ex alia parte vrſo albo in campo viridi ornatur.

Ducatus Pruſſiæ aquila nigra, ex alis manu armata cum gladio prominente, vexillum rubeum ornabatur.

Ducatus Sileſiæ Grifone albo in campo rubeo vexillum inſignitur.

Palatinatus Valachiæ vexillum capite biſontis inter cornua ſtella & latere dextro luna defectuoſa ornatum, cum circulo per nares tranſducto, in campo cæleſtino.

Zatorienſis Ducatus vexillum cæleſtini coloris, aquila alba literam Z, in pectore ornata inſignitum.

Oſwiecimenſis aquila nigra O, literam in pectore ornata in campo lazurino.

Maſſouiæ Ducatus aquila alba cum Ducali pileo in campo rubeo.

Slupcenſis Ducatus Grifone rubeo in campo al-

bo, vexillum insignitur. Similiter Pomeraniæ Ducatus ijsdem armis vtitur.

Ante funus regium magnificus dominus N. Mazcieiowski integra armatura cum equo tam affabrè facta subtilissimeque, tum argento, tum coloribus distincta, vt omnium oculos in admirationem conuerteret armatus, in manu gladium auratū punctura ad latus conuersum gestabat. Hunc sequebatur armiger atra veste circundatus hasta cuspide in terram conuerso cum vexillo, scutoque à lęua cum insignijs regijs armatus. Ensifer quoque regni gladium punctura cōuersum ad latus præferebat. Tum pomum typum mundi repræsentans, sceptrum, corona aurea à senatoribus, quibus id competebat, portabantur. Legati autem singularū prouinciarum antecedebant. Post nobilitatem succedebat vrbis senatus & populus longo ordine. Omnes quoque processiones omnium ecclesiarum præibant, longo honoratissimoque & præcedentium & comitantium agmine. Ex ludis deinde literarijs pueri de more antecedebant cum cantoribus, lugubres cantiones decantantes, hos almæ vniuersitatis doctores, & magistri, omnisq; studiosorum ordo insequebatur. Hinc plusquam 4. millia obscuro, & tristi habitu vestiti vulgus, cum funalibus & candelis vndique collucentibus ibat. Vbi iam in arcem ventum est, in ædem cathedralem, quæ vndiquaque defixis cereis collucentibus ardebat, funus honorificētissimè deponitur, regalibus supra impositis. Exinde finitis cantionibus visitatis & solennibus, oratione funebrem habuit abbas Magilensis, pietate & doctrina venerabilis; postea conuenientissimis decentissimisque cere-

ceremonijs exequiarum absolutis, in tumulū maiorum suorum deponitur. Postera die in omnibus ecclesijs episcopi omnes sacra celebrabāt, ad omnes sanctos, ad sanctum Franciscum, apud sanctam Annam, Stephanum, Marcum, apud sanctam & indiuiduam Trinitatem, & in arce apud diuū Stanislaum. Vexilliferi quoque singuli cum suis vexillis, & turba vulgus cum cęteris eadem vt prius processione cum equis totidem, & pheretris prædictis vrbem lustrabant, eques quoque ad funeris pheretrum catafractus vndique cassidem pro plumis cereis ardentibus circumuolutus, equo delabitur, hasta confracta, & gladio proiecto, cumque cantaretur Agnus Dei, cancellarius, & vicecancellarius sigilla regis mortui confregerunt: cæteri autem senatores sua sceptra posuerunt in altari. Ciues quoq; vrbis suas exequias funebres in ecclesia parochiali apud sanctam Mariam celebrabant.

DE CELEBERRIMO INGRESSV Cracouiam, & coronatione præclarissimæ Henrici Valesij, potentissimi & inuictissimi Poloniæ regis.

ANno quo diuina potestas humana in specie salutis nostræ restaurandæ gratia cælitus sese demisit 1574. curato solenniter sumptuoso funere diui Sigismundi Augusti, & depositis atris lugubribusque vestimentis, & pullis integumentis, omnes ordines regni, & magni ducatus Lituaniæ, Russiæ, Massouiæ, ac cæterarum regionum Sarmatiæ, in nouui regis desideratissimum aspectum anhelantes, tædioque visendi illius expectatissimi vultus, nō secus

ac patres in lymbo ardentes, animos affectionatissimos ad honores illius adiecerunt, nullisque sumptibus quamuis profusissimis ad cohonestandum tantum principem pepercerunt. Longum esset hic referre incredibilem, inæstimabilemq; vestitum, apparatum, quibus inter se cùm pompose Poloni, tum magnifici & profusi Lituani, & vinci impatientes cum Massouitis Rutheni, magnificētissimis sumptibus concertabāt, & quisq; quibus potuit quàm maximo sumptu cōparatis, suum præ cæteris in regem affectum ostentare nitebatur. Hi aureis, isti argenteis, illi holosericeis, alij polymitis, alij planis, alij villosis, tum infectis purpura, & tinctis murice & cocco. tum Attalica Semiramidaq; textura, & Phrygio opere elaboratis, insertisque cum vnionibus variarum gemmarum lapillis, resplēdebant. Equi omnibus tales, quales Vergilius Turno fuisse describit, & Homerus ad Troiam narrat venisse Menonis, Euripidesque Rhesi Thracum principis. Ea erat pomparum solennitas, cui nihil adijci ad gloriæ magnitudinem potuisset. Cracouia quoq; vrbs regni caput & metropolis nihil ad tanti principis aduentum expectatissimum omisit, non sumptibus, non continuis laboribus quicquam pepercit. quid referam publicos, priuatosq; apparatus, quacunque ingressurus erat rex, expurgatæ plateæ, frondibusq; abiectum, ac pinearum semper virentium exornatæ, parietes peripetasmatibus auro purpuraq; distinctis, & hinc longè pendentibus, in arce vbique radiabant, affixa longis tractibus in palatijs aurea balthea: tum aurea & argentea vasa instar scalarum per gradus exposita, crebris repercussi Solis radijs fulgurabāt, illa quoque

que olim pulueribus squalentia ob diuturnam regis mortui absentiam inaurata pauimenta, aurea lacunaria optimè extersa, excussa, & expolita resplendebant. Plebs quoq; passim portas, ac fenestras virentibus sertis coronabat, alij ad nocturna lumina funabula parabant, alij lignorū strues congerebant, tormenta bellica in vallo & propugnaculis arcis, & vrbis disponebātur, nullus aut ætate, aut valetudine tam imbecillis, qui otio detineretur, qui nō aliquid ad publicum gaudium pari lætitia, diligentiaque, aut excogitaret, aut operaretur. Cumq; iam omnia apprime & plusquam perfectè apparata optatam diem expectarent, rex electus ad Balicias sesquimiliari à Cracouia distantē villam Palatini Cracouiensis hæreditariam aduenit, innumerata Gallorum, & Polonorum multitudine stipatus: ibi noctem ineffabili sua & omnium cum lætitia feliciter trāsegit. Die verò illa optatissima, & niueo calculo signanda illucescente, quę erat 18. Februarij. Cum discursu triūphali nobilium turmæ plateas vrbis complent, tantaque hilaritate cuncta gaudebant, & serena facie gestiebant, vt præter peculiarē morem, etiam equi & canes, & quęq; domestica hominibus animalia, iucundis gestibus, vocibusque exultare sentirentut, canoræque auiculæ suauissimos concentus, vltra consuetum adsonarent, exultantiumq; vocibus ipsum cælum reboaret. Phœbus pater, qui caput suum atris olim (ob regem mortuum mœrorē exprimens) nubibus occulucrat, obscura caligine pariter cum hominibus disiecta, igniuomis radijs corruscās, propriæq; lucis candore resplendens gratissimus apparuit. Interque & post coronationem aliquot hebdomadis

assiduè lætus permãsit, vt non bruma, sed ver ipsum appareret. Antequam se autem è balicijs rex mouisset, de repẽte vndarum violenter altis de montibus cadentium in speciem effusa senatorum, equitum, populi, & totius vulgi, vtriusque sexus inæstimabilis multitudo, in occursum eius, magnifico ornatu, spectabiles, Xerxisque exercitum referentes, omnes campos extra vrbem, omnes montes, colles, aggeres, omnes vias, ac villarũ tecta, & summa arborum oppleuerunt, densissimisq; turbarum globis, principi suo quàm longissimè obuiam procedere gestiebant. Primus autem senatorũ archiepiscopus Gnesnensis Hungarico habitu ducentos hastatos equites fulgentes, holoserico auro intertexto, produxit, quos ipse insequitur rubea rheda, quam sex equi serico rubeo ornati trahebant, vectus in qua cum eo episcopi Posnanienſis, Adamus Conarski, & Plocensis, Petrus Miscobski sedebant. Crux autem præferebatur. Hos Leopoliẽsis archiepiscopus Staniſlaus Slomowski, cũ Camenecẽsi episcopo, subsequuntur, qui etiam splendenti equitatu roboreque militum magnum triumpho supplementũ addiderunt. Cracouiensis episcopus Frãciscus Crasſinski, proximus fuit, quem Italico ornatu ducenti equites, holoserico vestiti, marturibus subducto & argento affabrè depicto, aureis torquibus insigniti, præcedebant. Eius vestigijs Cuiauiensis Staniſlaus Carncouuski cum Chelmensi episcopo, & Lancicienſi Palatino viris & equis illustres insistebant. Castellanus Cracouiensis Hũgarico ornatu, primus post episcopos, ducentos hastatos equites auro & argento conspicuos, clypeisque & vexillis fulgentes produxit.

Hinc

Hinc Palatini summa grauitate insignes procedunt, quorum primus Cracouiensis, cum fratre Sandomiriensi Capitaneo generali, trecentos viros, auro argento iuxta, ac equos Hungarico more, & Scythico supra modum exornatos producunt. Sandomiriensis quoque Palatinus, cum fratre Ensifero regni, ducentis quinquaginta equitibus tam ad pompam, quàm ad pugnam perfectè instructis holoserico auro & argẽto fulgenti Hungarico more pariter cum equis vestitis commitati prodeunt. Hos Oswiecimensis, Bresinensisq; Castellani subsequuntur, qui numero & apparatu hoc triumphale cumulabant agmen. Tandem Caliſſiensis Palatinus Hunnorum habitu instructam turmam clenodijs, monilibusq; corruscantem, & equis auro ornatis superbam ducebat. Hunc lumen patriæ, & firmum virtutum omnium propugnaculum Albertus à Lasko Palatinus Siradiensis visendo apparatu, cum quadringentis equitibus Hungarico, & centum Scythico more instructis procedit, qui omnium consensu facilè tulit in hoc triumpho partes priores, tanta enim cura suas apparauerat turmas, vt neque virum alio equo, neq; equũ alio viro indigere diceres. Postea Podoliæ Palatinus huic triumphi agmini 150. equitibus armatis decora quasi addidit corollaria. Deniq; Lituaniæ & Russiæ proceres promiscui, sumptuosè & profusè pomposi, acies tam ad bellum quàm ad triumphum instructas producunt, Quorum primus Nicolaus Georgius Radiuilus dux, Palatinus Vilnẽsis, decoris patriæ, & senatoris eruditi, ac solertis planeq; diuini ingenij equitatus, Polonorum adæquat laudem. Hunc Castellanus Trocensis decenter tam

virisquàm equis instructus commitatur. Hinc Ioannes Chodkieuicius Samogitiæ generalis capitaneus,&c. bello ac pace clarissimus, & ad res magnas gerendas natus procedit. Deinde eiusdem Ducatus thesaurarius supremus, & Minscensis Castellanus equis & viris auro corruscantibus superbi sequuntur. Postea Nicolaus Christophorus Radiuilus dux, curiæ Marschalcus, Italico eoque sumptuosissimo equitatu cinctus. Tandem exercitum campiductor, incisor, dapifer, pocillator, hij Hungarico, illi Italico, isti Scythico, Moschouiticoque habitu & ornatu superbè instructi insequuntur, & alij innumeri quos recensere longum esset. Dies me deficeret, si ordine persequar singulos, qui viri, qui heroes, qui duces, ad illam celebritatem cohonestandam vndiq; confluxerunt. Apparebat Lituanorum equitatum tria millia superare, holoserico, gemmis, vnionibus, coruscantè. Post Lituanos proceres dux Cõstantinus, Kiouię Palatinus cum duobus filijs, vno Italico, altero Moschouitico habitu ornato, precedentibus trecentis equitibus superbè auro & argento rigentibus stipatus occurrebat. Braslauiensis quoque Palatinus Wolinios suos Scythico more pulcerrimè & sumptuosissimè vestitos ducẽtos produxit, pharetris, & arcubus auro corruscantibus. Tandem Culmensis, Mariemburgensis, & Pomeraniæ Palatini Germanico ritu superbas producunt acies. Dulscius quoq; Prutenus 36. equites loricis indutos & auro fulgentes adiunxit, eisdem. Hinc Comites à Tekin, Ioannes Woinicensis, & Andreas Belzensis Castellani, familia antiqua, & reb. insigniter gestis illustres 250. Hungarico more hastatos equites, clypeis, vexillisq; ac ve-

ac vestibus & equis auro micantibus, educunt. Eos Herbortones, ingenio & prudentia, libris q; à se editis clari, cum ducentis Camenecensis, Sauich Wostensisq; Castellani cum cẽtum quinquaginta equitibus cincti. Andreas Wapowski cũ centum, & Biecẽsis ac Radomiensis cum octuaginta bene armatis egrediuntur. Post hos Stanislaus Comes Tarnow Castellanus Cechouiensis 200. equitibus, clypeis hastilisq;, & vexillis auro redimitis, murice tincta cocco & marturibus subducta vestitis, cum tormentis duorum curruum affabrè instructis progreditur.

Castellani quoque cæteri quos sigillatim numerare infiniti laboris esset, bene in acies instructi, & ad triumphum cohonestãdum tanti principis conuenientes, subsequuntur. Cancellarius quoq; cum thesaurario regni Hieronymo Buzinski omni virtute & patriæ amore senatores venerandi, suas copias insigniter adornatas præsentant. Post hos Marschalcus curię, Andreas Opalinski vndequaq; virtutibus absolutus vir, cum 75. equitibus Italico more egregiè exornatis. Deinde vltimum agmẽ claudebãt capitanei ciuitatumq; & officiorum regiorum præfecti, qui etiam suas in acies pomposè instructi ingentem exercitum exprimebant, aliorumque aut adæquabant, aut superabant laudem: & vereor ne tantorum illustrium virorum splendore captus obuias imprudẽs alios præteream, alios verò absq; discrimine ponam. Lublinensis verò Palatinus Maciowski cũ filio, & nepotib. insigni virtute præstantibus 200. equitibus cum vulturinis alis & clypeis ac vexillis Hungaricè terribilibus. Hos Dzialini, Secignieuiorum, Camieneciorũ, Ociescij, Cosçielecij,

Tomicij Castellani Gnesnensis cum filio, Padnieuij, Barsi, Bonaronum, Miscouij, Droieuij, Lesnio Wolij, Staskouij, Nemstæ, Reiorum cum oloribus in tergis coronatis & lilijs in pectore super clypeos ad similitudinem cãdidarum aquilarum insignitis, Noscouij, Belzẽsis præfecti Zamoiscij, alijq; innumerabiles & ineſtimabiles equitũ exercitus, vt ita dicã, omnib. portis, & suburbiorũ latebris sese effundebãt. Aulici quoq; regis mortui officia sua minimè neglexerũt, equi quoq; singulorũ senatorum, & equitum ducticij, magnã triũpho præbebant amplitudinem. Cubicularij etiã regis mortui, hi Italica, illi Hungarica specie auro & argento, vesteq; prætexta fulgidi, cæteros claudebant, quibus nihil neque dici, neque fingi speciosius potest. Post senatorum & equitum turmas, ciues cum plebe, subsequebantur, quorum equites Germanico habitu erant 120. pedites 4000. adæquabant, omnes fulgidis armaturis splendidi, ac discolori vestitu & vexillis secundũ opificum cõtubernia, corruscantes, similiter Cleparianæ, Casimirianæ, & Stradomianæ gentes. Exercitu omni per hunc modum dispositio, iuxta Lobzowium & Bronouice vicos ciuitatis. Rex suis Gallis, Guasconibus, & magna nostrorũ turba stipatus aduenit, tormenta autem vbique horribiliter interdum explodũtur, & taratantara, taratantara acriter resonant, ibi episcopus Plocensis Miscouius facunda & Ciceroniana oratione, regem omnium ordinum nomine salutauit. Bibracus postea regio nomine affabiliter ad omnia respondit. Dehinc ciues Casimirienses, Cracouienses, & Clepardienses, eum salute humiliter impertiunt, qui etiam placida, & optimè spei plena

plena respõsa retulerunt. Absolutis salutationibus, rex singulos exercitus, agmina cõstricta, oculis perlustrat auidè, quę tanta erant hominum bene armata congeries, vt plerique vsu rerum bellicarum periti, eandem etiam valido hosti opponi potuisse affirmarent, tormentorum magistri & scloppetarij tonitrua crebra iterant, resonant, & concutitur sonitu æther. Tandem rex circiter primam noctis horam vrbem ardentibus facibus resplendentem diui Floriani portam ingreditur, albo equo & sublimi altitudine illustri magnificentissimè epiphiato, phaleratoq; auro vndiq; refulgente vectus, cui insidens altior omnibus eminebat, vt à cunctis cõspiceretur. Consules autem vrbis vmbellam auream vsque in arcem super illum portauerunt, veste nigra pellibus pãtherinis suffulta indutus erat, Vascones sclopetarij 40. & Heluetij cũ alabardis 60. duobus cum tympano & fistulo præeuntibus latera eius muniebãt, quibus holosericæ virides vestes, croceo colore distinctæ erant, in primo loco circa regem Niuernensis, & Dumeneius duces, Marchio Elbensis, Duca de Gwisa, alij primores Galli, & aulici regij, singuli honoris caussã inter binos Palatinos deducebãtur, sequebantur & anteibant tympanistarum, tibicinum, cornicum, multitudo, singuli suum taratantara resonantes. Succedebant quoque diuersorum principum, & populorum, oratores & legati, populus promiscuus per varias turmas & cuneos egrediens regem suum videre gestiens, quo ille procedebat ferebatur, omnes sui ordinis & decoris obliti quem sors cuique locũ obtulisset, occupabat. Conscendunt alij tecta, & summis pendent tegulis, alij

trabibus insident, alij columnis implexi, alij muris hærent, omnes fenestræ, omnes rimulæ suis spectatoribus refertæ, perforati parietes, diruptæ maceries, quo oculos suos tam expectati regis spectaculo populus expleret, nullus locus non occupatus, ne ijs quidem qui non nisi ruinosum & periculosum caperet vestigium. Cùm ad forum fuisset peruentum, tandem omnium aures tubarum clangore, & sclopetariorum bombardariorumque tonitribus obsurduerant: in ipso autem Castrensis portæ vestibulo, arcus affabrè extructus erat triumphalis, tapetis exornatus aureis, in quo tibicines officium suum strenuè adimplebant, in summitate verò turris aquila albâ subtiliter & artificiosè facta lilijs in pectore insignita, in omnes partes quo rex ibat circumuoluebatur, stridentibus alis, & capitis inflexione, ac quodam strepitu lætitiam quasi præseferens. Cumque rex arcē ingrederetur, sclopetæ omnes, tum & maiores machinæ tanto strepitu, fulgoreq; exonerabantur, ac si Iupiter ipse quidquid vipiam, in thesauris suis fulminum, tonitruumque conclusum habuerit, id totum pariter, simulque nunc cælo demisisset, tum verò genere, tympanorum, tybiarum, tubarumque sonis nubes perstrepebant. Arcem ingressus vbi etiam supra, aquila affabrè facta alis applaudebat, in ecclesia diui Stanislai cathedrali, à canonicis salutatur, & postquam Te Deum laudamus, suaui melodia decātaretur, ad reginalem maiestatem rectà deducitur, vbi vltro citroque data salute in palatium auro splendidum cœnaturus, & acquieturus pergit. Postridie verò rex in senatuscōsultum veniens per Bibracum cancellarium priuatum,

uatum, omnibus ordinibus regni gratias egit: quod sibi integrum atque floridum tantum regnum diuinitus administrandum præstiterint, Deumque omnipotentem precatur, vt is ipsis, atque adeò toti Reipub. Christianæ sit salutaris, polliceturque daturum se sedulè operam, vt conceptæ de se apud illos opinioni cumulatè satisfaciat, & vt coronatio properaretur obsecrabat. Ad hæc sequenti die Santem regiam à nobilitate affabili oratione salutauit, diuoius Carncouius Refferendarius regni maiestatem in qua & Reipub. incolumitatem, & regiam dignitatem sufficienter deduxit, explanauitque, vt omnibus satisfactum videretur. Regio quoque nomine similiter responsum est, omnibus eum satisfacere, & salua omnia sibi cōcredita conseruare velle, & non tantummodo literis approbare, verùm etiam sanguine obsignare paratum esse. Eadem die sole occidente cum magna episcoporum caterua, & legato summi pontificis in rupeculam Casimiriæ, diui Stanislai (vbi occisus fuit,) ædem Polonorum patroni, deducitur, vbi Deo deuotissimè supplicauit, & sacris de more exosculatis, in arcem redijt. Quam visitationem sancti Stanislai in Rupella omnes reges ante coronationem obire debiti sunt, ex more recepto.

EXEMPLAR QVARVNDAM LITERARVM SVPER DISCESSV CHRISTIANISSIMI AC SERENISSIMI HENRICI III. GALLIARVM ac Poloniæ regis: itemq; illustrissimi senatus Poloniæ ad eundem regem.

INCERTO AVTHORE.

ORATIO DANZÆ AD SENATVM REGNI Poloniæ Cracouiæ congregatum habita.

HENRICVS Christianissimus & Serenissimus Franciæ & Poloniæ rex, dominus meus clementissimus, me die 18. huiusce mensis Iunij, hora nona pomeridiana, aut circiter ad se vocauit, qui primùm agnouit me fideliter, & diligenter Christianissimis regibus, aui, patri, & duobus ipsius fratribus inseruijsse, eademq; se à me obsequia certè expectare significauit. Et cùm ille de suo discessu mentionem fecisset, ingenuè fateor, me magnitudine periculi vehementer perculsum, perturbatumq; esse. Postea honorificè multa de regno Poloniæ loquutus, tandē testatus est, cùm ordines regni Poloniæ eum regem agnouissent, satis scire, illos se, vxores, liberos, fortunasque omnes vnà cum regno fidei ipsius commisisse, eam ob causam, se probi, digniq; regis officio nunquam defuturum, affirmabatq;, se nec eos nunc deserere, nec vnquam

quam deserturum. Adhæc, referebat, se amplissimum regni Poloniæ senatum, qui tunc hîc aderat, de obitu Christianissimi regis ipsius fratris certiorem reddidisse, & quanto desiderio regni Franciæ ordines eius in patriam reditum expeterent, declarasse. Præterea, reginam ipsius Serenitatis dominam matrem iam sæpius & scripsisse, quòd si maturè in regnum non rediret, eam tot hostium viribus, quibus vrgebatur, diutius resistere non posse, ab eoque summis viribus contendere, vt patriæ in tanto periculo consuleret sua præsentia, cum ipso absente id effici posse non speraret, dictum regni Poloniæ senatum illam quidem profectionem probasse. Verùm reliquos regni senatores prius conueniendos esse respondisse. Cùm verò regni Franciæ negotia eam moram non paterentur, sibi vel vitæ periculo patriæ necessitati esse subueniendum, statum regni Franciæ perturbatissimum, afflictissimumque esse narrabat, cùm prouincię omnes in armis essent, bellumq; nūc illic maioribus viribus, maioriq; animorum exacerbatione, quàm antea vnquam, gererentur. Adhæc, aduersarios ingenti classe littus Gallicum infestare, & principem Condæum cum sex millibus Germanorum equitum in Franciam profici, maioresq; copias per Germaniam, vicinaque loca cogi, quæ illum esse subsecuturæ, eam ob rem se non posse, nec etiam velle patriam in tanto periculo deserere, pro qua sanguinem fundere illi esset iucundissimum: scire eum, sibi moriendum esse, honestam verò mortem nunquam fugiendam, sed potius optandam. Hęc cùm fortissimi principis, magniq; animi officia sint, non dubium est, quin is ve-

rus, sincerusq; amor, quo reuerendissimæ, illustrissimæq; dominationes vestræ sint amplexæ, & confirmabitur, & augebitur, cùm illæ eum in pace moderatissimum, æquissimumque: in bello verò constantissimum, acerrimumque defensorem essent habituræ: Interim verò nobis Francis tristissimũ & quauis morte grauius. Et cùm reges Christianissimi hactenus, quacunque ire voluerint armis, & vera virtute sibi iter aperuerunt. Nunc videre hunc regem nostrum ea qua est ætate, vagum & in peregrina terra errantem omnibus supplicem esse: nec iam sua culpa, sed nostra caussa, & vero in patriã amore. Et quoniam ipsius Serenitas facilè prouidebat, dominationes vestras reuerendissimas & illustrissimas inopinatũ istum suum discessum molestissimè laturas, ille mihi sæpius iniunxit, vt graues, æquissimasque caussas, quæ illum tot, tantisque periculis se exponere cogant, dominationibus vestris reuerendissimis & illustrissimis declararem. Quibus intellectis sperabat, ea sibi nihil de ipsarum in illum beneuolentia remissuras esse: sed constanter in data fide perseueraturas. Hæc autem vt ille consequeretur facilius, significauit mihi, se ad quosdam regni istius senatores literas dedisse, & à me petebat, vt ipsis redderem, eosque suis verbis diligenter rogarem, ne illi hoc suo discessu offenderentur, sed iustissima, necessariaque caussa perspecta, illum haberent excusatum etiam apud cæteros regni senatores & proceres excusarent, illum omnia ipsis clemẽtissi. Principis officia polliceri, & cum ipsius Serenitas literas illas in suo cubiculo esse putaret, vni soli cubiculario qui tunc adfuit, iniunxit, vt mihi illas daret: qui respon-

respondit, nullas ibi literas esse, tunc ille promisit, se curaturum, vt mihi altera die traderentur, & quoniam heri amplissimus senatus à me seriò petijt, vt si ipsius Serenitas mihi alia mandata, vel priuatim, vel publicè quibusdam deferenda demandasset, illa ego apertè declararem. Ego sanctè iuro & affirmo, ipsius Serenitatem nihil mihi iniunxisse, cuiquam dicendum, proponendum, & promittendum, quàm ea, quę exposui, videlicet, vt eius discessum apud omnes declarata vera caussa excusarem: eos, quibus scribebat, hortari, vt in veteri in eum fide & beneuolentia perseuerarent, ab ijsque obnixè peterem, vt eum quoque apud cæteros regni senatores, proceres excusarent, & omnibus clementiss. & optimi regis officia promitterent: vt autem ipsius Serenitas propensissimum suum in hoc regnum studium, solicitudinemque testaretur, mihi quoque demandabat, vt dominationibus vestris reuerendiss. & illustriss. significarem, sibi consultum videri, vt in primis idonei legati ad ipsius Serenitatem eligerentur, qui magnis itineribus in Franciam contenderent: hac enim ratione fore, vt omnes facilius in officio vestris prudentissimis consilijs & authoritate continerentur. Nam vbi illi intellexerint, ipsius Serenitatem mortuo rege fratre pro motibus regni Franciæ sedandis, paceque sua præsentia conficienda à regni illius ordinibus supplicibus precibus, magna contentione euocari, & eam ob caussam militum regni Poloniæ senatum legatos misisse, vt eorum consilijs & intercessione pax æquissimis conditionibus facilius constituatur, sperandum est, quòd interim omnes regni Poloniæ legatis decernetur,

sunt expectaturi, & certè legatorum præsentia ad Francorum animos flectendos, & negotia publica ad optatum finem perducenda, profutura. Ego Carolus Danzæus, à Danzij, Christianiss. & sereniss. Franciæ & Poloniæ regis consiliarius hæc quæ hoc scripto nomine ipsius Serenitatis declaraui, & confessus sum, vera esse testor & affirmo. Cracouiæ 22. Iunij, anno 1574.

Carolus Danzæus manu propria subscripsi.

LITERÆ SENATVS REGNI POloniæ ad imperatorem Romanum.

SAcra Cæsarea maiestas domine, D. clementiss. faciendum putauimus, vt sacram Cæs. maiest. vestram pro ratione vicinitatis & officij nostri certiorem faceremus de ijs, quæ proximè præteritis diebus apud nos acciderunt. Quanquam ea minimè ignota sunt S. C. maiest. vestræ, quin imò certò scimus, sereniss. regem nostrum ditiones S. maiest. vestræ intrasse non satis pro regia dignitate, paucis duntaxat comitum. Qua ex re S. C. M. vestra facilè intelligere potest, sereniss. regem nostrum præter scitum & opinionem nostram è regno discessisse: nam C. M. V. non ignorat, qua fide & obseruantia nos principes nostros prosequi soleamus, neque hunc sereniss. regem nostrum debito honore priuaremus, si cum scitu & consilio nostro eam profectionem instituisset. Subsecuti sunt & officiales regni, & insequendo Plezinam vltra oppidum domini Premniz ditionis Maiest. vestræ processerunt: sed ab instituto suo nulla ratione se reuocari passus est. Reliquit quidem sua maiest. literas ad nos, quibus hoc regnum nobis commendat, & causas explicat, quam ob rem nos celauerit de profectione sua: nimirū, vt sereniss. matrem, patriam, & regnum illud florentiss. ab interitu vindicaret. Sanè vt primùm de morte Christianissimi regis Galliarum, fama apud nos increbuit, & successionem ad sereniss. regem nostrum deuolutam esse, ne in eo quidem, quod illi naturaliter & hæreditatiue obtigit, sereniss. regi nostro obesse voluimus: nam & de periculis omnibus, de salute & commodis regni illius non minus quàm de nobis ipsis cogitationem susceperamus, communicatisque consilijs de rebus omnibus statueramus prouidendum, adeò vt nullum sereniss. rex noster fidelium subditorum officium in nobis desideraret. Sed eius rei culpa hæret non tam penes excelsum, & verè regalem ipsius animum, sed penes eos, qui eum priuato consilio ad hoc factum impulerunt. Ex quibus omnibus Sacra C. M. V. pro sua prudentia iudicare poterit, discessum hunc sereniss. regis nostri his temporibus accidisse, quibus maximè ab hostibus Christiani nominis ex minima occasione metuenda sit omnis periculi suspicio in hoc regno potissimum, quod est quasi pro aliquo præsidio Christianis prouincijs collocatum, quæ quidem plurib⁹ verbis S. C. M. vestræ scribimus, primùm ad remouendam prætermissi officij erga sereniss. regem nostrum culpam, ne quis in eo nos deliquisse arbitraretur: deinde verò vt S. C. M. V. ad eam fœderum & pactorum communionem, quæ M. V. cum regno Poloniæ intercedit, inuitaremus, rogãtes, vt quem-

admodum sanctè, & inuiolatè hactenus ea coluit, ita & nunc ea obseruare non desinat. Porrò negocium hoc omne S. C. Maiestati V. ita commendamus, vt nulli magis vnquam commẽdare possimus. Nam vt nollemus inuitum quenquam nobis imperare, ita non libenter videremus, nos tales existimari, qui nesciamus officio nostro vti, & voluntates principum moderari. Non deest nobis animus pro dignitate, & libertate nostra queuis consilia habere: sed Polonorum semper fuit reges, & principes suos colere, reuereri & honestis potiùs, quàm externis studijs & officijs eos prosequi. Quod reliquum est, nos, studiaq; nostra S. C. Maiestati vestræ commendamus. Data Cracouiæ, 21. Iunij, 1574.

Eiusdem S. C. Maiestati vestræ addictiss. seruitores, senatus regni Poloniæ, Cracouiæ congregatus.

REVERENDISSIMIS, ILLVSTRIBVS & magnificis dominis, senatoribus, nobilibus, & generosis equitibus regni nostri Poloniæ, & magni Ducatus Lituaniæ, Henricus Dei gratia Poloniæ rex, magnus Dux Lituaniæ, &c.

REuerendissimi, illustres, & magnifici domini, senatores syncerè nobis dilecti, vosq; generosi, & nobilissimi Equites, dici non potest, quanto cum doloris sensu in animum nostrum induxerimus, vt non expectatis incliti huius regni comitijs, in Franciæ regnum, quod nobis nuper legibus, iureq; hæreditario obuenit, properandum statuerimus. Siquidẽ in merita vestra erga nos, in caritatem, & bene-

& beneuolentiam, qua nos complectamini, intuentes, non potuimus sanè sine lacrymis ac firmo dolore de hac nostra in Franciam profectione cogitare. Multa ante oculos obuersabantur, quę commemorare longum esset, idque planè vinceret recordatio beneficiorum vestrorum, ita vt omnino nobis certum & constitutum esset, Franciæ regnum administratione sanctæ reginæ matronæ concessa, & demandata, hîc non modò comitia expectare, verùm etiam si ita nobis videretur, integram ferè ætatẽ degere. Testis mihi Deus est, testes quoq; non pauci ex senatoribus, cum quibus simul atq; de morte Christianissimi regis fratris mei indicatum vobis est, copiosè de hac re egimus, atq; ex illorum sententia sub huius regni nostri sigillo ad sereniss. matrem meam mandatum amplissimum, quod *Regentiam* Galli vocant, misimus, priuatis etiam nostris literis illustrem principem Alanconium, Henricũ Nauarræ regem, & omnes Galliæ principes ac proceres sedulò monuimus, vt nostri desiderium æquo animo ferrent, nec aduentũ nostrum frustra expectarent. Ita profectò res se habent, mutãdi verò huius cõsilij, aut potiùs sententiæ nostræ, quæ penitus insederat animo, hęc fuit caussa, quę vobis, hoc est, prudẽtibus, ac sapiẽtib. viris spero probabitur. Hesterna die sub noctẽ ferè allatæ sunt nobis literæ à sereniss. regina matre, & multis Galliæ proceribus, & primarijs viris, in quibus scriptum erat, necessarium omnino esse, vt quàm primùm dispositis equis ad celeritatẽ istuc aduolarem, in summo esse discrimine res Gallicas, actũ prorsus aliter videri de vetustissimo, nobilissimoque totius Europæ regno, nec vllam aliam

rationem esse tuendi, & cõseruandi nobis illius imperij, quàm si intra dies viginti ad summum Lutetiæ Parisiorum, vel saltẽ in finibus regni nos sisteremus. Multa erant alia diligenter perscripta in illis literis, ex quibus non modò periti rerum Gallicarum, sed etiam exteri non ignari rerum humanarum facilè possent intelligere, ilico & sine cunctatione nobis discedendum esse. Quamobrem lectis illis literis, apud me necessariò constitui, quanta possem maxima celeritate in Galliam proficisci. Cùm autem si de profectione mea cognitũ esset, multa imminere videbantur, quæ celeritatem, in qua omnia posita essent, retardarent, faciendum nobis putauimus, vt tacitè proficisceremur. Itineris Gallici ratio nobis non est ignota, nec ignorantur studia, & mores illarum gentium, per quas nobis transeundum est. Itaq; nihil opportunius, nihil securius visum, quàm vt omnes de profectione nostra celaremns, & subita ac festina abitione discessus nostri famam anteuerteremus. Habetis paucis rationem consilij nostri. Reliquum est, sic vobis persuadeatis, nihil quicquã hoc facto de prisc[illegible]no nostrò erga vos, totumq; hoc nostræ Poloniæ regnum amore decessisse. Vos quoq; nobis illam summam, qua hactenus nos prosecuti estis, beneuolentiam, & obseruantiam integrã conseruabitis. Nullam certè nos vestri tuendi, ornandi, & augendi huius regni nostri occasionem labi, aut diffluere permittemus. Dignitatem nostram, & Poloniæ regni tantisper dũ absumus (aberimus autem, quàm minimũ poterimus) fidei, integritati, prudentiæ, & sapientiæ vestræ commendamus. Cupimus insuper & hortamur vos, vt primo quoq; tempore egregios

egregios viros ex omnibus ordinibus lectos, ad nos in Galliam mittatis, cum quibus seriò, & diligenter de omnibus, quę ad vtilitatem, & ornamentum huius nostri regni pertinent, tractabimus. Iterum atq; iterum salutem, concordiam, incolumitatem regni nostri, & existimationem nostram vobis quàm obnixè fieri potest commendamus. Benè valete. Cracouiæ, 18. Iunij, 1574.

Henricus rex manu propria subscrip.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO patri, domino episcopo Cuianiensi, sincerè nobis dilecto Henricus Galliarum, & Poloniæ rex.

REuerendissime domine sincere nobis dilecte, pro mutatione rerum, & temporum mutanda quoq; esse consilia, paternitas vestra non ignorat. Quod ipsum viri prudentes fecêre semper, & nobis nunc quoque necessariò faciendum est. Constituera[illegible] quidem superioribus diebus quemadmodum vestra paternitas de me bis intellexit, apud vos manere, saltem donec comitia indicta, coacta, & peracta fuissent. Nunc verò, cum ex literis serenissimæ reginæ matris meæ, quas hodie sub tẽpus cœnæ accepi, intelligam regnum Galliæ in eo esse statu, vt de toto illo amplissimo & nobilissimo regno nostro planè actum sit, nisi quàm primùm incredibili celeritate illuc peruenero, celare discessum meum æquum est propter multas causas, quas paternitas vestra cognoscet à nobili & generoso viro D. Danzæo

consiliario nostro, cui vt fidem adhibeat in omnibus rogo. Ego nihil magis cupio, quàm vtrumque regnum retinere: neque enim id nouum est, neque legibus vestris aduersatur, & erit Polonicæ genti perhonorificum & tutissimum, eum habere regem, qui Galliæ simul imperet. Verùm, de toto isto negocio, quod grauissimum esse puto, mihi magnopere curæ est, vt debet esse, cum paternitate vestra copiosè ex animi mei sententia dictus Do. Danzæus communicabit. Puto me à vobis amari plurimùm, quemadmodum quoq; vicissim nihil est certè, quod non vestra caussa velim. Nouiingenium tuum, noui fidem, & integritatem. Hoc tandem peto, & à prudentia tua, ingenio & dexteritate illud expecto, quò contendat, & efficiat paternitas vestra, vt incliti senatus Poloniæ, & alterius quoque ordinis studia erga nos eadem maneant, quæ hactenus fuêre. Incumbe quæso totis viribus in eam curam, & solicitudinem, nihil nobis gratius quicquam posset accidere. Faciam autem, vt tu nec immemorem amasse, nec ingratum principem dilexisse videare. Bene valeat paternitas tua, sincerè nobis dilecta. Regnum nostrum vobis commendamus. Datæ Cracouiæ, 18. die Iunij, anno 1574. sub nocte.

Henricus manu propria subscrip.

ILLV-

ILLVSTRIBVS AC MAGNIFICIS dominis, domino Palatino Cracouiensi, & domino Zbero Wio Maresc. curiæ, sincerè nobis dilectis, & reuerendo D. Wolki Vicecancellario nostro, Henricus Dei gratia Galliarum, & Poloniæ rex, magnus Dux Lituaniæ, &c.

MAgnifici domini sincerè nobis dilecti, cogimur in Galliam nunc proficisci cõtinuato dierum, noctiumq; itinere. Nam ex literis sereniss. reginæ matris nostræ, quas hodie sub tempus cœnæ accepimus, intelleximus, regnum Galliarum in eo statu esse, vt nisi incredibili celeritate illuc peruenerimus, regnum nostrum omnino pereat. Quo quidem nuncio valde commoti sumus: nec enim quicquam minus expectabamus, & motus Gallicos, aut leues esse arbitrabamur, aut eiusmodi, qui me absente, authoritate sereniss imæ reginæ matris meæ sedari possent. Sed postquam aliter esse video, nolo nũc ipse deesse. Itaq; nũc maxima celeritate in Franciam proficiscor: necessariò me id facturũ homines prudentes, qui Gallica norunt, statuent. Discessum meum celare operæprecium fuit propter eas caussas, quas Magnificẽtię vestrę à nobili, & generoso viro D. Danzęo consiliario nostro intelligẽt. Ego vos, totamq; familiam vestram amaui semper, & quantùm animo licuit, libẽter ornaui, à vobis nũc omnia beneuolentiæ ac sincerę amicitię officia expectans. Illud oro in primis, vt authoritate vestra, quantùm fieri poterit, omnia cõtendatis, vt incliti senatus studia eadem erga me absentẽ maneant, quę hactenus

fuêre. Verùm de hac tota re, alijsq; grauissimis multis rebus dictus dominus Danzæus meo nomine vobiscum aget copiosè, cui vt fidem habeatis, vehementer rogo. Datæ Crocauiæ, die 18. Iunij, 1574.

Henricus rex manu propria.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO Domino à Tienszin Castellano Weinicensi subcamerario nostro, Henricus Dei gratia Galliarum, & Poloniæ rex, &c.

ILlustris, & magnifice domine, sincerè nobis dilecte. Non spontè quidem, sed coactè, & cogente rerum omnium necessitate in Franciam nunc maxima celeritate proficiscimur. Ex literis enim serenissimæ reginæ matris nostræ, quas hodie sub tempus cœnæ accepimus, intelleximus, eo statu esse res Gallicas, vt nisi expeditis equis illuc aduolauero, omnino de illo regno actum sit. Id quoque scriptum est ad me ab omnibus Galliæ proceribus ac primarijs viris. Quamobrem cunctandum mihi minimè putaui, ne mihi ipsi in tanto momento deesse videar. Discessum verò nostrum tacitum esse, operæprecium fuit propter incommoda itineris. Nouit enim sinceritas vestra, ingenia Germanorũ, & quanto odio prosequantur catholicos homines. Quid autem nunc à sinceritate vestra expetam, & expectem, nobilis & generosus vir Danzæus consiliarius meus exponet vobis: cui vt fidem habeatis, vehementer rogo. Hoc vnum tantùm addam, hac posteriore epistolę parte, te eum esse, quem ego summopere

pere amaui, quem plurimi feci, & cuius vicissim amicitiam, & beneuolentiam erga me sempiternam esse cupio. Bene valeat illustris sinceritas vestra. Datæ Cracouiæ, die 18. Iunij, anno 1574.

Rex manu propria.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO Domino Radt Wielduci in Olira, Mareschalc. curiæ Lituaniæ, sincerè nobis dilecto, Henricus Dei gratia Galliarum, & Poloniæ rex.

ILlustris & magnifice domine, sincerè nobis dilecte. Hæc ad te scribens, necessario itinere in Galliam ingredi cogor. Intellexi. n. ex literis sereniss. matris meæ, scriptis in eo statu esse res Gallicas, vt nisi intra 15. dies ad fines Franciæ appulero, actum esse videatur de toto illo regno. Id quoq; scripserunt ad nos omnes proceres, & primarij viri, fidē meam implorantes. Quamobrem cunctandum, & procrastinandum minimè putaui. Sed discessum meum dissimulandum existimaui, vt securiùs transeam per Germaniam. Noui enim ingenia Germanorum, & quanto odio catholicos homines prosequantur. Quid verò nũc à sinceritate vestra expectem, & expetam, nobilis & generosus vir dominus Danzæus cõsiliarius noster exponet meo nomine copiosè, qui has literas sinceritati vestræ reddet: cui vt fidem adhibeat, omnino cupio. Bene valeat sinceritas V. & me, vt hactenus fecit, diligat. Datæ Crocauiæ, die 18. Iunij, 1575.

Henricus rex manu propria.

LITERÆ AD SACRAM MAIESTATEM regiam à senatoribus regni Poloniæ scriptæ, cum quibus cubicularius maiestatis suæ, Viennam XX. Junij, Cracouia in expeditis equis delectatus est.

SEreniſſime rex, & domine, domine clementiſſime. Obſequia noſtra cum teſtificatione fideliſſima ſubiectionis noſtræ S. maieſtati veſtrę cõmendamus. Itáne meriti ſumus de ſacra maieſtate veſtra, vt prętер ſpem omnem, & expectationem noſtram, hinc diſcedere nobis inſcijs, ſacræ maieſtati veſtræ placuerit? Graues impulerunt cauſæ, S. M. V. & induxerunt ad hoc tam graue, & periculoſum iter. Sed grauius illud exiſtimamus eſſe, quod ſacra maieſtas veſtra inconſultis nobis, hoc fecerit, quaſi fidem fidelium ſubditorum ſuorum dubium faciens, neque res ſuas concedens illis, qui ſe, ſalutem, facultatesq; ſuas omnes, fidei ſacræ maieſtati veſtræ concrediderunt. Non deerat animus, non defuit facultas, nulla nobis ad aras vſq; (quod dicitur) S. M. V. ſequẽtibus. Sed neque S. M. V. bene apud ſe examinauit, quam eſt aggreſſa, neq; committere debuit, vt vltro ſe tot periculis obijceret. Precamur S. M. V. omnia feliciter ex animi ſententia euenire: ſed ita tamen, vt priùs illi Deus mentem inſpiret, ad nos, regnumque ſuum reuertendi. Vbi ſalua & incolumis Viennam S. M. V. peruenerit: rogamus ſacram maieſtatem veſtram, ne vlterius procedat, ne ſe maioribus diſcriminibus exponat, ne cum periculo ſuo maiores, & excellentiores hominum gradus appetat. Hic enim honos, in quo maieſtatem veſtram Deus max. collocauit, eo eſt excellentior, quò proceſſit non à fortuna

fortunà, ſed à diuina voluntate, & proborum, & de maieſtate veſtra bene meritorum iudicio. Conſideret maieſtas veſtra, regnum ſe reliquiſſe planè periculis omnibus expoſitum, nullis fœderũ, & pactionum renouationibus confirmatum. Niſi dominus cuſtodierit, actum eſt de nobis, nulla nobis diligentia, nulla prudentia proderit. Nihil enim ſine ſacræ maieſtatis veſtrę præſentia ſtabile & firmum ſtatuere poſſumus. Petimus igitur à S. M. V. vt maieſtas veſtra memor ſit fidei ſuæ ac iuramẽti regno huic prę-ſtiti, memor expectationis ſuæ, quam ſemel de maieſtate veſtra conceptam eò vſq; retinebimus: memor ad extremum ſalutis, & incolumitatis noſtræ, quam Deus max. maieſtatis veſtrę fidei commiſit, & poteſtati. Nos ſi deſeret maieſtas veſtra, vindicabit Dominus iniuriam populi ſui, neq; formidabit maieſtatis veſtræ actiones, noſtris malis, & periculis fortè grauatas. Hoc ſi impetrabimus è maieſtate veſtra, dabimus operam, vt in reducẽda maieſtate veſtra omne ſtudium, officium, & operam noſtram ſacræ maieſtati veſtræ comprobemus. Deum rogamus, vt ſacram maieſtatem veſtram ſacram & incolumen aſpiciamus. Datum Cracouiæ, die 20. menſis Iunij, Anno 1574.

Sacræ maieſtatis veſtræ ſubditi & conſiliarij.

Senatores regni Poloniæ Cracouiæ congregati.

EXEMPLVM LITERARVM A SACRA Cæsarea maiestate ad senatores regni Poloniæ datarum.

MAximilianus reuerendissimis,&c. Accepimus dominum, & vestras literas die 21. mensis Iunij iam elapsi datas, quæque ijsdem, pro solita vestra erga nos beneuolentia de serenissimi principis domini Henrici regis Franciæ,& Poloniæ, magni Ducis Lituaniæ, consanguinei,& fratris nostri carissimi istinc discessu nobis significanda duxistis. Cognouimus dominationes itaq; vestras, & vos celare non possumus, eundem sereniſſimum regem vestrum hisce diebus instituti itineris sui ratione ita ducente, huc veniſſe, tanta quidem celeritate, vt non modò planè nobis inscijs,ditiones nostras intrârit, sed parum etiam abfuerit,quin aduentus sui nuncium anteuerteret. Nos verò serenitatẽ suam eo pacto huc delatam,ita excepimus, vt ex mutua vicinitate, quæ cum Poloniæ regno nobis intercedit, dignũ & fraternæ, arctissimæq; necessitudini, qua sereniſſimis & Christianiſſimis Franciæ regibus iuncti fuimus, conuenire existimauimus. Sicque serenitas sua iter suum quàm citissimè peragendi desiderio hinc festinans,nudiustertius in Galliam perrexit.Porrò velim dominationes vestras, & vos vobis in mentem reuocetis,antiqua fœdera,& pacta, quæ ab anteceſſoribus nostris accepta cum inclito Poloniæ regno nobis intercedunt. Dominationibus V. & vobis sic perſuasum cupimus, nos, qui hactenus nihil magis curæ, vel etiam in nobis habuimus, quàm vt huiusmodi fœdera,atq; pacta firma,inuiolataque conſeruarentur: adeoque omnibus, quæ huc pertinere visa sunt,nunquam defuimus, nec in posterum hac in parte fore dissimiles. Quod vt de vobis pollicemur, ita nihil diffidimus, quin, qua estis erga nos, regna, dominiaque nostra præclara,integerrimaq; voluntate, vestrũ vicissim in ijsdem fœderibus sanctè obseruandis, officium haud vspiam desiderari passuri sitis. De cætero, D.V.& vos, quibus mutuæ beneuolentiæ,& bonæ vicinitatis studia deferimus,rectè valere cupimus. Datum Viennæ, 1. Mensis Iulij, anno 1574.

EXEMPLAR LITERARVM AD HENRICVM ANDEGAVENSEM A Senatu, & Ordinibus regni Poloniæ.

SACRA CHRISTIANISSIMA, ET *sereniſſima maiestas regia,domine nobis clementiſſime.*

STudia obseruantiam nostram S. regiæ maiestati vestræ commendamus, à Deoque max. S. maiestati vestrę precamur optimam salutem,felicissimos rerum successus, vt S. maiestas vestra diu sana & incolumis sit,& lõgissimè ac felicissimè populis à Deo suæ fidei & gubernationi concreditis, imperet cum summa laude sua, & eorum, quibus præest, felicitate. Quæ fuerit vniuersi regni Poloniæ erga maiestatem vestram propensio, cùm rex à nobis electus, & ex remotissimis orbis partibus in Poloniam excitus esses, non est opus longioribus verbis maiestati

vestræ cõmemorare. Siquidem in memoria tua esse existimamus inter clarissimos principes, & orbis monarchas, te omnibus à nobis cõpetitoribus prælatum, in Poloniam ex Gallijs honorificè exceptum, sacro deinceps diademate coronatũ, & ita apud nos habitum, vt tibi libentissimè vitam, salutem, iura, libertates, & carissima quæq; in patria nostra pignora concredere, & in potestatem tuam tradere non dubitauerimus. Et sperabamus quidem, nos imperij tui moderatione post interregni tempus illud luctuosum & difficile, quasi sole post obscurissimas tenebras elucente, regnũ Poloniæ splendorẽ suum recuperare posse, fecissetq; vtinã Deus max. vt expectationi de te nostræ exitus respõdisset, nec ea felicitas, quã ex imperio tuo cõceperamus, interfecta fuisset tristi reip. nostrę casu & perturbatione. Discessisti à nobis, sereniss. rex, patriæ nostræ, imò quoque verò tuę, corpus integrũ tuo hinc discessũ reliquisti mancum, ita vt quasi per te capite diminuto, patria nostra sine rege suo vitam ducat ægram, & nõ mediocri dolore sese conficiat. Auget etiam dolorẽ nostrum, quòd consilium discessus tui, & teipsum, vitam, dignitatem, maiestatemq; tuam his concredidisti, qui priuata magis apud nos obseruantia, quàm vlla fide publica se tibi esse obstrictos, agnoscere debuerunt. Nos tibi fidem nostram, nos obseruantiam, nos cultum, nos in prosperis & aduersis constantiam, sacramento oblato, obstrinximus. Nobis propterea, te, tuaq; cõsilia, tuas res cõcredere debuisti. Nos enim pro tua dignitate, pro gloria, pro salute, pro acquirẽdo non modò paterno regno, quod à Deo, naturaq; datum, amittere nullo modo potuisti, sed etiam pro alio

alio quouis imperio cõsequendo, fidem, studium, operam, vitã deniq; deuouissemus, te, tuamq; fortunam comitando. Legis annales nostros, fidem Poloni erga reges suos deseruêre nunquã. Polonorum nomen contra principes suos sinistra machinatione contaminatũ non esse. Reuocãdum est illud in animum tibi, quàm primũ de obitu Christianissimi regis Caroli IX. fratris tui desideratissimi, fama in Polonia peruulgata fuit, tuaq; fraterna viscera morte ipsius non mediocriter cõmota vidissemus, tute scis, non magis te, quàm senatũ, & vniuersam Poloniam acerbissimo casu mortis illius perturbatam extitisse, quasi rex noster mortuus esset, ita mortem illius indoluit Polonia. Quid actũ est? quod erat officij tui, rem ad senatũ tibi tũc assistentem retulisti, deliberatum est, dictæ sunt sententiæ, dies luctus publici per vniuersum Poloniæ regnum constitutus & indictus est. Summa totius deliberationis erat, quid tibi faciendum, quomodo Gallię tumultuanti succurrendũ: qua ratione regnũ ad te naturali successione deuolutũ, retinendum. Hęc omnia, quæ erãt grauissima, nec ab vnã parte reip. sed ab omnibus ordinib. constitui & finiri poterãt, in maiora regni comitia, te consulente, te annuente, te applaudente, reiecta sunt. In hac expectatione comitiorum quid actum sit, proh dolor, cõmemorare quid ampliùs opus est? Rege caremus in Polonia, at quomodo? neque hoc sine dolore reticeri potest: ita à nobis discessisti, vt vix impressum abitum discessus tui videre potuerimus. Sed dolorem & orbitatẽ nostram amplificare nolumus. Deus maximus, qui corda regum gestat in manibus suis, ille iudicet hoc factum tuum, ac be-

ne vertat hoc non modò Galliæ, quę te à nobis euocauit: sed patriæ quoq;, quę tuam fidem secuta, nunc de statu & felicitate sua laborare cogitur. Cuius quidem saluti prospectum esse volętes, quò nos patriæ amor, quò necessitas ipsa, quò periculorum metus, & consueta cõsiliorum ratio vocabat, Warschauiam conuenimns omnes, vt orbitati patriæ, paci, & securitati publicæ consuleremus. Et caput quidem deliberationis nostræ hoc fuit vnum, vt regem haberemus in Polonia, cuius authoritate pax interna, & externa tranquillitas retineretur. Omnes te hìc regem optabamus, requirebamus: sed quẽ intueri, quem alloqui, quo cum agere potuissemus, habuimus neminem. Est certè verum, quod scribimus, sereniss. rex, non defuisse nobis animos, non occasiones, nõ commoditates, nõ etiam causas, vt patriam seruaremus, liberas voces ad eligendum nobis regem alium cõuertere, & spretæ patriæ ignominiam, periculaq; imminentia noua regis electione detergere: sed natura, constantiaq; nostra vincit necessitatem eam, nec id quidem sine periculo, ne sequamur priùs, donec à te sciremus, an ad nos redire, nobis semper imperare, sceptraq; Poloniæ gestare velis. Voluntatem tibi esse quidem quis dubitet? regia virtus & natura tua non Septentrionis fortasse modo: sed regnorum aliorum quoq; imperium animis cogitat: sed voluntatem istam multis fortasse cogitationibus occupatam, aut temporum necessitate distractam, non vult Polonia magno cum suo malo experiri, te longum tempus expectando. Vis igitur rex noster esse? Venias quamprimum in regnum hoc, cape sceptra semel tibi data, accipe gladiũ regalem,

lem, quo nos defendas à vicinis hostibus, quorũ arma iam personant in auribus, micãt in oculis ex Walachia, Scythia, & Moschouia. Veniendum est autem maturè, ne consilia & machinationes hostium, longa tua expectatione matureścant, & nos, regnumq; istud pessundent. Rege diu carere nõ possumus propter grauissima pericula, in quibus, tanquam in lubrico, versamur, quæ talia sunt etiam, vt à nobis nequeant, nisi præsente rege, tolli. Propter discessum enim tuum multis domi incõmodis affectũ est: bona regalia à militibus occupata, stipendia per se promissa, & non soluta, priuatorum in publica bona inuasiones, direptiones, occupationes. Non commemoramus licẽtiam, iniuriam, cædes, audaciam, quorundam perditorum, quidlibet faciendi. Nec vindicari absente rege, silente lege, cõuersis omnium ad extrema pericula oculis, vix facilè possunt. Ne igitur longa, irritáve tui aduẽtus expectatione nos suspensos reddas, & cunctatione tua regnũ maioribus periculis inuoluas, non ægrè feres, quod pro salute patriæ nostræ facimus, & tibi tempus in Poloniam veniendi assignamus. Hoc autem est, sereniss. rex, quatenus adhuc humeris nostris, pondus periculi huius sustinere posse, nos arbitramur, & te ad nos cõmodè ex Gallia in Poloniam peruenire, nobiscumque esse posse iudicamus: diem duodecimã mensis Maij proximè venturam, pro quo etiam tempore comitia magna, decreta & instituta esse scito, ad quod quidem tempus assignatum, ad ea quoq; comitia te vniuersa quoq; Polonia expectat, vt venias in regnum hoc, in comitia illa, quæ sunt instituta, vt deliberationes cum senatu, & ordinibus regni iuxta

morem & consuetudinem præscriptarum legũ absoluas, & pericula imminentia vnà nobiscum amoueas: tum etiam conditiones ab oratoribus tuis in conuentu electionis receptas, & iuramento firmatas, atq; cõditiones & articulos per legatos tibi oblatos, ac hos per teipsum Parisijs, illas verò per sereniss. Carolum olim Galliæ regẽ fratrẽ tuum desideratissimum, sacramento roboratas, confirmes, expleas, & re ipsa præstes, ac in posterum Rempub. nostram præsens semper gubernes. Hoc ad officium tuum regale, & sponsionẽ factam, fidemq; datã, pertinere, maximè intelligimus, vt nõ dubitemus, te nõ magis curaturum esse, vt huc venias, quàm vt promissa expleas. Si verò, quòd à nobis vtiq; longè abesse cupieremus, ad nos venire nõ potueris, tardauerisq; cum nostro summo dolore tibi dictum, nunciatumq; volumus esse, omnes nõ posse amplius, quod cũ gratia tua dicere licebit, sine rege, sine lege viuere in Repub. nostra, conuersisq; nostris animis ad Deum, id faciemus, quod ad incolumitatem & salutem patriæ nostræ pertinere videmus, eamq; ab illo tempore, si nõ veneris, salua tua gratia, honoreq; nostro, obedientiam, & fidem datã tibi renũciamus, & noui regis, electionisq; cõuentũ indiximus, statuimus, promulgauimus, atq; id quidem ita certè, ita firmè, summa necessitate constricti, apud nos statuimus, vt nullis excusationibus, nullis modis, nullis ad extremũ rationibus, ab instituto nostro nos abduci patiamur. Non debes autẽ æstimare, sereniss̃e rex, id nos animo erga te siniſtro, aut consilio præpropero facere. Abest longè à nobis ea cogitatio: sed iudicare debes in primis, Poloniam ita esse constitutã, vt barbaris hostibus ad eam solam patear aditus, ipsaque sola ad omnia Christiani orbis regna, sit quasi porta, quę nisi firmissimis claudatur præsidijs, non ipsa modò, sed multæ Christiani orbis prouinciæ, certum est, de salute sua periclitabuntur. Nos igitur hìc pro omnibus quasi excubias agimus, & vt securè dormiãt alij, nos insomnes oportet peragere noctes. Tale igitur regnum, quomodo sine rege, sine duce, sine capite esse posse existimas? Nosti potentiam Moschouiticam. Non est incognita tibi Scythica ferocitas, quæ cum Turcica potentia mixta, his diebus vicinam nobis Walachiam solo æquauit. Est regnum hoc cinctum & circumuallatum hostibus Christianorum Catholico nomini infensis, nostro verò infensissimis, quòd veteres ex se ductos triũphos, tunc maximè vindicare cupiant, cùm remp. hanc capite è rege suo videant orbatam, & tanti casus nouitate tumultuantur. Occasionem igitur oppugnandi nos & Rempublicam nostram habent illi percommodam. At dices fortasse, vires nobis esse tantas, modò velimus, posse nos etiam defendere patriam nostram, eamq; tibi seruare saluam & incolumem, hostium insultibus ab ea pellendis. Est ita sereniss̃e rex, pro patria nos nullis etiam extraneorũ adiutos auxilijs fortiter pugnauisse, preclarisq; triũphis latè & lõgè fines illius protendisse, paratos etiã esse, pro his tuendis & conseruandis, sanguinem nostrum effundere: sed istius optimæ voluntatis impedimenta tuo discessu tãta sunt effecta, quãta vix vllo vnquam tempore in Polonia fuerunt. Inimicitias cum barbaris gentibus, non vnas sed multas, & graues, pro gloria, & libertate Christiana habemus, amicitias

quoque cum Christianis, vicinisque principibus, nullis per te fœderum & pactorum vinculis colligatas, ita retinemus, vt dubia potiùs, quàm certa sit eorum possessio existimanda. Quid horum quisque moliatur, quò adspiret, quid nectat, non videmus: tu verò considerare potes. Simus etiam superiores hostibus nostris, at eorum conatibus hinc inde irrumpentibus, quomodo sine capite, sine rege resistemus? Quomodò vires cõiunctas cõtra diuersos hostes habebimus? maximè, cùm regni huius pax, cum vicinis nulla per te pactorum renouatione firmata consistat. Bellum in Polonia, publico etiam edicto sancitum, sine rege, tanquam summo belli duce, ex præscripta lege fieri non consueuit, neque potest. Erit ne amplius sine rege Polonia salua? Minimè gẽtium, serenissime rex, regem oportet habeamus, aut te, aut alium, quem nobis Deus & fata prospexerunt. Durum est telum necessitas, qua abducimur, vt si rex præsens nobis noster semper nolis esse, alium, qui nobis imperet, eligamus oportet, te id minimè ægrè ferente, imò collaudante studia nostra seruandæ patriæ cupiditate tantopere incensa. Non dubitamus autem, serenissime rex, si ita tibi, & Deo videtur, vt rex noster ampliùs futurus esse non possis, quin nos & regnum hoc in tua gratia, & fauore, & beneuolentia perpetuò retineas, & in primis gratum, & memorem te studij, & obseruantiæ nostræ erga te præstes, quam tibi etiam omni studio, opera & diligentia comprobare studebimus, vt intelligas, erga te apud nos etiam nõ regnantem, non destitisse studia, beneuolentiam, obseruantiam nostram, quinimo duratura hæc esse omnia, quandiu in animis residebit tuæ erga nos gratiæ, & beneuolentiæ memoria. Quod superest, commendamus nos in gratiam maiestatis vestræ, Deumque maximum precamur, vt S. M. V. clementissimè seruet sanam & incolumem ad perpetuam Christiani nominis gloriam, & salutem obseruandam. Datæ Warschauiæ ex congregatione ordinum Poloniæ regni generali, die 18. Septembris, 1574.

Sacræ Christianiss. & serenissimæ Maiestatis V.

Seruitores addictissimi

Senatus, equestris ordo regni Poloniæ, & magni Ducatus Lituaniæ.

Clades DANTISCANORVM, ANNO M. D. LXXVII. 17. Aprilis.

A IOANNE LASICIO POLONO DESCRIPTA: IN QVA CAVSSÆ BELLI à sereniſſimo rege Poloniæ Stephano contra Gedanenſes ſuſcepti, referuntur.

MAGNIFICO VIRO, DN. IOANNI Zboroẅski, Caſtellano Gneſnenſi, duci copiarum aulico ſereniſſimi regis Poloniæ Stephani, Odolanouienſi, Kieskenſi, Volpienſiq; præfecto, ſenatori integerrimo, ſalutem & felicitatem.

MITTO ad te, ſtrenue imperator, hanc belli abs te, angelis Dei tuuantibus, confecti, deſcriptionem: vt geſta tua, tuorumq; fortium militum, quæ iam literis mandari incipiunt, nunquam eſſe moritura, niſi cũ hac vniuerſitate rerum, cognoſcas: & eò maiorẽ inde voluptatem percipias, ad maiora tãtò magis inflammeris. Qua in deſcriptione, tute noſti, quale meũ fuerit ſtudium, ne quid falſi eſſet. Si quæ præterij, ea ſupplere licet alijs. Dolenda eſt ſanè iſthæc Chriſtianorum

ſtianorum calamitas: at quid aliud magiſtratus ageret, imperata facere nolentibus? etſi nondum hic magiſtratus noſter, ſuo vſus eſſe gladio, quem à Deo ad coërcendos malos accepit, videtur: id tantùm apparuit, quemadmodum pro eo regum illi rex ac defenſor pugnauerit: quum hoſtes non contenti eo, ſe vt intra mœnia continerent, defenderent q; foras etiam, regẽ ſuum oppugnaturi prodicrint. Quorum conſilia quem finem ſortita ſint, tu ipſe vidiſti, ego deſcripſi. Faxit igitur Deus, quandoquidem perduelles ne nunc quidem reſipiſcunt, vt de te, milite eodem tuo, & rege noſtro fortiſſimo, ſimilia ſcribere liceat. Attamen magis illud à Deo precor, vt, qua Gedanenſes ob peccata affecit cæcitate, eam poſt hanc cladem, animis illorum adimat: ne fortè accenſa magis vncti Dei ira, funditus euertantur: quod vt Ioannes Dantiſcus, ciuis illorum, ſupra annos XL. prædixit: ita & ego mihi videre iam videor. Vale, & pugna feliciter, decus ampliſſimæ Zborouiorum familiæ: hanc autem meam lucubratiunculã eodem animo, quo me miles, annis abhinc 19. in Gallia cõplexus es, quæſo te, accipe. Barcini, anno M. D. LXXVII. 20. Maij.

Tuæ dignitatis obſeruantiſſimus
Ioannes Laſiczki.

CLADES DANTISCANORVM, ANNO CHRISTI M. D. LXXVII. 17. die Aprilis.

A Ioanne Lasicio descripta.

ANtequam ad funesti Gedanensium suo cum rege belli descriptionem accedam, illud mihi præfandum esse videtur, ipsosmet Gedanēses tanti sui mali causſam fuisse: quod quidem præter hunc miserabilis pugnę euentum, ab irato proculdubio Deo profectum: ex conditionibus quoque à clementi rege ipsis non semel oblatis apparet. Nam quum rex Stephanus, quinto vt regnare cœpit, mense, (qui erat anni superioris September) firmandi regni sui causſa, Cracouia Marieburgum venisſet, opinatus tantò facilius, quantò Gedanum propius omne negocium tansactum iri: factum necessariò est, senatu, qui cum rege fuit consulto, vt Gedanenses, rebelles pronunciarētur: quòd à Cossobucio secretario, Andrea Sborouio curię Marschalco, & ab alijs duobus senatoribus ad ipsos missis officij admoniti, nihil de sua obstinatione remitterent: quodq; ad causſę suę dictionem, fide bona vocati: quamuis commodè potuerint, tamen non venerint: quæ nota insontibus grauis, nihil quidquam illorum animos permouit: nullum in illis seriò placandi regis, contumacia offensi, studium apparuit: quinimo regi legem imponentes, vt antea, ita pòst, liberari ab eo fide Cæsari Maximiliano, à

no, à paucis appellato Poloniæ regi, præcipitanter data, volebant: triginta alijs conditionibus (quarum primæ, vt à quibusdam oneribns ab Augusto rege ipsis impositis liberi essent, & portorio ipsimet fruerentur) cum illo pacisſcebantur: militem in Germania, inconsulto rege, & regni senatu, conscribebant: portas interdiu, nullum habentes hostem, claudebant: non contenti generali regis iureiurando, legibus publicis, priuatisq; suis singulari quoque (regem hac ratione insidi animi arguentes) caueri postulabant: cōtumelioſis, & ab omni veritate alienis de rege laudatissimo, & regno, officinę Iacobi Rothi scriptis Germaniam implebant: Grebino, territorij sui capiti, in ipso regis conspectu, præsidia imponebant: vrbem suam tam milite mercenario, quàm validis propugnaculis, magis ac magis muniebant. Quibus eorum facinoribus benignus rex irritatus, arcem Grebinensem, 26. die Septembris occupat, præsidia cædit, & fugat, multos pagos, quos Zulawa illorum habuit, euastat. Percitii inopinatis cladibus, damnisque, impetrant quatridui commeatum, vt vrbe tutò exire liceret. Egressi suburbium, pagumq; ditionis episcopi Vladislauiensis, senatoris regni Polonię, igni comburunt: ac paulò pòst cœnobium, iuris eiusdem antistitis, intra sua mœnia, ac itēaliud extra, quod Oliuense vocatur, antiquis principum Pomeraniæ sepulcris clarum, euertunt: imbelles monachos, alios contrucidant, alios ludibrio habent: misēre tamen ad regem cum certis postulatis octo viros: ad quæ eiusmodi responsum, primis Octobris diebus, accipiunt. Rege copias suas ex agris illorum abducturo, ipsi quoq; suos milites dimitterent, iuſ-

iurandum darent, exteros iurare nolentes vrbe mouerent, supplices veniam peterent, cõfirmationem iurium habituri, ad comitia regni venirent: tum decretũ ob contumaciam contra ipsos latum, & quæ vocarẽt grauamina iniustè sibi imposita, suo modo tollerentur. Acceptis his conditionib. nõ omnes illis probatæ: oblatas deinde alias, eodẽ modo aspernati sunt. Rursus impetrata 17. Nouembris, suis internuncijs, Constantino Ferbero, & Georgio Rosenbergio, vltro citroq; commeandi hisce legibus securitate, Calendis quoque Decembribus vlteriùs propagata, vt pacata ciuitate, dimissoque milite, ad regem venirent, delicti veniam petituri: rescribunt quædam à regis voluntate aliena: & quoniam conditionibus non satisfecerunt, retenti sunt à rege legati. Aliud semper, quàm par erat, & rex iustus volebat, respondentibus, humilibusque verbis superba scribentibus: extracta res est ad comitia Toronensia mensibus Octobri atque Nouembri, anni 1576. Gedanensium potissimè caussa celebrata. In quibus regia de ipsis sententia, ab omnibus prouincijs, ordinibusque comprobata est: deliquisse Gedanenses, & crimen contra maiestatem commisisse, inuenti. Quò, hoc cum responso, illi ijdẽ reuerterunt, quamuis rex exercitum abducat è Sulawa suum, ipsos tamen non esse id facturos: nec ad commune concilium, quum ad illud non pertineant, venturos. Mirabantur nostri hæc ab illis scribi, quum anno 1569. rex Augustus Lublini, aui sui Casimiri quarti, de cõcilijs, conuentibusq; Prutenicis illam legem, *Omnes causſas notabiles, ad terras Prussiæ pertinentes, cum communi consiliariorum earundem terrarum consilio*

tractabimus: ita commodè interpretatus sit, vt ostenderit, non esse certum locum hisce causſis tractandis definitum: nec hinc senatum regni, sine quo nihil magni rex cõstituat, excludi: sed ex indiuiduo Poloniæ cum Prussia vinculo, anno 1454. opera eiusdem regis facto, omnia communia sequi: non tamen leges harũ gentium confundi: ideoq; tali iurisiurandi formula, fidem suam regibus, & regno Poloniæ, consules ciuitatum Prussiæ atq; nobiles obstringere: *Ego N. iuro, quod sereniſſimo D. Sigismundo regi Poloniæ, & suis ſucceſſoribus regibus Poloniæ, eiusq; regno fidelis ero: eiusq; maieſtatis honorem, ſtatum regium, & commodum Reipubl. regni, & terrarum Prussiæ pro viribus procurabo: suamq; maieſtatem de omnibus damnis, quæ ſciuero, certiorem faciam: & ea manifeſtabo fideliter: ſic me Deus adiuuet.* Non destitêre porrò tempus terere varijs effugijs, clàm in Germania auxilia, conquerentes, rege prudenti futura prouidente, ac quę iam acciderunt, prædicente. Ad quem vbi Rosenbergius cum Henrico Lempka Iurisconsulto, vltimum ipsorum, ad ea quę 25. Ianuarij acceperũt respõsum, multò aliud, quàm sperabatur, Bidgostiam attulissent: statutũ est, post diu tentatam, tandem etiam contemptam mitis regis patientiam, debellare superbos, & vi cogere ad officium ciuitatem, quæ potestati à Deo institutæ nollet subijci. Nam quid aliud, bonum regem facere oportuit? Adducam huc, quæ tum etiam illis gratificabatur. *Responſum ſacræ maieſtatis regiæ, internuncijs ciuitatis regiæ Gedanenſis a maieſtate regia ad eorũ ſupplicationẽ datum.* Sacra regia maiestas satis abundè omnia intellexit, quæ ciuitatis Gedanensis

nomine ab ipsius maiestate petebantur. Existimat autem, ad frequentes ciuitatis suæ Gedanensis supplicationes, satis, superq; sensum esse clemẽtia, conniuentia sua regali: ita vt amplius vtendum sibi esse nõ putet tam diuturna procrastinatione, rerumq; & negotiorum propositorum dilatione. Verti ea in re iudicat dignitatem suam, expedireque rebus & consilijs suis censet, vt ista tractatio iam pridem instituta, nunc tandem finem suum sortiatur, modo & tatione infrà scriptis. In primis concedit maiestas regia, vt pro concludendis, vltimoq; fine terminandis conditionibus, à regia maiestate ciuitati oblatis, isto modo, quo regia maiestas cõclusit ac determinauit, in spacio sex dierum maiestati regiæ satisfiat, pleneque de his omnibus ciuitas regiæ maiestati respondeat. Hi verò dies per reliquos mensis Ianuarij dies anni præsentis, ciuitati concessi esse censeantur. Primò quidem ducenta millia florenorum, numeri, & monetæ Polonicalis, regiæ maiestati ciuitas persoluere debet. Prima quidem, in spacio vnius mensis: alia verò cẽtum millia, prima die Martij, anni futuri 1578. regiæ maiestati reponet. Et nunc etiam oblationi statuum Prussiæ innitendo, duplicem accisam ciuitas iustè & integrè contribuet, eamq; in thesaurum regiæ maiestatis inferet, prout id melius & vtilius ipsius maiestati fore videbitur: de quibus omnibus obligationem forma concepta, quæ mittitur, faciat. Illa quæ merè regalia sunt, quæ ex priuilegijs ciuitas Gedanensis regiæ maiestati pendere debet: ea quotannis exoluantur: ista enim obligationibus aut exemptionibus vllis subijci non vult. De 4. tormentis bellicis, vnà cum puluere, globisq; bene præparatis,

paratis, ad vsum belli præstandis, ciuitas regiæ maiestatis voluntati satisfaciat: in eoque regiæ maiestati morem gerat. De prorogatione temporis ad Palatium, aliaque ædificia regalia in ciuitate Gedanensi extruenda, permittit regia maiestas ex gratia, clementiaque sua, tempus competens ciuitati se cõcessurã esse. De portorio maris, negocium ad futurum regni cõuentũ reijcit: ita tamen, vt regiæ maiestatis scriba peculiaris ibi adsit, iuxta priorem declarationem. Grauamina, quæ authoritate sua citra consensum ordinum regni tollere potest, ea tollit: reliqua ad conuentum regni generalem differt, vt de illis ex sententia ordinum decernatur. Quæ tamen regiæ maiestatis de grauaminibus istis sententia sit, eam peculiari priuilegio super his conscripto declarauit. Si verò vult, aut magis cupit ciuitas, non abnuit regia maiestas, vt omnes articuli, & omnia grauamina, ac omnes actus commissariales, inter quos & portorij negotium est, ita vt etiam scriba ad id non adhibeatur, ad futurum regni conuentum reijciantur. Reliqua tamen placationis capita, ac declaratio religionis conseruandæ, stare debent loco, & tempore suo. Confirmationem iurium, & libertatum, iuxta formam præscriptam, quæ mittitur, regia maiestas ciuitati dabit: omniaq; priuilegia, iuxta illius contenta, conseruabit, eamque authenticè nunc extradet. Si fortè ciuitati placeat grauamina omnia, articulosque (placationis conditionibus & capitibus, tum etiam religionis conseruatione, de quo specialibus literis cauebitur, exceptis) ad futurum regni conuentum reijcere: literas reuersales, prioribus nõ absimiles, ciuitati dabit: quibus promittet, authoritatem

ſuam apud ordines regni interpoſituram eſſe, vt ciuitatis ratio habeatur, grauaminaque ipſius illegitimè irrogata diſcernantur, & abrogentur. Ante omnia ciuitas militem dimittat, regiam maieſtatem forma concepta deprecetur, cõuentis ſe ſtare obliget: fidelitatis iuramentum præſtet: omniaq; faciat, quæ ad ſubiectionis, fidelitatisq; officium ſpectant, & pertinent. In quorum omnium fidẽ ſigillum noſtrum apprimi iuſſimus. Datum Bidgoſtię 25. Ianuarij, anno Chriſti 1577. regni verò noſtri primo. His ſubſcriptio manus regiæ acceſſit. Dedit ijſdem die eodem priuilegium de grauaminibus, eodem quo dictum eſt modo, abrogandis, vſu Auguſtanæ religionis cõſeruãdo, omnibus priuilegijs legitimè impetratis cõfirmandis, deq; cæteris rebus, quadraginta capitibus cõprehenſis. Quę omnia quo animo acceperint, mœnibus confiſi ſuis, id ex ijs liquet verbis, quæ de Gedanenſibus regia maieſtas ſenatoribꝰ abſentib. vndecima Februarij Bidgoſtiæ perſcripſit. In primis, inquit, declarationem conditionum à nobis oblaturum illis dedimus: grauamina, quæ ipſi ſoli poteramus abrogare, dato priuilegio abrogauimus. Commiſſionis negotium, ad futurum regni cõuentum reiecimus: vt de eo ex omnium regni ordinum conſenſu decernatur, exemplum cõfirmationis iurium, ampliſſima forma, citra omniũ exceptionem, illis dedimus: vt nihil ſupereſſet, quod eorũ animos obſtinatos à præſtanda fidelitate, ac relinquenda temeritate, retrahere poſſe videretur. His ita conſtitutis, ſex dierum ſpatium datũ eſt, vt ſenatui & communitati ea omnia videnda mitterentur. Expectati ſunt ad 12. dies: quibus cunctationem hanc, certam pacem

pacem parituram eſſe credebamus. Ecce autem Roſembergius cum ſyndico aduenit: reſponſum nobis attulit, in quo nõ modò ea, quæ pacta & reſpõſo noſtro cõcluſa fuerant, inuerſa ſunt: verùm etiam multa alia adiecta, quæ non modo dignitatem noſtram, verùm etiam iura publica perſtringere videbantur. Etenim ducenta millia florenorum, quæ nos non placationis, ſed debitorum retentorum nomine, ab illis pacti eramus, quæ ipſi etiam tempore conſtituto ſoluere promiſerant, in tempus poſtea longiſſimum & incertum tranſtulerunt. Contributionem acciſæ abiecerunt: regalia noſtra, quæ nobis à ciuitate ſingulis annis pendi ſolent, in dubium vocarunt. Commiſſionem abrogare autoritate ſolummodo noſtra, extra conuentum, voluerunt: cum regno nihil ſe habere commune. Item alia, quę non commemoramus, ſcripſerunt. Quid ſaluo conductu durante fecerint, omnibus notum eſt: internuncijsq; pacis prætextu ablegatis, nihil minùs, quàm pacem in ciuitate tractarunt: hanc propugnaculis, & antemuralibus extructis munierũt: militem, qui dimitti debuit, auxerunt: eruptiones multas fecerunt: ex villis, & domibus nobilium prædas egerunt: villas incenderũt: euẽtus vt demõſtrauerit, illos nõ pacificationis, ſed ludificationis cauſſam nobiſcũ egiſſe. Tacemus eorũ innumera in nos & remp. cõmiſſa delicta. Iam videmus eorũ animos obcæcatos, in perniciem ſuam ruere. Sed nobis Deus teſtis eſt, quod lenis & clemẽtis principis officio hactenus vſi ſumus, atq; curauimus, vt illos ad ſanã, rationiq; obſequẽtẽ mẽtem reduceremus. Nihil profecerunt hortationes, legationes, perſuaſiões, cũctatiões noſtrę. Expectatũ diu

est,cum summa nostra,& Reipub. indignitate:nihil est intermissum, quod ad quietem publicã retinendam pertineret. Quid igitur aliud restat faciendum, quàm ne nobis & Reipub.desimus: atque vt sequamur,& suscipiamus ea cõsilia,quę ratio suadet, & iustus dolor exprimit? Hęc rex Stephanus animi erga suos paterni. Porrò quod respõsum ad illorũ postrema verba, eodem tempore à tribunali regiæ maiestatis profectum sit,operæprecium est his addere:vt cuiuis notũ sit,nihil regẽ temerè, nihil iniquè, nihil præcipitãter egisse, quo cũ missis in custodiam Lencicienſem Ferbero, & Rosembergio cõsulibus,post decretũ contra omnes latum, remissus Lempka est. Prospiciebat animo sacra regia maiestas, dominus noster clementissimus,hæc omnia quæ agerentur à Gedanensibus impetrandis toties salui conductus prorogationibus, non aliò spectasse, quàm vt rem extraherẽt ad hoc ipsum tempus, quod ad detegenda apertè nefaria sua consilia magis idoneum arbitrabantur. Cuius illorum instituti cùm antè nõ parua indicia hæc essent, quod in tractationibus, à leuioribus postulatis orsi, grauiora, quoties legatos ad sacram regiam maiestatem remitterent, indies adderent:quibus tantum abest,vt pro patrato crimine omnium grauissimo, regiæ maiestati satisfacerent: vt etiam iam propè gloriãdo de crimine hoc admisso,magis,magisque offenderent, quod tamen sacra regia maiestas patienti ac paterno animo ferebat,ac ea, quæ ad iura illorum, & libertates augendas spectarent,illis concedebat,quę non rebellibus,verùm bene meritis de principe suo subditis deberentur:vt hac sua clementia eos ad officium reuocare posset: nihil

nihil tamen,vt videt,eos hęc benignitas mouit:cùm ad superiora postulata iniqua, hæc posteriora impia ac nefaria prorsus adiecerint,ita cõcepta,vt iam meditatum scelus prorsus detegant,& tam regiæ maiestati,quàm Reipub. communi regni Poloniæ, contra iusiurandum maiorum suorum, diuo Casimiro regi,eiusque successoribus ac regno datum,valedicant: nec publicis regni consilijs ac ipso regno, in cuius titulum ac ius, vt maiores ipsorum iurarunt, concessissent, quidquam commune habere, impudenter, & nefariè scribant. Iam verò sacra maiestas regia non solùm iniquitate,& insolentia postulatorum in dies lædebatur: verùm etiam alio genere iniuriarum, non modò ciuitate non exonerata (iuxta formulam salui cõductus, mittendorum ad regiam maiestatem oratorum dati) externo milite, verùm etiam maioribus conductis copijs,& nobilium ac aliorum subditorum sacræ regiæ maiestatis vrbi vicinorum pagis ac ædibus spoliatis, direptis, ac etiam exustis. Quamobrem,cùm iam apertè constet,obfirmatas in scelere perduellium Gedanẽsium mentes,humanitate sacræ regiæ maiestatis ac alijs leniorib rationibus ad officium reduci non posse: alijs grauioribus sacra regia maiestas vti, pœnasq; meritas de illis sumere necesse habet. Itaq; decretũ suum, quo illos perduellionis damnauit,iam iamq; publicat,& promulgat: omnem securitatem terra, mariq́ue illis adimit: & tanquam impijs in principem & patriam hominibus,aqua,& igni interdicit.

Bello sic indicto, & cura illius Ioanni Zborouio, vni ex ordine senatorio, demandata: posteaquam Gedanenses cognouissent,quàm paucos milites rex

Stephanus, Grebino capto, & Sulaua depopulata, in agro ipsorum reliquisset: quasi nõdum satis tot malis, damnisq;, quæ illis rebellio attulit, afflicti: accersenda plura esse potiùs, quàm aliquid regi cõcedendum, qui illis nihil, nisi Batori esset: & si fortuna faueret, opprimendos esse paucos antè quàm plures confluerent, animis obfirmatis statuerunt. Iam verò ab illis, qui ad regem ventitabant, voces illæ audiebantur, posse ipsos, si modò vellent, nullo negotio nostros obruere milites: rati idem esse, velle quid & facere posse. Rei igitur huius auspicato aggrediundæ diu expectabant occasionem. Visum est Pascha percommodum, (septima Aprilis fuit) quũ omnes vbiuis Christiani cultui diuino maximè incumbere solent. Confisi ergo viribus suis, & Ioannis Coloniẽsis, ducis sui magno præmio ex Germania euocati, experientię: ad hæc omnibus necessarijs ad euertenda, diruendaque oppida bene instructi: hoc consilio vrbem egrediuntur crepusculo vespertino, vt oppresso milite nostro, & Derssauia, (Czceuum nos vocamus) in quam se tempore hyberno ex agro receperat, expugnata: ad Gnieuum, Nouum, Staragardum, cæteraque regia oppida procederent vastãda. Verùm nondum vrbe omnibus egressis, ea tempestas exorta est, (Deo profanatæ augustæ diei, & regis contemptus vindice) ijque cæli tonantis sonitus, & fulminis ictus auditi, vt vnius propugnaculi pars auulsa, in fossam corruerit: equus ductoris, fulgore atque fragore attonitus, succubuerit: ipse sessor à satellitibus, quibus stipatus erat, suffultus: duo equites è ponte fossæ impositi, in aquam profundam delapsi sint, nec sine labore alter extractus, alter

ter aquis obrutus. Reducto itaque in vrbem exercitu, idem postera die, alijsque deinceps ab illis tentatum. Sed hæc ipsorum aduersus summum Prussiæ magistratum suscepta consilia, semper pluuia impediebantur. Ea tamen cæcitas hominum fuit, vt adeò aperta futuræ stragis omina, non Deo, à cœptis eos, quæ oderit dehortanti, sed sagarum veneficijs tribuerint: duasque eam ob caussam in carcerem compegerint: suspicati, à nostris conductas procellam incantamentis excitasse. Armant interim duas naues vectorias, totidemque minores, duplici via regios milites inuasuri. Tandem 16. die mensis eiusdem, sole ad occasum vergente, aduerso flumine Vistula sed ventis iuuantibus, Czeuum primùm oppugnatum contendunt: parte ab altera, tam equestres, quàm pedestres cohortes emittunt: de quorum lento progressu Zborouius, insignis virtutis imperator, à velitibus Strussij, qui tum in excubijs erant, certior factus, & quos sæpe ad pugnam prouocasset, mœniaq; illorum penè attigisset, nunc primùm prodire miratus: procedit illis eum suis obuiam: locum pugnæ commodum ad pagum Rokitki prope aquas deligit, &, donec propiùs accederẽt, locaque aquosa præteriret, ordinatis aciebus expectat. Substitẽre Dantiscani ad villam Langnaw, quæ paulò plus vno milliari distat Derszauia, præmissa ad excubias ea exercitus sui manu, quæ maior fuit omnibus Zborouij copijs. Hic Zborouius memor circumspecta celeritate nihil in bello melius esse: inuadendi securos, lætosq; consilium capit. Sed timens oppido, ne interea ab hoste nauibus egresso occuparetur, néve bono mutato loco, incõmodio-

re agenda res foret: prudenter illud mutat: nec tamẽ in oppidum redit, veritus ciuium proditionem: nam cum Gedanensibus facere videbantur. Dispositis igitur quaquauersum vigilibus, & missò cum 60. Tartaris, qui nauibus imminerent, forti viro Andrea Carcho Wscio noctem in equis cum suis transigit. Oriente sole, septima decima Aprilis die, hostis appropinquare visus, nostris nonnihil multitudine illius perculsis. Conspexit & Colonienſis nostros, non absque stupore: quòd pauci, quos ad sui cõspectum fugituros putabat, tãtis cum copijs venientem expectarẽt. Illis ergo vltra fluuiolum, & lacum editiore loco constitutis, nostris ex aduerso stantibus, néve ab illa vi hominum magna circumdarentur cauentibus: incipit velitatio, duabus ferme horis ab ortu Solis, grauis nostris Cosakis (quos ferentarios, licet, seu velites vocemus) Germanus eques fuit, vndique armis tectus. Quibus confestim misit imperator in auxilium 20. Vngaros generosissimos, & Stanislaum Iordanum manu promptum iuuenem, cum 50. equitibus. Descẽdebat in arenam ipse quoque Colonienſis, veluti quidam suorum moderator. Ciebatur ergo prelium magna animorum alacritate, sed Germani ita cursitare, vt impetus hastatorum vitarent, idquevnum facerent, quo nostros illo pertraherent, vbi tormẽta ænea collocata erant. Quod vbi animaduertit Zborouius, datis de vitando periculo præceptis, miscuit hastatis equites è peditatu sumptos, cum tormentis longioribus. Defatigatis pugna, & cursu vtrisque, succesẽre integri. E nostris Zolkieuius cum turma Ioãnis Zamoiski, regni Poloniæ Vicecancellarij, nõ minus, quàm priores alacer pro-

cer prodit. Vulnerati aliquot Germani: vnus equo detrusus, equus alterius transfixus corruit: iam etiam duo à ferẽtarijs anteuenientes currentibus occisi fuerant, nostris saluis. Felix prælij principium incendit spectatores ad audenda facinora maiora: equis nostrum, ad clangorem tubarum, tympanorumque sonum, adeò gestientibus, vt ab sessoribus ægrè tenerentur. Quum tali pugnæ præludio detinentur nostri, Colonienſis misso illo pergendi vlteriùs ad oppidum obsidendum consilio, postquam vidit Zborouium pugnandi copiam haud impigrè facturum: suis vt consuleret, sẽpimentum è fissis trabibus, quas secum, vt alia omnia, vehebat, facit: nihilominus tamen ferme ducentos, ad nostros in acie destinendos mittit, astutè omnia: vt cuius rei bellicæ scientia, celebris in Germania sit ob defensam Magdeburgũ. Igitur collocata intra illud munimentum suorum bona parte, ipse interim cum tormentis, & lectissimis quibusq; viris, ab altero montium latere, nostros à tergo aggressurus, ad lacum Libissenſem suis fatalem, iter intendit: ratus vndique comprehensos, nisi fugerent, sua in potestate facilè futuros: vbi iussus properare centurio Ransauius, respõdisse fertur, lentè festinãdum esse: videri enim sibi Polonos ad certamẽ magis, quàm ad fugam esse paratiores. Erat autem ibi in excubijs Temrukus, expertæ virtutis miles, cum 50. velitibus. Qui hostilem vim imparem esse suis viribus sentiens, maturè sibi subueniri petijt: laborantibus missum euestigiò subsidium. Zborouius, astu hostis deprehenso, quid facto opus foret (fugere enim ignominiosum esse ducebat) protinus init cum suis consilium. Vrgente

vndiq; periculo, non longa consultationi mora data, placet illuc omnem equitum, peditumq; globum conuertere, vbi ipsum caput hostium foret. Quum verò nostri vidissent, mutatum esse ab hostibus aptum ad pugnam locum, (nam & alij, qui munitione continebantur, ijsdem tramitibus ducem sequebantur) adducti sunt in spē victorię. Proinde extemplo disijciunt ponticulum fluuiolo impositum, ne ab velitationi deditis, & intra sepimenta latentibus, à tergo inuaderentur. Itaq; quum in illa potissimùm parte, quò properè tendebat Colonienſis, omnis belli vis sita esse videretur: nec periculum ab nauib. vi brachiorū vento aduerso tardè tractis, oppido incūberet: Zborouius suis præcipit, vt velitationi finē imponerēt: præterea ciuium magistrum dubię fidei confirmat, vt, si quæ vis hostilis ingrueret, saltem aliquot horas bona fide obsidionem sustineret: cuius rei caussa quinquaginta pedites Polonos cum tormētis manuarijs ei reliquisset, ipse breui, hoste, Deo adiuuante, superato, cum pluribus affuturus. Tum admonitus ab Haidonum ductoribus, quorum tres in acie cecidēre, vt prælium antè iniret, quàm hostis suos ordines planè explicaret, tormenta iam disposita, terra congesta muniret: ficta oratione addit suis animos, spe iam iam Vistulam traijciētis mille equitum, peditumq; auxilij: orat præterea omnes, vt alij alijs offensas condonent, pœnitentia placato Deo, suppliciter opem illius implorent, morti gloriam anteferant, hostes non numerent sed inuadant: néve eorum conspectu terreantur, qui breui tempore futuri sint in ipsorum potestate: quòd superbi, maledici, rebelles, cōtumacesq; sint: paucis antè mensibus

Oratio Zborouij ad milites.

bus ad Grebinum, Glowam, & alibi ab illis profligati: olim verò ab ipsorū auis atq; proauis ad quinquaginta millia cæsi, capti, fugati: omnino absq; bōbardis & munitionibus imbelles ac timidi: quod illico ipsimet experturi sint, modò pristinę virtutis, nominisq; sui, à cāpestri prælio accepti, memores pugnēt viriliter pro Christiano magistratu: Deo freti, vltore rebellionis, quem ducem habeant propitium, quiq; paruis copijs, tam iusto quàm hoc sit bello, ingentes superare soleat. His alijsq; istiusmodi dictis, mirum in modum recreati sunt omnes, & ad impar prælium accensi. Dehinc Haidones, velut in rabiem versi, (erat à meridie hora ferme prima) ab dextro latere, equites à sinistro, in hostem, vbi tormēta fuēre, irruunt: suos contra ipsum sclopos quinquageni exonerant: hastati sarissas, ferētarij venabula in oppositos vibrant: alij arcus manu certa tendunt. Centuria verò Strussij, sublato clamore terrorem Germanis à tergo incutit. Nascitur pro formidine gaudium, multis ex aduersa parte cadentibus. At ab hoste emissa è tormentis iacula, perpaucis nocuerunt, hastas nō paucas cōfregerunt: quippe quòd equites incōmodo loco cederent, pedites autem, conspecto ardente puluere tormentario, supini caderent, pro mortuis ab hostib. habiti: rursusq; sclopis instructis, resurgerent. Damnosa hæc Germanis fuit carnis resurrectio. Quibus aliquātisper resistentibus, monet Haidones moribundus ductor ipsorū, vt si vincere vellent, abiectis sclopis victoriā retardantibus, acinacibus, recti capita securibus, rem cominus agerēt. Obsequuti monitori, manus cū hoste acriter cōserūt, & adiuuātibus equitib. ordines cōturbāt ferreo-

rum hominum poplites succidunt. Cæteri hastis & gladijs nunc pectora transuerberant, nũc capita petunt. Par gentis vtriusq; virtus & gloria: par hostium diuersarum gentium debilitas & formido. Aduolãt & turmæ aliquot equitum, quæ ad succurrendum lassis, à prouido imperatore in proximo collocatæ erãt, nequaquam alijs segniores. Paulò plus vna hora incerto euentu dimicatum. Vrgẽtibus nostris ferro, equis, clamore, cadunt primores Germani, denique & alij, viri proceri ac lacertosi, tormentis, in quibus illis omnis spes victoriæ fuit, & priuati, & frustrati. Dein magis ac magis instantibus nostris, terga vertunt reliqui, tanta festinatione, ac ita confertim, vt alius alium ponte detruderet. Magna pars festinè arma exuentes (miseram spem salutis) ad proximum lacum tranandum conuersi. Nimirum ea vis metus est, vt homo à quouis potiùs alio, quàm ab homine irato absumi malit. Quare magnus numerus in lacu demersorum visus. Pars suo cum glorioso duce, in lacum etiam impulso, vertit se in fugam: nostris eos ad tertiũ à prælio miliare (Prusiecz ruri nomen) summa contentione persequentibus, & magnas illorum strages edentibus. Non pauci montes, alij syluas Cassubicas & Pomeranicas, effuso cursu petierunt. Tunc illud euenisse visum, quod Moses malis prædixit: Efficiet (inquit) Iehoua vt corruas ante hostes tuos, & in quos vna via exieris, eosdem septem vijs fugias: quibus in retum omnium penuria seruietis: illi verò imponent ceruicibus vestris iugum ferreum, vsque ad vestrũ exitium. Intacti illi, equis currus trahentibus conscensis, profugerunt, qui extremum agmen claudebant. Permulti è montibus & syl-

& sylùis à regio milite extracti, ad imperatorem trepidi adducebantur. Post victoriam aiunt Haidones Zborouio, ab inclementia illos auocanti, hisce verbis respondisse: Si nos hosti parceremus, ille victor eodem modo quo nos nunc (quæ dicentes, hos è captiuis detruncabant, illos mutilabant) in te sæuijsset. Fugientes persequentium tantus erat ardor, vt ad signum inclinata die receptui datum, non nisi ducenti equites, bene cruentati, ad ducem oppido opem laturi redierint: alij pòst, cum præda sequuti. Vbi Haidonum ductores orauit Zborouius, vt suos ad alterum hostem adoriendum conuocarent. Qui licèt non minùs quàm equites cædendo defessi, noctisque præteritæ vigilia atque diei inedia fracti forent, tamen simul omnes præeunte Zborouio, illos qui è nauibus iam ad alteram ripam stantes, & nuncios de victoria suorum opperientes, globos machinarum muralium aduersus oppidum incassum eiaculabantur, inuadere, aggrediq; cupiebant. At hi casu suorum, ex aduẽtu nostrorum, & globis tormentarijs contra se eiaculatis, cognito: domo, vbi traiectus est, incensa, & omni quæ in ea fuit cereuisia epota, supellectile direpta, fugere incipiunt: paululumque prouecti, (nam ventus aduersabatur) se post insulã abdunt. Interim Mariæburgo, ad preces Zborouij, nostris subsidio venit Stanislaus, filius Ioannis Kostkæ, prefecti Mariæburgensis, cum suorum globo, & quatuor tormentis telorum: cui persequendi hostem ab illa eadem ripa, datum negotium: quod bene cœptum, non minori fortuna peregisset, ni & nox obscura, & ventus secundus, fugientibus opem tulisset. Quàm autem salui hi quoq; domum reuer-

terint, parum liquet: illud certũ, multoties à nostris fuisse globis tormẽtarijs petitos. Qui cladi superfuerũt, capti mille, prẽter illos quos vicina nobilitas fugientes cõprehendit: aliquot ita opulenti, vt vitam multis nũmûm aureûm millibus redimere cupiant: Vidisses decẽ, plus minus, Germanos ab vno vinciri, vel Polono, vel Hungaro: vinxit & quædã mulier duos: (tantus pauor pectora illorum occuparat) ac quodã è nostris vincula quærẽte, protulit sua spõte è sinu captiuus: En (inquit) habes: colliga manus, vitæ parce. Occubuêre in acie 4427. viri: id ex illis qui iussu imperatoris occisos humabant, cognitum. In fuga cæsorum, & aquis obrutorum, quum hæc scriberem, nondũ erat collectus omnis numerus: non paruus, opinor, si modò victus verũ fateri vellet. Tẽdebat iam tot cadauera, quorũ lacus atq; viæ plenæ erant, terra obruere: à feris & alitibus multa depasta. Inuẽti à vespillonib. seu duo seu tres, qui ad tertiam vsq; à pugna diem, denudati vti omnes alij, morte simulata, inter occisos latuerũt: rogati verò cur nõ interea temporis fuga vitæ consuluissent, respondẽrunt, metu Haiducorũ inclementium, qui sibi instare visi semper essent, assurgere ausos nõ fuisse. Signa pedestria quinq; adempta, vnum equestre: idq; erat maximũ, & AVREA LIBERTAS, aureis literis scriptum habebat. Scilicet rex eam illis eripere voluit: qui se omnium iura, publica & priuata, & quam quis profiteretur religionem, incorruptè seruaturum, semel ad aram sanctè promisit, idq; adhuc præstitit. Tormenta ænea magna septem: parua triginta, tribus vecta curribus, ablata: currus 150. relicti: armaturæ ter mille quingentæ, è spoliatis ad ducem comportatæ,

portatæ, & tormenta manuaria permulta: quibus iacturæ militum compensatæ sunt. Largitus est alia quoq; dona Zborouius cuiq; fortissimo: adeò munificè, vt ipse nihil planè è præda sibi reliquerit, contentus sua gloria, quæ illi ex re bene gesta nata est: tametsi hanc etiam ab sese amouens, soli Deo, à quo profectam manifestè videbat victoriam, & felicitati regis sui, triplici iam triumpho insigni, libenter tribuat. Quis enim, nisi impius, hoc solius Dei beneficio factum esse nõ fateretur, vt bis mille viri, 12000. siue 14000. hostium, profligarint, maioriq; ex parte cæciderint? Fassus est hoc & agnouit pius rex cùm illo loci veniens vbi pugna peracta est, hæc proferret: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Regij verò milites (quod mirẽre) solùm duo desexaginta occisi, centum triginta vulnerati: hos inter nõnulli, dum tormentis potirentur, fœdè ambusti, quòd magister tormẽtorum, viso extremo discrimine, dolio puluere nitrati ignem iniecerit: quo ipse vnà interijt. Horũ nomina, ni pigeret possem referre: sed breuitatis habenda est ratio. Equi 38. cæsi, 65. saucij ac læsi. Reperta apud plerosque omnes Germanos, varij generis vincula, nostris ligãdis parata, quę ipsorum met brachia senserũt. Ita illud verè dictũ à Solomone: Parari equum ad pugnẽ diem, sed Dei esse victoriam. Illud immanius, cõfectas ab illis fuisse glandes venenatas, quæ sursum è tormentis breuioribus (quę duo fuêre) iectę, mortem illis afferrent, quoscunq; earum scintillæ attingerent. Fastũ porrò illorum, & ante victoriam triumphũ, illud arguebat, quũ sui generis vicinos prẽmonerẽt, maturè migrarent aliò cũ preciosa, quaq; supellectile,

ne quid hostile à milite experirentur: quorum dictis quidam oppidani territi, sua Grudzadzum, alij aliò auehebant. Quin etiam in ipso procinctu, alter præbibens alteri, hic tres, quinque ille, alius decem Polonos vinctos, vir vxori, miles amicæ, adducturum se promittebat, & pro vno capone pingui tres se captiuos daturum spondebat. Præter hæc, vrbe exituri, spectatores alloquebantur, eos ipsi quoque comitarentur ad pugnam breuem quidem, sed longæ, opimæque prædæ: (perrecturos se vltra Derszauiam opinati) vel saltem extra vrbem opperirentur reduces cum spolijs Polonicis atque Vngaricis. (ita paucitas nostrorum despecta ab illis fuit) Stabat ergo populus in montibus belli euentum expectans. Primum, eumq; certum, irati numinis ciuitati nuntium carnifex attulisse dicitur. Non credita res diu, mutilis cursim carnificem sequentibus, fidem meruit: & posse abs rege vinci superbos subiectos, vt antè Lanscorona, Grebinum: ita Derszauia declarauit. Constãs fama est, paulo minùs sexcentis mulieribus Dantiscanis hoc prælium viduitatem, nõ paucioribus reor orbitatem attulisse. Cumque Colonienſis in vrbem anhelus refugisset, hisce illas cum eo verbis expostulasse: Redde nobis, sceleste, viros: redde filios, redde cognatos, quos tu non eduxisti, sed seduxisti: victuros, si intra portas se cõtinuissent. Is Zborouio denuntiasse fertur, se de integro fortunam belli experturum, sumptis secum vrbis clauibus, si superetur, victori tradendis. Quod an credam ambigo, quum tanta sit ciuium consternatio, tantus mulierum & natis orborum parentum dolor atque plangor. Addere animos possunt Danica, ciuitatumque maritimarum auxilia. Et Gedanenses quidem ita attriti sunt, die, mensq; eodem, sed anni alterius, quo Stephanus Batorius, primùm ex Hungaria Cracouiam (quæ regum sedes est) ingressus, regnum inijt. Afflicti autem, non ob solam diu meditatam rebellionem, (non enim temerè vrbem suam magno sumptu & studio, muris, propugnaculisque aliquot annos firmabant) sed etiam propter tetra de bono rege, regnoque ipsius, à quo Gedanum alitur, scriptis prodita mendacia, & in ipsa vrbe iactata in regem conuitia: quum regi, qualis qualis est, nefas sit maledicere: crimen, de altero falsum dicere. Adeò infelix prælium, tantum terrorem permultis incussit, vt clàm cum ijs quę facilè auferri possunt, emigrẽt ex vrbe, (metum illis aduentu in Prussiam fortunati, animosiq; regis, quotidie augente) nec vlturi ignominiam, ad tympani, aucto stipendio, trium dierum pulsum, dare nomen militiæ alia lege quisquam voluerit, quàm ne pugnatum foras educatur. Ij missum ad se à Zborouio cum literis tubicinem, quibus eos addeponendam rebellionem, cuius pœnas luissent, inuitabat, interemerunt. Quibus Zborouius iratus per obscurum quendam libertate donatum captiuum, denuntiari iussit, se 50. ex illustrioribus captiuis, in ipsorum cõspectu palis infixurum, ni sibi parricidas traderent. Ad hæc illi, ab irato suis peccatis Deo se punitos esse cõfessi, traditurosque se homicidas rescripserunt, & ad colloquium cum imperatore & Ioanne Kostka, Voiuoda Sendomirienſi, se admitti petierunt.

Habuit Zborouius, Gnesnenſis Castellanus, non plures milites 2027. Prima equestris centuria, ipsius-

met erat: altera, Andreę Fierlei, Castellani Lublinẽsis: tertia, Ossolinij Krzessouiensis Præfecti: quarta, Kasanouij: quinta, Nicolai Gostõski: sexta, Adami Balinij: septima, Zebrzydouij: octaua, Lesniouolscij: nona, Gnieuosij. Stanislai Iordani 50. solùm equites fuere. Ex voluntarijs, Ioannes Zamoyscius, Procãcellarius, 37. Hieronymus Gostonskius, 10. Stanislaus Przyienskius, 16. ex aulicis autẽ regijs Ioannes Tencinius comes, Castellanus Voynicensis, 50. equites habuit. (sunt Castellani secundùm rege ordinis senatores: Voiuodæ, quos Palatinos vocamus, primi) Zlostouius 7. Iacobus Pilchouius totidem, Malicius, 5. Bielawskius, 4. Procopius Pieniazek, eques Maltensis, 6. Hungari 40. quorũ cognomina ignota mihi sunt: nota virtus & fortitudo. Hi omnes, nu. 1132. hastas prælõgas, scuta, breues sclopos, & gladios duplices gerebant. Hussarorum nomen habent. Velites 215. fuerũt: quibus, præter acinaces, venabula, arcus, loricæ, arma sunt: 100. Strussij, Præfecti Bratislauiẽsis: 50. Tenruki: 30. Scythæ regij: totidem Andreæ Comitis Gorkani, Castellani Miedzyrzecensis: 5. Andreæ Karchowskij. Hos appellãt Kosakos: equites celerrimi. Regios Stanislaus Gizitzki etiam tum (opinor) ducebat, miles celeberrimus. Pedites verò regij, generis Hungarici & Slauonici, stupendæ audacię atq; agilitatis, 600. Haiduci patrio sermone vocati: imperatoris, 30. Fierlei, 100. è quibus 50. oppidi defensio iniuncta erat. Torrmẽta cãpestria duo tantùm: his multò minora, Haken Germanis dicta, 27. Contrà, Gedanensium cohortes pedestres sex fuerunt. Quæ erat imperatoris, viri cætera egregij, ni operam suam rebellibus nauasset, 600. viros cõplectebatur:

ctebatur: centurionis Kleuneri, 500. Lemkæ, 600. Esterreicheri, 600. Rausawi, 500. Vetsteinij, 300. Equites mercenarij, 400. ciuiles totidem. At ciuium numerus, omnibus quasi ad certam victoriam cupidè ruentibus, cõfessione captiuorũ, vel 8. vel 10000. superabat. Vt enim diues opum, ita populõsa est ciuitas Gedanensis: cuius portu nullus alius in Oceano Germanico nobilior: aqua profunda, muris & aggere prælto, ita munita, vt inexpugnabilis esse videatur. Si igitur 8. tantùm millia oppidanorum, ad excutiendum iugum regium egressorum posuerimus, numerus omnium militũ 12000. minus 100. efficit: si duobus plus, (nam captiui variant) 14. sunt millia. 12. igitur viri vnum militem regium fugiebant. Hæ fuerunt Gedanensium copię, sanè magnę: quibus freti, Magistratui, toti Prussiæ diuinitus dato, resistere voluerunt; nolle se vnctum Dei osculari, quem ille præ cæteris septem competitoribus delegit, ostenderunt. Regem prudentem, pium, clementem, quem alij omnes reuerentur & amant: soli infeliciter oppugnauerunt: & (quod illi molestissimum est) à ferendo Russis contrą Tartaros auxilio, qui eodem tempore in Russiam irruerant, auocauerunt: cuius caussa, vt æquior est, ita fortuna superior futura.

SVPPLEMENTVM DE REBVS GESTIS INTER REGEM POLONIÆ, Stephanum, & magnum Ducem Moschouiæ: anno Domini 1579. in Augusto.

COnstat ex lectione historiarum, inter Polonos & Moschos, diuturna bella extitisse. Dum vel maximè Moschus Lituaniæ aliquot prīcipatus & prouincias sibi vsurpare voluit. Poloni verò vbi Iagellonem magnum ducem Lituaniæ, qui Wenceslaus dictus, in regē assumpserunt, regnum cum Lituanico principatu cōiunctum, & armis Polonorum defensum. Hoc videre est locupletissimè apud Cromerum historiographum Polonum. Et licèt multis præclaris victorijs Sigismūdus primus, Poloniæ rex de hoste Moscho potitus est: tamē sub Augusto Sigismūdi filio cœpit dux Moschorū, valde esse infestus Polonis, & toti Lituaniæ. Atq; prætēdere cœpit sibi nescio qp ius in Liuoniā, quæ ante aliquot annos dedit se in fidē & clientelam regis regniq; Poloniæ. Quare occupato rege Polono: & etiā ocītāte, impetū fecit in Liuoniā, eam est depopulatus: arces & oppida multa occupauit: Et deinde in Februario ante annos viginti, arcē Polosko in Lituania, minus diligenter munitā obsedit, & per deditionē capit. Paulo post alias arces & ditionē Polokensem, quæ satis ampla est, in Lituania accepit. Sic res illi successere Moscho

feliciter: quamuis Poloni collectis copijs sæpius vnà cū Lituanis, voluerint recuperare amissa: sed hæc nō potuere suā sortiri effectū, ob varios Reip. Poloniæ casus aduersos. Nimirum ppter interregna, cū Sigismūdus Augustus obijt, & Henricus Valesius electus: Deinde cū Hēricus Valesius inde discederet, & Poloni de noua electione soliciti, Stephanū Battori principē Trāssyluaniæ elegerūt. Quocirca postquam in locū Henrici Valesij, Stephanus Battori est suffectus, dedit operam, vt ea quæ ad dignitatē regni pertinerent, persequeretur. Et cùm iam inducię cū Moscho propter Lituaniæ principatum æstate superiori finiēdæ essent: haberet q; rex Polonus apud se legatos principis Moschorū: qui satis superbè pro more gentis legationē suam obire voluerāt: existimauit è re totius regni esse, si armis aperiret nomē famamq; Polonicam, & repeteret possessiones à Moscho iniustè acceptas. Indicitur itaq; bellum aduersus Moschū: conscribitur vndiq; à rege Polono miles, siue Polonus, siue Germanus, siue Hungarus fuerit. Vnde factū est, vt à vere vsq; ad ipsam æstatē rex tantū laboris impēderit: qp expeditiōe publica facta, exercitū mouerit in ipso Aug. mēsis principio aduersus Moschū: Quod quàm illi fortunatum fuerit, ex edicto regis q; iussit fieri pre feliciter gesta aduersus Moschū videre est: illud edictū, vt est Cracouiæ typis expressū, hic subijciemus.

EDICTVM REGIVM DE SVPPLICATIONIBVS OB *rem bene aduersus Moschum gestam.*

STEPHANVS Dei gratia rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kijouiæ, Volhyniæ, Podlachiæque, &c. princeps Transyluaniæ.

Vniuersis & singulis, reuerendissimis, reuerendis, magnificis, generosis regni nostri consiliarijs, dignitarijs, officialibus, nobilibus, atque alijs ordinibus omnibus syncerè & fideles nobis dilecti. Quod superioribus proximis omnium reipubl. ordinum comitijs decretum fuit, vt bellum hoc anno contra magnum Moschorum Ducẽ administraremus, curæ nobis pro regio nostro munere, nostroque in rempub. studio esse siuimus: & contractis exercitibus nostris, comparatoque aliquo partim contributionum pecunijs, partim (quod cõtributionum pecunię minimè satisfacerent) alijs rationibus belli apparatu, extrema Iunij die Vilna ad copias nostras recensendas lustrandasque Suirum discessimus. Quo quidem in loco, multa nos diligensque deliberatio tenuit, quorsum nos potissimum cum exercitibus nostris in hostem conferremus, quidque rectissimè & quàm maxima cum vtilitate reipubl. nobis ante omnia, bello aggrediendum esset. Rebus verò omnibus in accuratam considerationem vocatis, ex iudicio & senatorum nostrorum & aliorum militarium virorum, qui nobis aderant, eam tandem in sententiam descendimus, vt primam nostrorum armorum vim ad Polociam oppugnandam conferri oportere concluderemus: quod quidem ea arx ceruicibus magni Ducatus nostri Lituaniæ, atque adeò ipsi ciuitati nostræ Vilnensi, nulla alia firmiore munitione interiecta immineret, ex qua nobis in alijs remotioribus regni locis occupatis, oblata occasione summam non modò Lituaniæ diripiendæ, sed Vilnæ etiam adoriendæ facultatem hostis habiturus videretur. Faciendum præterea necessariò nobis visum est, vt cùm bellum hoc non modò rerum communis reipub. recuperandarum caussa, sed hostem quàm longissimè remouendi, grauiusque coercendi gratia susceptum habeamus, expeditionibus nostris in his potissimum regionibus maxima anni parte, aut frigoribus grauissimis, aut imbribus assiduis militię infestis, tum quoq; ob vastitatem difficillimis: propinquiorem aliquã sedem & quasi officinam, quam ipsa Vilna esset compararemus, ex qua quidem officina, quam maximè integrũ recentemq; penitius in solum hostile ducere militem, & belli instrumenta impedimentaq; minore cum negocio ad res cũ celeritate felicitateq; gerẽdas transferre possemus. Quãta enim cũ difficultate ac detrimẽto Vilnę illud facturi essemus, breui hoc itinere, quò cũ exercitu nostro progressi sumus, magna nostra cũ molestia cognouimus. Accessit & illud, quod hac arce qua firmiorẽ maioremq; hostis nullã habet, expugnata de alijs retinẽdis hostem eò magis diffidere, & occupãdis militẽ nostrũ sperare doceremus. Tantum verò abfuit, vt nos eò deterreri oportere iudicaremus, q; locus ille ab omni opere belliq; apparatu

tu firmissimus esse, perhiberetur: vt hoc potius de principio nobis recentibus militum nostrorum viribus animisque, quàm ijs militiæ diuturnitate afflictis tentandum existimauerimus. Cùm igitur nihil factu potius vtiliusque iudicatum esset, nos factis ab inuocatione opis diuinæ auspicijs, Suiro primum illustrem Nicolaum Radziuil Palatinũ Vilnensem, cum aliquibus equitum peditumque Lituanorum copijs,& certo Vngarorum numero,cum generoso Gaspar Bekkiesz Polociam præmisimus itinerum claudendorũ caussa, ne quid à magno Moschorum duce præsidij accederet, quo & si maioribus in magna etiam viæ difficultate itineribus peruenisset, tamen cùm iam antè nostras ad hostem literas misissemus, quibus bellum ei diligenti cum explicatione caussarum denunciauimus,biduo antequam nostræ illæ copiæ ad Polociam accessissent, equitum & peditum aliquid ab hoste in arcem immissum est: adhibita verò à Palatino Vilnensi,posteaquam propinquo ad arcẽ loco consedisset,ea diligentia est, vt pòst nullius subsidij hostilis accessio facta sit. Nos cum exercitu nostro & tormẽtis impedimentisq; bellicis, in summa viarũ iniquitate quã pluuiarũ assidua magnitudo,& horũ agrorũ natura effecit,minorib. itinerib.subsequuti fuimus,interea à copijs nostris quæ præcesserant, arces tres, Kosiana, Krasne, & Sithno per excursionẽ celeriter occupatæ, & incẽdio deletæ sunt. Vndecima Augusti die proximè Polociam cum copijs omnibus nostris mouimus, & propinquo ad mœnia loco castra metati sumus, arcem ciuitatemq; tribus locis obsidione cinximus, eademque die locis omnibus munitiones,fossasq; propius hostem

hostem agere iussimus. Postridie ciuitatem nõ mediocriter fossis & aggere,& propugnaculis & parietibus densissimis, tum quoq; præsidio firmã ea maximè de caussã,quòd illo loco nos à propinquiore ad arcem accessu prohiberet,incẽdimus,ac totam paucis horis deleuimus. Tum longius munitionibus nostris ad ipsas arcis portas promotis, omni conatu in arcem expugnandam incubuimus. Ostenderat vi sua prepotens Deus,in manu sua rerum gerendarum potestatẽ esse, & assiduas pluuias pluribus diebus ita immiserat, vt & operæ militum maiorem in modum impedirentur, & oppugnandi ratio etiam atque etiam retardaretur.constitit tamen militi nostro maximis etiam in incommodis singularis animorum ad omnia obeunda tolerandaque ardor, sic vt in summa pluuiarium iniquitate,altissimoque luto nihil prætermitterent, quæ ad oppugnandum pertinere possent, hostibus contra omnes nostros conatus acerrimis animis, & incredibili tormentorum vi,ita dies noctesque propugnantibus tanta peruicacia, & flammas à nostris illatas extinguentibus,& vim omnem depellentibus, vt se tormentorum telorumque nostrorum iniurijs certatim offerent,& succumbentibus alijs alij cõfertim succederent, ostenderentq; Moschos arcium defendendarum vi atq; ardore cæteris omnibus gentibus antecellere. Respexit verò tandem nos sua benignitate clementissi. Deus,concessitque, vt quæ prima nobis paulò serenior dies vicesima nona Augusti illuxit,ea incendium à milite nostro arci illatum sit, summa cum contentione atque discrimine, cùm se miles noster in fossas dimittere, & Polottam flumen su-

perare, deniq; arduum cliuum cui impositum propugnaculũ erat subire, & manibus materiã ignemq; inter infestissima creberrimaq; hostium tela inferre necesse haberent, quod incendiũ cùm vehemẽtius exarsisset, & munitionis anterioris, in quo sclopetariorum domicilium fuit, aditum aliquem patefecisset, teneri militũ nostrorum ardor non potuit, quin per ipsam flammã irrumperet, atq; hostem feriret, à quo tamen cœpto cùm propugnatione hostili, tum maximè flammæ vi reiectus est, paruo cum nostrorum neque amplius viginti septem pluribus tamen vulneratis, hostium tamen ad ducentorum interitu. Dederat aliquam hostis eadem die deditionis significationem, quam nõ seriam fuisse animaduersum fuit, cum nouis se munitionibus flammæ altitudine nostris conspectum eripiente circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis vim omnem adhibendam, nullumq; hosti quiescendi, aut se firmius muniendi spacium concedendum iudicauimus, posteroq; die ignem in alias munitionis partes miles in quo equites etiam erant, qui misso equo in pedes descenderant, intulit, quo cum iterum aliqua muri pars deleta esset, & cliuũ in quo propugnaculum antea igne absumptum erat tenuisset, ac inde ad latus hostilium fossarum ac munitionũ illa parte deleta tumultuario opere factarum fossas ac munitiones ducendo præsidiarios circuire ferè cœpisset, atq; sic in potestate hostis esset, nos & sanguini Christiano parcendũ & operam dandã rati, vt arce quàm maximè integra cũ tormẽtorum aliorumq; belli instrumentorũ apparatu potiremur, quæ hostis ipse ad extremum

mum iniecto igne delere posset, facta omnibus vitę gratia permisimus, vt qui nobis militare vellent (quorum qui velint magnus sanè est numerus) fortunas omnes suas incolumes conseruarent, atq; stipendia nostra mererent, quibus redeundi in Moschouiam animus esset id nobis permittentibus atq; omnem securitatem præstãtibus facerent. Palatini, Basilius Iuanouicz, Mikolinski Telakowski, Demetrius Michalouicz Sczerbati Obolinski, Matthæus Iwanouicz Rzowski, Iwan Hrehorouicz Susin, Petrus Iuanouicz Volinski, Lukian Tretiakow Rakou filius scriba, qui partim præfuere, partim in arce fuere cum se spõte dedere, ac gratię nostrę permittere nollẽt, captos in custodijs habemus, & arcẽ ipsam præsidio nostro immisso iã obtinemus. In qua quidẽ arce, q eam defendissent, & arma tulissent vltra sex millia fuisse cõpertũ est. Nostri cũ ingressi essent, passim magnã cadauerũ insepultorũ numerũ reperetũt, tum tormentorũ ae pulueris tormẽtarij globorumq; tantã vim deprehenderũt, quãta in arce aliqua Christiani orbis his rebus instructissima posset reperiri. Quos quidem rei gestæ successus vt in primis ad Deum præpotentem referimus, ita illi summa animi pietate agimus gratias, ac sync: & fid: vestras hortamur, vt easdẽ pro bene gesta re publica agant simul etiam cõprecentur, vt quæ gerenda supersunt, quæq; in hostẽ hunc deinceps etiã suscipiemus itidẽ clementissimè fortunare dignetur. Quod illũ pro sua benignitate, & causę quę hęc nobis arma induit bonitate facturum confidimus. Nos quidem ad res pro communi republ. gerendas, omne animi studium curam, laborem, operam, sanguinem,

adeoq; vitam noſtram cupidè ſemper promptéque afferemus. Datum ex arce noſtra Polocenſi die vltima mẽſis Auguſti. Anno Domini M. D. LXXIX. regni vero noſtri anno IIII.

Stephanus rex ſſzt.

Ex hoc edicto videre eſt, quàm fauſta & fortunater fuerit hæc prima regis Poloni expeditio, quæ hanc inclementiſſimè anni tempore ſuſcepta fuerat: Nam intemperies tanta aëris & pluuię continuę videbantur prænunciare infelicem & irritam fore illam expeditionem: At regis ſtrenua virtus, hæc coram impedimenta ſuperauit, præterque ſpem & opinionem hoſtis caſtra metatus eſt ante arcem Polosko: qua, vt ſuprà dictum, capta non ſubſtitit, donec totam illam prouinciam recuperaret. Magna vis, iumentorum & equorum ob pabuli defectum, & corruptam annonam propterea pluuias perijt: nihilominus rex non conquieuit, donec quod volebat, perficeret. Nam hac arce Polosko ſic feliciter capta, progreditur vlterius, & diuiſo exercitu, Polonorum, Hungarorum, Lituanorum, alias arces obſidet, capitque partim vi, partim deditione. Lituani miro ſtratagemate arcem Turowla ceperunt, dum ſcilicet vnam partem arcis verſus planitiem ſitam defendit hoſtis: milites aliquot Lituani collem noctu conſcendunt, & ingreſſi aliquot per foramen, qua tormenta eiaculantur, clamant, impetum faciunt in Moſchos, per ſcalas alij aſcendunt: & ſic illa arce potiti. Sokol arx tertia, quę accipiter Latinè dicitur poteſt, fortiſſima & bene munita, obſeſſa fuit à Polonis,

lonis, quibus præeſt imperator Milecius, vir ſummus, animoſus, & gloria maiorum clarus, Podoliæ Palatinus: hæc defendebatur à bellicoſis viris Moſchouitis, qui tam viriliter repugnarant, vt non ſine vtriuſque gentis & Polonorum & Moſchorum clade capta ſit: ferunt enim ad tria millia Moſchorum ibi interfecta: Atque iſtud eſt feritatis & immanitatis barbaræ indicium, quod Moſchouitæ quotieſcunque Germanum militem capere poterant, tum illum dilaniatum & diſſectum, ac puluere bombardico infartum, ita extra arcis mœnia eiaculabantur: vt odium ſuum in gentem Germanicam re ipſa teſtarentur. Inter dedititios captus eſt præfectus militum Fedor Waſſelouicius Seremiczius, qui erat ipſi magno duci Moſchorum ob ſuam fortitudinẽ pergratus & amabilis: cuius viri iacturam grauiter tulit magnus dux. Milecius cum Polonorum exercitu, ne quid deeſſet, ad perfectum victoriæ triumphum, caſtra mouet, & grauiter iudicat arcem vnã reſiduam eſſe, quæ niſi capiatur: futurum ſit, vt perpetuis incurſionibus Plocenſis agere recuperatus infeſtetur. Eſt autem arx illa Suſa, in ſumma planitie & paluſtri loco poſita: cuius acceſſus eſt perdifficilis ob profundas paludes. Tamẽ cùm obſeſſi viderunt Polonũ imperatorem nihil remittere de ſua diligentia, lapſi animis: tandem ſe dedunt & veniunt in poteſtatem Polonorum, certis legibus & conditionibus præſcriptis. Vbi arx illa Suſa tradita fuit, ibique magna vis tormentorum & commeatus bellici inuentus fuiſſet: de conſilio regis arx illa deturbata & euerſa, ne & hoſti amplius eſſet vtilis: neue in ea ſeruandà Polono multum cõſumeretur. Sunt poſtea ab exer-

citu regio aliquot arces captę & euersæ: veluti Krasno, Sithno, & Kosiani: id quod prudẽter à Polono factum, ne tot arcibus muniendis, vires exercitus diminuere cogeretur. Itaque rebus sic perbene & laudabiliter, Dei auspicio, peractis, Rex disposuit in hybernis militem cùm equites tum pedites: Et deinde indicit comitia regni, vt incœptum bellum cum hoste potenti, ad salutem totius regni perficiat. Celebrata sunt comitia Calendis Decembris, vbi ab omnibus Ordinibus assensum est, vt rex fortunã belli sequatur, & occasionem datam recipiendi omnia amissa à maioribus arripiat, ratioq́ue nerui bellici, tam tributisq́ue alio pacto regi est concessa. Sic speratur quod in Februario anni istius, & toto hoc anno perget rex Polonus aduersus Moschum: Quod vtinam felix faustumq́ue sit, ad salutem & incolumitatem illius potentissimi regni, quod est Germaniæ maceria & propugnaculum aduersus feros hostes & barbaros.

Amen.

EDI-

EDICTVM REGIVM SVIRENSE AD MILITES.

EX QVO CAVSSÆ SVSCEPTI in magnum Moschouiæ Ducem belli cognoscentur.

STEPHANVS Dei gratia rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, & princeps Transyluaniæ, exercitus sui cuiuscunque nationis, atque ordinis militibus. Etsi tanta & tam nota omnibus iniuriarum magnitudo est, quas magnus Moschouiæ Dux regno nostro Poloniæ, magnoq́ue Lituaniæ Ducatui adhuc attulit, vt arma hæc, in quibus hoc tempore versamur, sera potius cunctis, quàm vel præpropera, vel non satis iusta cuiquam visum iri arbitremur: tamen cùm studium nostrum satis expleri non possit, quo desideramus, vt quæ suscipimus gerimusq́ue, cum æquitate iustitiaq́ue nos suscepisse, ij penitius intelligant, ad quos caussa quæq; attinere videatur: faciendum nobis hoc in bello existimauimus, vt exercitus nostri, cùm eos nõ tantùm ex regni nostri Poloniæ, magniq́ue Ducatus Lituaniæ, verùm etiam Hungariæ atq; Germaniæ, alijsq́; nationibus exteris compositos habeamus: certius vel recẽtiora cognoscant, quæ inter nos, posteaquam regni huius nostri principatum gerendũ suscepissemus, & magnũ Moschorũ Ducem intercessissent: quę quidẽ istiusmodi sunt, vt facilè pateat, nihil à nobis p̃termissum esse, q̃

ad principis Christiani officium, ad vitandum Christiani sanguinis discrimen, ad constituendũ ex æquitate cum eo hoste concordiam, pertinere posset: ab illo autem, quæ suscepta actaq; sunt, omnia cum hostilibus iniuriis coniuncta, & ad arcium, ciuitatum, ditionumque nostrarum circumuentionem & detrimentum, nostríque nominis dedecus comparata fuisse. Nos quidem simul ac in regnũ hoc nostrum peruenissemus, vt cæteros principes Christianos, partim ordinum regni nomine, ita etiam magnum Moschouiæ Ducem de accessione dignitatis potentiæque nostræ, deque optima nostra cum eo etiam pacis constituendæ colendæque voluntate, fecimus per internuntios nostros certiorem. Et dederat verbis, non nullam tum significationem mutuę voluntatis atq; studij sui erga nomen sanguinemq; Christianum, & literas addidit, quibus ampliori alicui legationi nostræ securitatem accommodabat, & peculiari epistola, quæ etiamnum nostra in potestate est, confirmabat, se imperasse suis, vt dum mutuo inter nos per legatos res agerentur, ab omni iniuria maleficioque in nostros se abstinerent, exposcens vt eadem ad nostros mandata daremus. Etsi verò tam callidè hæc simulare non enim posset, quin se etiam tum proderet, verbis in nomen nostrum valde iniuriosis, infestus illius erga nos animus, tamen cum eo se vsque tantùm iactaturam eius esse superbiam, in posterum verò illum ad mentẽ meliorem, & publicæ pacis, & suorum salutis curam aliquam reuocatum iri existimaremus: habita à nobis eius literarum confirmationi fides est: pro qua quidem inducia, & mandata nostris dedimus, vt cum Moschis indu-

inducias diligẽter cõseruarent, & ad ipsum Moschouiæ ducem, legatos quàm amplissimos, magnificum Stanislaum Kryski Massouiæ Palatinum, Nicolaum Sapiha, Palatinum Minscensem, ac Theodorũ Skumin curiæ nostræ Lituaniæ thesaurarium misimus. Quæ dũ à nobis fiunt, ille violata promissi fide (qua nos inducti, tantùm abest, vt ab eo, dum nostri ad illum legati proficiscerentur, hostile aliquid pertimescendum putaremus, vt tuta nobis atq; amica omnia pollicemur) subitò nulla, aut renuntiatione inducarum, aut belli denuntiatione adhibita, cum exercitu ipse, adeoq; vnà filius natu maior Liuoniam inuasit, ac fraude potissimum. & conspiratione adductis in potestatẽ subditis nostris, in libertatem, liberos, coniuges, vitam, ac sanguinem Christianorum hominum crudelissimè flamma ferroq; grassãtus est: arcibus nonnullis ditionis nostræ, dum extremis in finibus regni nostri necessariò versamur, insidiosè occupatis: quo tempore, quæ illius in trucidãdis per acerbissimos cruciatus captiuis truculentia, quæ flagitiosa in vexandis honestissimis nobilissimisq; feminis turpitudo, quàm inexplebilis in hauriendo sanguine Christiano sitis, & in omni genere iniuriarum immanitas fuerit, cõmemorari satis non potest: & qui supersunt crudelitati, & modis aliquibus se ex illa acerbitate liberarunt, satis ista testãtur. Accesserant iam tum oratores nostri ad ipsos Moschouię fines, cùm inexpectatum de his Moschi cœptis accipiunt nuncium, quo quidem permoti, ad fines Moschouiæ subsistunt: nosq; faciunt de violata pace, de qua literis suis magnus Moschouię Dux nobis confirmauerat, diligenter certiores. Etsi verò ab

illo hæc fieri indignissimè perspiceremus, tamen adducti, studio coniulendi Christiano sanguini, atque hęc sine maiori Christianarum vtrinque prouinciarum vastitate, atque incendio ad tranquillitatem & pacem reuocādi: mandata nostris oratoribus dedimus, vt se nihilominus ad ipsum magnū Moschouiæ Ducem conferre pergerent, & penitius, quis illi pacis nobiscum colendæ sensus esset, explorarent: ablatas verò à Mosco eo tempore res, contra literarum fidem, vt repeterent, & quæ subditis nostris ab illo calamitas proximè illata esset: eam modis omnibus sarciri postularēt. Quid tum verò? cùm peruenissent oratores nostri, ac Moschus agere cum illis per homines certos suos cœpisset, subitò ad omnē superbiam, atq; animi impotentiam descēdit. Liuoniam non modò ab omni pacificatione, verùm etiam mentione facienda exclusit: nos dignitatemq; nostram regiam, ijs verbis atq; scriptis, à quibus non modò principem virum, eumq; Christianū, verùm quemuis etiam cuiusuis ordinis abhorrere quàm maximè decet, acerbè violauit, in regnum nostrum Poloniæ, magnumque Lituaniæ Ducatū ius sibi arrogauit, idq; vanissimis modis asseruit, dum à Prusso nūquam inter mortales cognito aut nato (quem Octauij Cæsaris fratrem, generis verò sui auctorem fuisse contendit) orsus, ab eo se esse propaginē quartam decimam significauit: quibus quidem generis sui vanissimis deliramētis, sibi ius per quam absurdè in vniuersum Poloniæ regnum, magnumq; Lituaniæ Ducatum, aliasque prouincias vendicare instituit. Ac hæc omnia, cùm post multas variasq; actiones, nostrorum oratorum, cum consiliarijs magni Moschouiæ Ducis, quos eam ad rem designarat, de certa inducarum ratione cōuenisset, nostrique pro eo ac vtrinque conuenerat, suas de eo literas perscripsissent, & magno Moschouiæ Duci tradidissent: ille suas, quas è conuerso daret, non (vt facere par erat) ad similitudinem literarum earum, quas oratores nostri obtulissent, veritatemque mutuæ inter legatos nostros eiusque consiliarios conuentionis: sed ad arbitrium libidinemque suam ita perscripsit, vt inducias ad Liuoniam pertinere nollet, quinimo non modò eam sibi cum Curlandiæ Ducatu, verùm etiam quicquid nobis vsque ad Prussiæ fines ditionum est: (interest autem ipsius Lituaniæ pars) credi à nobis oportere significaret: quas suas literas ita perscriptas, cùm in eas iusiurandum dedisset, nostris oratoribus per vim superbè obtrusit. Qua de re cùm nos oratores nostri ante suum è Moschouia discessum, facerēt certiores, ad magnū Moschouiæ Ducem, ex aulicis nostris, internuntium misimus, nobilem Petrum Haraburdam, iterata cum testificatione propensionis nostræ, colendę cum eo pacis atq; concordiæ, idq; rei Christianæ consulendi caussa, qua quidem in testificatione luculenter ostendimus, si cōmune idemq; vtriusq; nostrum iuramentum esse deberet, cōmunem eo iuramento inter nos atque omnes prouincias nostras pacem comprehendi oportere. Neq; enim honestati atq; rationi cōgruere, si iusiurandum, de pace inter duos susceptum, bellum quacunque de prouincia inter eos ipsos consequatur, quodq; sanctissimum cōcordiæ vinculum sit, in eo locus hostilitati relinquatur. Conuenire præterea nobis, tanquam principibus

Christianis,nos vt dictis factisq; omnibus, ita maximè religiosæ isti iurisiurādi affirmationi,cōstantiam adhibere.Curandū igitur esse,vt ne qua inter nos fides,rectęq; factorum nostrorum conscientię,vis afferatur. Quæ nostra æquitatis optimiq; studij plena cohortatio, tantùm abest vt ponderis aliquid apud Moschū habuerit,vt internūtium nostrum, posteaquam admississet audissetq; à se longè remouerit, & in modū captiui diu inuitum retinuerit: cumq; suos ad nos legatos misisset, in Liuonia missis iam ad nos legatis suis, arces nostras, ac sigillatim Vendam bis oppugnauerit.quod cùm per insignem faceret iniuriam, effectum Dei præpotentis beneficio est, vt & exercitus ille à nostris copijs, cùm ad eas Suetica auxilia accessissent,deletus sit,& in potestatē nostram tormenta,aliaq; quibus nostra oppugnabat,cuncta peruenerint. Sub id ipsum tempus legatos Moschicos ad nos Cracouiam, in ipsum regni nostri quasi domicilium atque sedem admisimus, cum eo tum loco, permagna propè vndiq; gentium Christianarum,frequentia hominum versaretur, legati exterorum regum, principum, atq; nationum adessent: eorum in oculis, cùm eos audiendi caussa ad nos in senatum nostrum perhonorificè,vt fieri inter principes par est, introduci curassemus, à fastu suo, nostræque dignitatis contemptione orsi, ad explicanda, quæ haberent mandata, nulla cohortatione se passi sunt adduci: quod à magno suo Duce præscriptum sibi esse significarent, ne quæ apud nos verba facerent, nisi nos antè, quæ à nobis superbè atq; ad derogandum dignitati nostræ, in quodam genere habēdi sibi honoris flagitarēt,præstitissemus. Quod cùm

cùm nobis minimè committendum iudicassemus, neq; illi à fastuosa pertinacia se deduci sinerent, etsi iterum atq; iterum ab illis,vt dicerent,contenderetur,indictis rebus è senatu nostro, atq; adeò Cracouia discesserunt, atq; ita re vlla non modò non confecta,sed ne affecta quidem dicive ab ijs cœpta,permisimus vt se in Moschouiam referrēt. Quæ omnia, vt perspicuè testātur, quale nostrum extiterit suscipiendæ cum hoste illo concordiæ pacisq; studium, quod consulendi sanguini ac trāquillitati Christianæ desiderium, ita ostendunt planissimè, magnum Moschouiæ Ducem eò potissimum incumbere,hoc agere,huc omnes sensus conatusq; suos conferre,vt nobiscum hostilibus iniurijs perpetuò dissideat: & cùm ditionibus nostris, tum nomini amplitudiniq; nostræ modis omnibus derogatum velit. Misit ad nos postea per nuncium suum literas, quibus à nobis postulat, vt in ea induciarū verba, quę citra oratorum nostrorū assensionē perscripta ostendimus, iusiurādum daremus, legatis suis redeundi ad se potestas fieret,& si visum nobis esset,oratores ad se iterum mitteremus, qui de Liuonia secum agerent. Quàm autem & ab æquitate,& ab officio dignitateque nostra alienum sit,ad ea nos iureiurādo descendere, quibus non modò assensum nullum vnquam accōmodauimus, sed de quibus nos cogitationem aliquam suscipere non oportere intelligimus, quis non perspiciat? Quî enim nos eius crudelitati Liuoniam, Curlandiæ Ducatum, ditionesque alias nostras, quæ Lituanici iuris intermediæ inter Liuoniam & Prussiæ fines sunt,permittere possimus,quę nobis pro regio nostro sacramento, quod in nostra

regni inauguratione verbis solennibus dedimus, omni fide, cura, conatu tuenda, & ab aliena potestate, vitæ etiam nostræ discrimine defendenda intelligimus? quod quidem officium nostrum, vt nobis antiquissimum commendatissimumq; semper fuit, ita alienæ ab eo voluntatis significationem nullam vnquam dedimus, neq; de ea oratores nostri quicquam polliceri potuerunt, atque adeò constat, minimè pollicitos esse. Nam quę illi in verba cautionis suę de inducijs perscriptę iurarunt ea ab omni istiusmodi concessione longè remota sunt. Quæ verò non modò pacis inter principes feriendæ, sed inter priuatos etiam cõuentionis alicuius ineundæ ratio, quæ vis, quæ necessitudo esse possit, vbi res alterius non modò nulla consensio voluntasq;, sed ne quidem suscepta aliqua cogitatio accedat? non vtrinque voluntatibus ad consensionem adductis, & literis non tantùm sententiarum, sed propè verborum omnium similitudine perscriptis, negotium administretur? Quod quidem ita administrari & solere & oportere, hunc ipsum hostem nostrum fugere haudquaquam potest, vt non iuris æquitatisq; memorem, at ea tantùm recordantem, quæ in sanciendis inducijs, & pace ferienda, inter serenissimos prædecessores nostros, atque eius maiores, adeoque cum illo ipso, ante hac suscepta atque vsurpata fuerunt. Neque verò minus, quàm superiora illa & hoc iniquum est, quod magnus Moschouiæ Dux, nos in literarum suarum verba iurare voluit. Quæ quidem literæ, etsi ex voluntate atq; consensione vtriusque nostrûm, ac literis oratorum nostrorũ congruenter scriptæ fuissent, tamẽ vt ille in cautionis suæ formulam iurasset, ita nos in nostram iurare conueniret: tantum abest, vt à nobis in eas literas iusiurandum rectè possit exigere, quæ ab ipso pro arbitratu suo perscriptæ, ab animi nostri sententia, mandatisque nostris, & legatorum nostrorum assensu, plurimum dissidẽt. Quæ omnia quàm plena iniuriæ doliq; fuerint, quis nõ facillimè perspiciat? cuius quidem doli studia, ex eo se etiam ostendere, quod quæ communicata, gesta, actaque inter oratores nostros, & eos, quibus agendi cũ nostris Moschouię Dux negocium dederat, quæque ab ipso Duce constituta fuerant. Legati eius, cùm ad nos Cracouiam venissent, profiteri atque explicare minimè voluerunt. Ad has verò omnes fraudum technas, mox armata vis, apertæque iniuriæ accesserunt, cùm non modò Liuoniam assiduis direptionibus ac bello infestam habere Moschouiæ Dux non desineret, verùm etiam in finibus Vitepscẽsibus, in ipsa magni Ducatus Lituaniæ ditione, propugnaculum nuper collocaret, ac per suos rei militaris præfectos, illis etiam locis subditos nostros trucidaret, alios crudelissimè diriperet, se deniq; maximis delectibus habitis, magis magisq; contra nos armaret: qua quidẽ de re, cùm non modò ad nos illustris Curlandiæ ducis, & Rigẽsium, simul etiã nostrorũ in Liuonia præsidiariorũ quotidiani nuncij ac litteræ peruenirẽt: sed summa etiam imploratio opis defensionisque nostræ accederet, nullo modo debuit potuitque belli administratio diutius à nobis differri. Proinde iustissimis istis grauissimisq; caussis adducti, repudiandas minimeque iuramento nostro confirmandas Moschi literas, de inducijs ab ipso arbitratu suo præscriptas nobis esse

iudicauimus: quinimo ipſas in Moſchouiam ad magnũ Ducem, expoſitis quibus id faceremus de cauſſis, per internuncium noſtrum remiſimus, ac hoſti illi bellum iuſtum legitimumq́ue indiximus, cùm iam tum ille maximas contra nos copias ad Pleſcouiam coactas haberet. Quod ad oratores attinet, quos remitti poſtulauit: etſi qui neq; literas, quibus fidẽ legationis ſuæ facerent, nobis reddiderint, neq; vllam legationis partem explicarint, exploratorum potius quàm oratorum loco haberi à nobis meritò potuiſſent, tamen quod oratoribus noſtris in Moſchouia ſignificatum intellexiſſemus, legatos eos ad nos miſſum iri, nihil illis in omni genere & honoris habẽdi, & laucia conferendi vllo loco ditionum noſtrarum deeſſe ſiuimus, permiſimusq;, vt quod facere obſtinauerant, nullis rebus apud nos expoſitis, ſe in Moſchouiam referrent. Quod verò poſtulabat, vt noſtros oratores, qui de Liuonia agerent, iureiurando prius in eius literas de inducijs dato, iterum ad ſe mitteremus, non perſpicimus, quid agi de Liuonia per oratores poſſit, ſi antè iurati in eius conditiones (quod expoſcit) non tantùm de Liuonia atque Curlandia, verùm etiam parte noſtrarum Lituaniæ ditionum, quæ mediæ Curlandiam ac Pruſſiam dirimunt, decederemus. Minimè igitur nobis committendum eſſe intelligimus, vt noua legatione, nihil aliud, quàm prouinciarum noſtrarum iacturam, ac nominis noſtri indignitatem aliquam incurramus. Intelligi atq; adeò cerni arbitramur, quale noſtrum fuerit ſtudium, vitãdi omnem Chriſtiani ſanguinis profuſionem, quod noſtrũ pacis tranquillitatisq; deſiderium, pro quo quidem nos, ijs rationibus,

tionibus, quæ ſuprà expoſitæ ſunt: experiri pacis cõciliationem cum hoſte illo cõtendimus, atq; omnia indignitatum genera, quæ maieſtati noſtræ regiæ ab magno Moſchorum Duce allatæ eſſent, libenter tranquillitati publicæ atq; ſaluti, ſanguini, fortuniſq́ue hominum Chriſtianorum condonauimus: verùm his noſtris omnibus ſtudijs ad concordiam pacemq́; propenſis, tantum abeſt, vt quidquam ab eo æqui bonique conſecuti ſimus, vt ille hoc magis effrenatę ſuperbię atque impotentiæ animi ſui indulſerit, & quæ ad contumeliam noſtram, noſtriq́; regni & magni Ducatus Lituaniæ detrimentum pertinere poſſent, ſuſceperit. Cui quidẽ rei, vt modum aliquando finemq́ue ſponte ſua facturum illum deſperemus, facit inueterata iam perpetuaq́; eius cum ſereniſſimis prædeceſſoribus noſtris ſimili genere agendi ratio, quam quidem ex ea iniuria æſtimare licebit, qua diuum Sigiſmundum Auguſtum ſereniſſimum prędeceſſorem noſtrum affecit, cùm miſſos ad ſe ex ordine ſenatorio ſplẽdidos oratores Palatinum Inouladiſlauiẽſem, & Caſtellanum Samogitienſem cõtumelioſè tractauit, & modis indigniſſimis contra gentium iura violauit, hominem nobilẽ ex ſereniſſimi prædeceſſoris noſtri aulicis ſpoliauit, & cùm res quaſdam precioſiores inſpiciẽdi cauſſa accepiſſet, ſuperbè retinuit: mercatoribus qui vnà veniſſent, magnam mercium vim eripuit, equos in oratorum illorum conſpectu productos ferro diſſecari curauit: à qua indignitate vindicanda, cum diuum illum anteceſſorem noſtrum mors (quę breui ſubſecuta eſt) excluſiſſet, nos per oratores noſtros poſtulauimus, vt iniurias eas id temporis illatas, ſar-

cire ſtuderet, cui quidem poſtulationi noſtræ nullum animus eius, iniurię pertinaciſſimus, reliquit omnino locum. Quid illa, quæ ſereniſſimo anteceſſori noſtro Henrico regi per litteras de pace vtrinq; retinenda promiſerat? & contempta promiſſi fide, non ita multò poſt capta Pernauia, alijsque Liuoniæ arcibus in poteſtatem ſuam redactis violauit? Qua quidem fidei vanitate, maiores etiam eius erga ſereniſſimos prædeceſſores noſtros propè omnes vſos eſſe perſpicimus. Neque enim obſcura eſt plurium qui iſta verè memoriæ prodidere conſenſio, & maiorum iſtius Ducis Moſchouiæ literis, quę in tabulario magni Ducatus noſtri Lituaniæ ſeruantur, cõprobari poteſt, quàm ſæpe magni Moſchorum duces ſereniſſimis Poloniæ regibus, pace ſuſcepta, ac iuriſiurandi religione ſancita, ad tranquillitatis fiduciam adductis, & contra barbaros nominiq; Chriſtiano infeſtos populos bella regentibus fidem impiè fregerint, pacta omnia violauerint, & redintegrato bello, vel à neceſſaria prædeceſſores noſtros cõtra Ethnicos defenſione, vel pulcerrimis pro Repub. Chriſtiana cœptis reuocarint, & obſiſtere ſuis iniurijs coegerint. Quorum maiorum in dictis factisq; inconſtantiam, fraudem & inſidias, hic Ioannes Baſilij filius, hoſtis noſter, non modò omnem in ſe admiſit, verùm etiam auxit, idq; tum maximè egit, cùm litteris miſſis ad diuũ Sigiſmundum Auguſtum ſereniſſimum anteceſſorem noſtrum, de ſecuritate oratoribus præſtanda, qui ad ſe de pace concilianda mitterentur ſcriptis, ſubitò Polotiam inualit occupauitq;, conſimili fraude erga nos vſus, cùm poſtea quàm nobis fiduciam pacis attuliſſet, repente Liuoniam

niam armis oppugnauit, & tamen nos, regnum noſtrum Poloniæ, magnum Lituaniæ Ducatum à defenſione eius prouinciæ excludere inſtituit. Quandoquidẽ igitur ſpes nulla nos tenere amplius poteſt, ad mentem fidemq; meliorem magnum Moſchorum Ducem ſe vnquam recepturum eſſe, quinimo iniurias veteres recentioresq; nouis quotidie magis magisq; accumulet, certæ pacis fiduciam nullam afferat, omnia ad nos circumueniendũ derogandumque cùm nomini, tum ditionibus noſtris ſuſcipiat, nos adhibitis atq; adeò conſumptis omnibus ſtudijs noſtris, quibus fida atq; æqua inter nos pax conciliari, & rei ſanguiniq; Chriſtiano conſuli poſſet, expleto iam omni officio regis Chriſtiani, hanc rẽ & Deo præpotenti, oculis hæc ſuis iuſtiſſimis aſpicienti, & legitimę vindicationi permittendã iudicamus. Quo nomine remiſſis illis inſidioſis induciarum literis, bellum iuſtum legitimumque, Ioanni Baſilij filio, magno Moſchorum Duci denunciauimus: quo bello multiplicem nobis, cùm ab ipſo magno Moſchorum Duce verbis literisq;, tum ab eius legatis factam contumeliam, allatasque ſubditis noſtris acerbiſſimas multis iam annis iniurias, & detrimenta omnia, quæ regnum noſtrum magnusque Lituaniæ Ducatus accepit, armis propulſare & vindicare in animo habemus. Vt verò perſpicuum ſit omnibus, nos ad eorum, qui magno Moſchorum Duci parent, hominum Chriſtianorum calamitatem aut ſanguinis profuſionem minimè ferri, declaramus nos ita armis noſtris moderaturos eſſe, vt ne ijs (quanta maxima cura ac ſtudio caueri poterit) quiſquam violetur, qui non aut in præſidijs, aut acie ſuo periculo

propugnandas hostis nostri partes susceperit. Nam vt ab vno magno Duce causas omnes, quibus in arma hæc impellimur, profectas esse intelligimus, ab vno nos honorem dignitatemq; nostrã oppugnari, ac prouincias nostras illius vnius libidine appeti ac sitiri perspicimus: ita in vno illo vindicare omnia, vnius refrenata audacia grassandique atrocitate, in posterum tranquillitati publicæ pacique Christianæ (si fieri vlla ratione posset) consulere desideramus. Quæ cùm ita sint, spe vel potius fiducia magna sumus, & DEVM OPTIMVM MAXIMVM quod bellum grauissimis iustissimisque atque adeò per necessarijs de caussis iniuimus, nobis, exercitibus nostris, ac Reipub. vniuersę, quam obtinemus, bene & feliciter fortunaturum esse, & principes Christianos, adeoque omnes homines, qui ista accipient, facilè arbitraturos nos ad bellum hoc per magnum nõ temere neq; vlla profundendi sanguinem Christianum (cui prodesse, consulere, cauere semper studuimus) cupiditate ferri, sed ad ea hostilib. tot temporum per summam atrocitatem crudelitatemque exercitiś iniurijs impelli, nostra dignitate, & regni nostri magnique Lituaniæ Ducatus cæterarumque prouinciarum nostrarum statu, & subditorum nostrorum salute, fortunis, vita, sanguine, quem hostis ille truculentissimus iam nimium diu immaniter hausit, necessariò commoueri, consilio iudicioque omnium regni nostri magniq; Lituaniæ Ducatus ordinum duci, dignique nos fidam stabilemq; tranquillitatem, & publicam inter populos Christiani nominis pacẽ concordiamq; spectare. Quæ quidem belli nostri caussæ, quæq; animi consilijq; nostri ratio,

tio, etsi de militum nostrorũ studijs, alacritate, fortitudine, fide, nobis dubitationẽ nullam relinquit: hortamur tamen vt animum ad res nostro ductu in hostem hunc nostrum gerendas magnum fortemque adferant, existimentque & gloriæ & felicitatis summam in eo potissimum versari, si pro tam iusta honestaque caussa dimicetur: subditi nostri diuturnas grauesque iniurias hostiles, vel à se vel ciuibus suis adhuc perpessas, hoc tempore pro more, virtute, rebusque gestis maiorum suorum & vindicandas & in omne tempus sibi depellendas statuant: extranei pro vicinorum salute, suam in discrimen vocare, fortissimeq; armis cõtendere pulcerrimum, necessitudini quę vicino ad vicinum est conuenientissimum, & delere proximi parietis incendium, suę suorumque securitati vtile existiment: omnes sibi tam iusto in bello summa fortium factorum studia esse adhibenda iudicent: quorum hoc maior laus atque gloria quemque consequetur, quò in grauiore hoc maioreque bello cõtra crudelem vniuersi propè generis humani hostem nobiscum versabitur. Nos profectò cuiusque militum nostrorum virtutem, fidem, operam, conatum in omni genere præclarè factorum, ea beneuolentia, gratia, munificentia prosequemur, vt neminem gestæ abs se fortiter rei pœniteat, omnes intelligant, nos cuiusque industriæ, fidei, fortitudini sua præmia ornamentaq; libenter tribuisse. Suiri, die duodecima Iulij, ANNO DOMINI, M. D. LXXIX. REGNI verò nostri anno QVARTO.

RERVM

RERVM POST CAPTAM POLOtiam contra Moschum gestarum narratio.

CApta Polotia, & iam antè in vicino arcibus tribus, Cosiana, Crasna & Sithna deletis, tres omnino arces, Turoulia, Socolum & Sussa in Polocensi ditione hostiles supererant, quas hosti relinquere, neque ex belli suscepti consilio, neque dignitate sua, neque rei abs se gestæ fortuna rex esse iudicauit. Turoulia quatuor supra Polotiam arcem milliaribus, ad Dhunã flumen, quo loco illud Turoulia amnis illabitur, sita est, sic vt duorum amnium confluxu maxima parte cõprehendatur, quaq; in continentem patet, inter vtriusque præterlabentis fluuij ripas, lacum transuersum, tanquam obicem, obiectum habeat. Quod inter Polocensem arcem, atque inter Vlam, Vitepscium, aliasq; arces & ciuitates, altius in Dhunæ ripis sitas, quæ semper in potestate regum Poloniæ retentæ sunt, media Turoulia intercesset, facilè à regijs castris ad Polotiam positis, commeatum excluſit, qui commodè ex locis superioribus poterat importari: quæ res non mediocriter in exercitu annonę caritatem atq; adeò inopiam auxerat. Qua de causſa, circũsessa primùm Polocia, Franciscus Zucus à Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi, tentãdæ certis cum copijs per celeritatem rei causſa ad arcem Turoulam missus est. Verùm quod & præsidio firmo, & defensioni diligenter intente locus teneretur, & pauca minoraq; belli tormenta Zucus secũ traxerat, effici ex sententia nihil potuit. Socolam ab arce Polocensi quinque milliaribus ea via distãtem, quæ Septentrionem versus rectissima Plescouiam ducit, duorum itidem concurrentium fluminum, Dryssę & Niscię, cõplexus continet: ea in arce prętor vetus pręsidium, quod tuendi Polotiam aditus causſa firmũ semper inerat, Theodorus Basilij F. Seremetus, & Borissus Basilij F. Seinus, Andreas Pelecius, Michael Georgij F. Lycus, Basilius Criuoborsius Palatini, clari cũ propinquitate Moschouiæ Ducis, alijtum rebus antea gestis omnes copiarum pręfecti, cũ magno Moschouitice nobilitatis ac sclopetariorũ numero cõsederant, posteaquã se ab aditu Polocensis arcis, primùm à Palatino Vilnensi obsessis itineribus, mox ipsa obsidione regia excluſos esse intelligerẽt. Accesserat huc etiam Georgius Bullahacus cum duobus millib. sclopetariorum, partim Dunensium, partim Volienſium, qui ad Dhunę & Volhię fontium paludes ob perpetuas cum Tartaris dimicationes, cæteris belli vsu ac iaculandi peritia facilè præstãt. Quod hi omnes magno discrimine nostrorum ex propinquo castris imminerẽt, dũ oppugnatur Polotia, Lituanicę quędã copiæ primùm Ioãne Volimnscio, deinde Christophoro Radiuilo, qui in Lituania regi à poculis est, dimicandi studio Socolam excurrunt: sed q; hostis arce & munitionibus prope arcem extructis, aut propinquo tormentis suis spacio in tuto se teneret, velitationibus tantùm, nonnullis vtrinq; desideratis, res gesta est. Vtramq; arcem rex occupata Polotia iustis copijs oppugnandã ratus, Nicolaum Mielecium Podolię Palatinum, summum copiarum Polonicarum præfectum, cum equitatu Polonico stipendia merente, cumq; peditatu Polonorum, ac Germanorum cohortibus Socolam mouere; Vngarorũ copias Turouilã accede-

re iubet: ipse vt medio loco omnem in partem casumq; intētus esse posset, motis trans Polotiā castris, ijsque secundum flumen Dhunam metatis (quòd pristinum castrorum locum, obsidioni quidem opportunum, cùm ad cingendum maxima ex parte arcem, tum ad prompta munitionibus omnibus, ex quibus miles oppugnabat, auxilia afferendum, assidui imbres iam antè iniquissimum, & valde quàm cœnosum effecerant) ad Polotiam permanet, curatq; quod ad arcem Polocensem, qua munitiones aut flamma conflagrant, aut tormentis verberatæ vitium fecerant, instaurandum pertineret: simul etiam arci Palatinum præfecit Nicolaum Derohostaiscium, in quem iam antè, regno primùm inito, non inani omine ius nomenq; eius magistratus contulerat: hunc ipse in possessionem mittit, præsidium iustum imponit, & quibus circum locis miles finibus tuendis rectè collocetur constituit: templi etiam, quod monumentum diuinæ ad victoriam opis esset, ædificationem decernit. Interea dum quæ opus erant ad Socolæ & Turouliæ oppugnationem expediuntur, & miles vasa colligit, visum est Palatino Vilnēsi, de Turoulia leuioribus copijs experiri, & quid hostibus in recenti consternatione fiduciæ esset tentare. Mittitur cum aliquo numero equitū expeditiorum armaturæ leuioris quos Cosacos nominant, Constantinus Lucomscius Vlensis præfectus, quem Turoulienses præsidiarij conspicati, cùm pauor maiorem quàm pro numero militum speciem copiarum obiecisset, exercitum vniuersum adesse rati, per auersam portam se properè omnes eijciunt, ac fuga euadūt, Palatinis suis desertis: qui cùm arcem

arcem sibi non deserendā putarent, ac soli in ea permanerent, ad quartam Septembris diem cum arce & belli apparatu ac commeatu omni regiam in potestatem peruenerunt. Arci ita occupatæ miles ille, qui ceperat, præsidio relinquitur. Is dū inter ligneas munitiones ac domos tæda ædificatas indiligenter ignem habet, tormentisque maioribus gratulationis & lætitiæ causſa iaculatur, temere incendio causſam præbuit: quod sublatū paucis post diebus, quàm capta esset, arcem deleuit, vt non minore celeritate, quā occupauerat, Turouliam miles amiserit. Quod quidem hoc iniquiore animo à rege acceptum est, quò præsidio hostili Sussam etiam tum obtinenti, Turoulia nostræ potestatis facta, omnem subsidij aditum & commeatus accipiendi spem, certius eripere potuisset. Interea rerum Palatinus Podoliæ Socolam (à qua Dunenses cohortes fama aduentantis exercitus permoti contra imperium præfectorum, vt est genus illud militū leue, & insolens disciplinæ, iam antè in Moschouiam redierant) cum copijs progreditur, & Drissam flumen imbribus proximis admodum redundans ponte subitario opere effecto, transmittit, hoste quod facere in procliui erat, nihil repugnante, qui in aduersa ripa ociosè tantùm inequitans, inani metus faciendi studio, clarè vt exaudiri à nostris facilè possent, subinde inter se sciscitaban tur, adessent apud se Astracanorum, adessent Casanorum copiæ, quas alter adesse magna itidem voce respondebat. Flumine superato Palatinus nulla cum mora propius hostem mouet. Qua accesserat inter vtrumq; flumen non ita magno ab arce interuallo sylua est, in qua maximam equitatus partem

tendere iubet, peditatui imperat, vt munitiones, in quibus versarentur, & tormenta dirigerent, fossa atq; aggere subitò efficiant: quas Poloni secundum Nissam, Germani iuxta Drissam ita ad arcem perducunt, vt cùm iusto iam ab ea spacio abessent, trāsuersæ ab Nissia Drysſam, itidemque ab Drysſia Nissam versus promouerentur, atq; opera vtriusque nationis committerentur: vltra Nissiam amnem minorem, qua promptum hosti effugium patebat, Ioānes Zabarasius Palatinus Brasslauiensis cōsistere & curare iubetur. Munitionibus perfectis, ac tormentis, vt visum erat, collocatis, cùm iam tum in vesperū dies vergeret, qui tormēta administrant, periclitari rem globis candentibus instituunt, tribus tantùm in hostiles ditiones perlatis, cùm alij alijs locis periculum incendij afferrent, & ijs restinguendis hostis detineretur, tertius eo loco, quo nascens primùm fumus, mox flamma ab hoste nō facilè potuit deprehendi, vires cepit. Ab hoc incēdium ortum, cùm magnam hostilium munitionum partem subitò complexum esset, hosti summam defensionis desperationem attulit. Quocirca vt perditis trepidisque rebus, & flamma se iam longius latiusque fundente, pars magna hostium globo temere facto, porta, quę meridiē versus ad Nissam vnà patebat, cōfertim erumpunt: quibus ex proximis munitionibus Poloni impigrè occurrunt, & obsistunt. Perducitur eodem properè signo sublato Germanorū sclopetariorum cohors: sic hostis in arcem flammamque reijcitur, quem dum nostri magna vi premunt, se, atq; signa portę arciq; inferunt. Dabat mox hostis intra arcem desperatis rebus magnas cùm armis tum verbis de-

dendi significationes, quas cùm miles Germanicus Russicę linguę nescius, pręterea Polocensis pręsidij crudelitate, qua immanissima in captiuos omnes ac potissimū Germanos fuerant, irritati, minimè acciperet, cædemq; acerrimè miscereet, ille desperata salute totis viribus cōtrà dimicat, quæq; supra portam custodię erant, cataractā è turri portę imminentem in irrumpentes deijciunt, sic nostros receptu alios, alios aditu subsidioq; excludunt. Atrox inde vtrinq; pugna fuit, æquata vtrorūq; desperatione ob incendij vim, q; vndiq; se circūfuderat ac pluribus locis dimicātes inter se pari interitu victi ac vincētis extinguebat. Ad dexterā arcis partē per munitiones ostiū fuit, ad quod qui nostrorū errādo perlati sunt, integri euasere. Interea foris milites, quanta vi maxima possunt cataractā moliuntur, atq; opere magno perstringūt: patefacta via, qui nostrorū supererāt, saucij propè omnes atq; ambusti, pariter cū hoste erumpunt, inferūt se integri alij prædæ ex ipsa flamma rapiendæ causſa. Pars magna hostium aut in munitiones aut stationes Germanorum incidit, qui omnes per irā militarem & linguæ ignorantiam interfecti sunt, in his Borissus Seinus, Andreas Palecius, Michaël Lycus, Basilius Criuoborscius Palatini cæcidēre. Quib. in Polonorū potestatē peruenire cōtigit, pleriq; omnes, cùm qui aliquo aut munere aut numero fuissent, pro se quisq; nomē ederet suum, facilè apud linguæ intelligentes seruati sunt, ac captiui habentur: quorū in numero Seremetus est, vt rerū gestarum fama, ira & corporis specie vultuq; & animi sermonisq; cultu cæteris præstantior, & Mesoiadus Dunensium aliquot cohortium præfectus, qui post

militum etiam ſuorum diſceſſum, cum cæteris præſidiarijs in arce permanſerat. Arx ipſa cùm iam incendio occurri non poſſet, conflagrauit. Hoſtium ad quatuor millia cæſa, quos ex lectiſſimo, & quidē prætoriano milite magni Ducis fuiſſe, & ſi ex captiuis cognitum eſt, tamen etiam ex ipſa corporū ſtratorum forma & proceritate, animisq; perditis in rebus adhibitis, tum prædæ ratione potuit intelligi. In qua quidem præda maior & pecuniæ, & veſtis precioſę, & aliorum ornamentorū numerus fuit, quàm vt gregarij militis fuiſſe videri poſſet. Captiuorū ea multitudo eſt, vt & penes præfectos copiarum permulti ſint, & Polonorum militum propè ſint nulli, qui in poteſtate non ſingulos, alij plures habeant. Suſſæ oppugnatione, quàm ſuſcipere difficilem & ſpacioſi lacus, & paluſtria circum loca, & autumni ipſius tempeſtas redditura erant, temereque militem iam antè maximis incommodis affectum nouis periculis obijcere, regi viſum non eſt: cùm potiſſimùm arcem eam, penitius Lituaniam verſus ſitam, & ab omni ſuorum ſubſidio, & commeatus conſequēdi poteſtate excluſam, (vt vis nulla adhiberetur) ſponte dedituram ſeſe non dubitanter exiſtimaret. Itaq; præſidia tantùm militum ſtipendiariorum circūquaq; in ſtatuis diſponit, quæ Moſchos ab aditu ad Suſſanos arcerent. Neq; fefellit ea regem exiſtimatio: nam & ipſe Moſchouiæ Dux, diffidens Suſſam amiſſa Polotia retineri poſſe, ſexta primùm, tum iterum decima ſeptima Septembris die, mandata ad Petrum Theodori F. Coliceum, Palatinum Suſſenſem ac præſidiarios omnes dederat, vt templi imaginibus & libris, omniq́ apparatu ſacro in terra defoſſis,

foſſis, aut quacunq; alia cura adhibita, ne in hoſtium poteſtatem peruenirent, arcem incenderent: bellica tormenta, ac puluerem tormentorum omnem igne delerent: tum operam, qua euadere poſſent, diligenter darent, ac ſaluti ſuę cōſulerent. Hęc mandāta cùm (quò certius perferrentur) per plures nuncios Suſſam miſiſſet, nonnulli eorum in arcem perueniunt: vnus à regio milite interceptus, ad Palatinum Podoliæ cum literis perducitur. Sub idipſum tempus, Palatinus Polocenſis dat Suſſa literas, quibus ſignificat, ſe Polotiæ cū parte exercitus, à rege ijs cum mandatis relictum, vt quicquid ea in prouincia hoſtile ſupereſſet, modis omnibus tollere contenderet: Regē ſumma placabilitate & clementia principem, quam ſuæ voluntatis ſignificationem dediſſet, cùm primum magno Moſchouiæ Duci bellum indiceret, ea in voluntate etiamnum permanere: eorum, qui magno Duci parerent, hominum Chriſtianorum cædem & ſanguinis profuſionem haudquaquam expetere. quinimo illi parcitum ac conſultum velle: acceptas iniurias in autore ipſo magno ipſorum Duce vindicandas ſtatuere, niſi verò eſſent, qui iſtas iniurias ſuo diſcrimine, ppugnare velle. quod vt illi ne ſuſcipiāt, illorum maximè refert, hortari ſe, arce ſponte ſua potius abſcederent, impetrabili venia & ſalute, quàm vim atque oppugnationem experirentur. Palatinus Podoliæ Moſchi literas ad Palatinum Suſſenſem, ac præſidiarios, qui dedi arcem poſtularent: illi ſalutem, & rerum quæ cuiuſque eſſent auferendarum poteſtatem, atque in Moſchouiam tutò ſe referendi conceſſionem pacti, arcem cum omni bellico apparatu commeatuq́;

Palatino Polocensi militibusq; à Palatino Podoliæ missis, sexta die Octobris dedunt. Iam antè Philo Kmita capitaneus Orsanensis, cui aliquot turmæ equitum, & peditum stipendiariorũ cohortes, erant in eam rem assignatæ, coacta non mediocri finitimis in locis ex nobilitate alijsque incolis militum manu, in Moschi ditiones excurrit, magnamque omnia populando vastitatem affert: ad duo millia pagorum incendit, & Smolensciæ suburbijs ambustis, magnum ex eo agro hominum, magnũ pecudum numerum agit: suosq; nullo detrimẽto accepto, intra fines reducit. Idem non multò pòst Constantinus Ostrogiæ dux, cum Michaële Visniouecio Castellano Braslauiense, & filio Ianusio Borysthenem transgressus, facit, expeditissimas quasque Tartarorum aliorumq; turmas præmittit, has longè lateque populari, & terrorem vastitatemque in hostico circumferre iubet: ipse cum reliquis copijs Czenihouiam progreditur, castrisq; ad arcem metatis, oppugnationem suscipit, ipsaq; ciuitate incendio deleta, vim omnem arci expugnandæ adhibet, sed quod ea præsidio firmo, cui nihil ad omnẽ propugnandi apparatum deesset, teneretur: acerrimeq; locum Moschi defenderẽt, in castris paucæ peditum cohortes essent, afflictæ maximis tempestatum iniurijs, missa obsidione, vicina circum loca omnia diripit, totaq; Siuerienſi ditione vastata, ac populationibus ad Starodubam, Radohostiam, ac Podczpouiam vsq;, per leuiores equitum turmas factis, præda ingenti acta, discessit. Simili successu Mecislauiensis præfectus Iaroslauam oppidũ, pagosq; quàm plurimos euertit. Rex posteaquam dierum quinquaginta spacio, sex arcibus

arcibus captis, ad quas Sussa non ita multo pòst septima accessit, prouinciam omnem Polocẽsem mira agrorum fertilitate, magna fluminum opportunitate præditam, octauo decimo pòst anno, quàm esset ab hoste occupata, bello Reipub. recuperasset, Polotiam præsidijs, fines copijs firmasset, decima septima Septẽbris die, illo de loco discedit. Vehementi quidem studio ferebatur, vt cœptũ felicitatis cursum vrgeret, & cùm magna hostes locis omnibus consternatio ingensq; pauor teneret, longius arma sua in hostiles ditiones proferret. Sed cùm & prteriti temporis iniurię, (quibus miles admodum afflictus, equorum ingens numerus enectus fuerat) & grauiores autumni tẽpestates, indies ingraueſcentes, isti voluntati & studio planè repugnarent, omni cura in comitia omnium Reip. ordinum habẽda incumbit, cumq; iam antè ex castris de ea deliberatione literas ad regni senatores dedisset, rediens in Lituaniam, ea ad diem vigesimam secundam Nouembris Varsauiæ habita iri edicit, in quibus consilia de bello diutius administrando suscipiantur. Dum Vilna rex ad comitia proficiscitur, è Moschouia per nũtis Nouogrodiæ duce Ioanne Theodori, F. Mscislauiensi, & Mikita Georgij F. Romanouicio Sacharino, ad Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnẽsem, & Eustathium Volouicium Castellanum Trocensem, Plescouiæ die trigesima octaua Septẽbris scriptæ, hoc omnino argumẽto. Cùm offensæ duorum summorum principum eò progressæ sint, vt arma vterq; sumpserit, quib. Poloniæ rex Polotiam expugnarit, magnus Moschouiæ Dux vindicare vicissim

id factum in animo habuerit: se cum reliqua nobilitate Moschouitica ad principis sui pedes se abiecisse, obsecrasseq; vt sanguini Christiano consultum atq; parcitum vellet. Istis precibus principem suum reliquisse locum, & belli expeditionem repressisse, nũc mutuo studio ipsis atque alijs regis Poloniæ consiliarijs, apud regem suum elaborandum esse, vt ad similem voluntatem & sistendi cursus sui bellici, & pacis cum magno Moschouiæ Duce locis omnibus, tam regni Poloniæ, quàm magni Ducatus Lituaniæ, atque etiam Liuoniæ caussa suscipiendæ adducant; in primis verò ab eo impetrent, vt in regiam suam se referat, ac copijs suis omnibus tam in Lituaniæ quàm Liuoniæ finibus imperet, se ab omni in Moschos maleficio atque iniurijs abstineant. Hæc eadem magnum suum Ducem diligenter facturum, rediturum ad sedes suas, suosq; à vi atq; iniuria, cohibiturum. Interea temporis dandam vtrinque operam, vt principes missis inter se oratoribus rem vtilem & perneccssariam pacem ac concordiam suscipiant. In extremo literarum excusant, cur Basilius Lopatinscius, quem rex ad magnum Moschouiæ Ducem ante expeditionem suam cum literis miserat, quibus se bellum illi facturum iustũ legitimumque denunciabat, adhuc in Moschouia detineatur: promittuntq;, simul vt principum se vterque ad sedes suas retulerit, se operam daturos, vt cum mandatis sui principis de pace consilianda ad regem oratores remittatur. Sub idem tempus Philo Kmitha, Orsacensis præfectus ad regem literas mittit, quas à Palatino Smolensciano acceperat. Ijs Philonem Palatinus certiorem facit, se à magno suo Duce mandata

data accepisse, ne quam regijs finibus atque ditionibus vim aut iniuriam adferat. Monere igitur, vt mutua etiam Philo præstet: neque permittat, vt sui fines transgressi, hostile aliquid in magni Ducis Moschouiæ ditionibus committant. Allatis lectisque vtrisque literis rex omnem eius deliberationem ad comitia referendam esse iudicauit.

EDICTVM DE SVPPLICATIONIBVS, A SERENISSIMO POLONIÆ REGE STEPHANO,

Wielicoluco ex Moschouia missum, die 5. mensis Septembris, anno Domini, M. D. LXXX.

STEPHANVS Dei gratia rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque, &c. princeps Transyluaniæ, &c. reuerendissimis, reuerendis, magnificis, generosis, nobilibus, famatis, archiepiscopis, episcopis, Palatinis, Castellanis, regni nostri senatoribus, præterea cuiusuis ordinis subditis nostris, syncerè fidelibus nobis dilectis, gratiam nostram regiam, reuerendissimi, reuerendi, magnifici, generosi, nobiles, famati, syncerè fideles nobis dilecti. Vtrumq; facimus quàm libenter, vt & ea quæ decernuntur, communibus Reipub. comitijs geramus, & de rebus à nobis gestis, synce: & fidelita: vestras faciamus certiores. Cùm superioribus proximis Reipub. comitijs placuisset, bellum cõtra magnum Moschouiæ Ducem susceptum continuari, nihil prætermisimus, quod

posset ad illud rectè atq; ordine administrãdum, & in primis ad exercitus cùm veteres retinendum, tum nouos conscribendum pertinere: quib. omnibus, postquã vt ad Czasniciam (quo loco nos & Russiæ contra iniurias Moschi præsidio esse posse: & ad primarias alias atque alias arces hostiles peropportunos aditus habituros intelligebamus) certo die conuenirent, edixissemus, nos Vilna profecti, eodem ad octauam Iulij mensis diem peruenimus: ac inprimis frequentiore, & senatorum nostrorum & hominum militarium conuentu, de belli administratione, & quò potissimum arma in hostem inferremus, ad concilium nostrum retulimus: in quo & si variæ initiò dictę sentẽtię fuissent, eò tamẽ descensum postea est, vt Vielicolucum nobis cum exercitu ante omnia mouendum, eamq; arcem omni conatu oppugnandum concluserimus: secuti quàm maximè, cùm ipsam seriem & quasi tenorem gerendarum rerũ, qui nos ex locis, anno superiore proximo expugnatis & receptis Vielicolucum vocare & ducere visus est: tum Russię defensione, quàm vniuersam eo loci cum exercitu progressi, nos ab hostili vi tueri posse intelligebamus: præterea Lucensis arcis situ, fama, ditionis amplitudine, vbertate, qua exercitus nostri sine ditionum nostrarũ detrimento ali ac sustineri possent, opportunitate deniq; ad signa nostra penitius in hostilia loca inferendum, eoque hostem ad aliquam prælij dimicationẽ eliciendum: cæteraque deinceps ex Vielicoluco facilius promptiusq; administrãdum adducti. Habito igitur exercitus nostri delectu, ex agro Czasnicienſi Vitepscũ profecti sumus: quo in itinere, cùm arces duas hostiles,

hostiles, Vielisium vnam, in Dhunæ ripa, Vitepscio ex superiore fluminis loco oppositam, atq; alteram VſWiatum, quæ ad amnem cognominem in Dhunam fluuium illabentem, & propius Lucum versus ferentem, sita est: exclusuras nos tormentorum & cõmeatus ad exercitus nostros supportandi commoditate accepissemus, & cætero quum studium nobis esset Dhunam flumen magis magisq; ab hoste in potestatem nostram vindicãdi, quò res maiore celeritate conficeretur, magnificum Ioannem de Zamoscie regni nostri cancellarium, & cum ijs copijs, quas hoc in bellum nobis adduxit, & alijs additis Vielisium oppugnandi causſa præmisimus, qua ex arce, cùm vnius diei oppugnatione præsidiũ hostile feliciter deiecisset, nos ea potiti, præmissis primo agmine copijs Lituanicis VſWiatum cum exercitu accessimus: locumq;, munitionibus oppugnandi causſa iam actis, metu potius admodo tantũ quàm ipsa adhibita deditione cepimus. Inde contractis in itinere copijs omnibus, quas duarũ istarum arcium oppugnatio diuiserat, mouimus, ac superata locorum inde ab Czasnicia incredibili vastitudine, itinere summo cum labore militum ac ingenti difficultate, quà VſWiatum, qua Vielisium exercitus iuêre, per assiduas densissimasq; syluas facto, Vielicolucum progressi, ad arcem XXVI. mensis Augusti die castra metati sumus, quæ in castra cùm id temporis oratores ab magno Moschouiæ Duce ad nos venissent, eos nulla interposita mora audiuimus. Verùm cùm à nobis contra omnes nostras rerum gerendarum rationes, contraq; dignitatem nostram postularent, vt nos in Lituaniam cũ exercitu referremus,

negarẽtq; nisi id ante omnia fecissemus, se per principis sui mandata quicquam de ipsa legationis caussa dicere posse: nos, repudiata & postulationis indignitate, & insidiosa tergiuersatione non cessandum rati, eundem Ioannem de Zamoscie cancellarium, cum copijs suis attractis, cæterisq; quas ad Vielisium habuerat, & maxima parte omnis peditatus trans flumen propius arcem castra alia facere, ibiq́ue curare iussimus, illaq́ue ex parte nulla mora munitionibus, quibus visum est locis actis, & quo oportebat perductis, ipsis Kalend. Septemb. oppugnationem maiore apparatu ac conatu suscepimus: nihilq́ue aut lenitatis, aut terroris prætermisimus, aut oppugnationis non adhibuimus, quo integra arce potiremur. Verùm cùm & præsidiariorum summa loci retinendi pertinacia esset, & vltima sibi expectanda coniurassent: & arx non modò loci natura, in edito planissimis circũ locis, partim intra fluminis Louati, partim intra lacuum cõplexus sita, nec tantũmodò consuetis ante hac Moschis parietum dẽsissimorum cõtignationibus firma, sed aggere etiam densissimo ac latissimo ex cespite extrinsecus obducto, tũ qua flumen aut lacus non ambiunt: fossa maiore munitissima esset, ac omnino Polotiam omni genere firmitatis superaret. ad hæc præsidium validum & Polotiæ aliarumq́ue arcium propugnatione è quibus à nobis anno superiore impetrata salute discesserant, exercitatius inesset, vt omnino sine maiore militum nostrorũ interitu, ac diuturniore obsidione, si in instituto permaneremus, necessario res nobis incendio experienda fuit, quod cum magna militum nostrorum virtute & discrimine, primum ex Vngarorum

garorum peditum munitionibus allatum, & hoste incredibilem in modum restinguente, sæpius triduum repetitum atque diutius altum esset; ac deinde ex altera etiam parte per militem Polonicum, & attractas illas cohortes aggere ad propugnaculum maius, ad ligneas vsq; substructiones suffossio, in nocte ante quintam Septembris diem maius conflaretur, præsidium verò, quoad igni iam temperari nullo modo posset, ab obstinatione hostili nõ discederet, factum est, vt & arcem flamma, & ferrũ quidquid propè hominum in arce fuit, per militarem iracundiam hostili illa pertinacia, & acceptis in oppugnatione incommodis, & eorum qui Polotia ac cæteris ex arcibus iam antèoccupatis impune dimissi fuerant: hunc in locum ad hostilia reditu irritatam, quinta istius mensis die prima luce deleuerit. Dum hac in oppugnatione versati sumus, oratores magni Moschouiæ Ducis iterum apud nos dicendi potestatem sibi fieri petiuerunt: qua impetrata cùm ea exponerent, quæ honestæ nobis & Reipub. paci & sarciendis incommodis, quæ ab eo hoste accepta sunt, minimè satisfacerent, leuioraq́ue omnia quàm nostra dignitas & iura Reipub. paterentur proponerent: ostendimus nos ad istiusmodi descendere non posse: cumq́ue illi alia mandata se hoc tempore non habere dixissent, & à nobis peterent, dare ad magnum suum Moschouiæ Ducem literas liceret, quibus cum de nostra voluntate atque conditionibus redderent certiorem, ne quid prætermisisse videremur, quod facere ad spem iustæ honestæq́ue pacificationis posset, & nostras dedimus ad Moschum literas, & oratores dare suas permisimus: ad

quas cum responderit, qua voluntate sit, certius fortasse cognoscemus.

Nos hęc Sinc. & fide. vestras scire voluimus: cumque ea quæ adhuc bene feliciterque gesta sunt, vni Deo grata, cum animi pietate acceptum referamus, parq; sit, vt illi volenti, & propitio, & nos & omnes in Repub. nostra, ad cuius hæc vtilitatem, amplitudinem, laudem in primis redundant, gratias agamus: hortamur sinc. & fid. vestras, ad ea omnia gratarum mentium studia, quæ supplicationibus alijsq; rebus, quoties bene gesta est res publica, suscipi cõsueuerunt. Quemadmodum hîc res porrò administranda, & hîc locus nobis tuendus sit, de eo hoc tempore consilia cepimus: quæ deinceps è Repub. geri à nobis hoc bello posse, videbuntur, in ijs studium, consilium, curam, operam omnem nostram libenter consumemus. Bene valeant sinceritates & fidelitates vestræ.

Datum ex castris nostris ad arcem nostram Vielicolucum die 6. Septembris, anno Domini, M. D. LXXX. regni verò nostri anno quinto.

Stephanus rex ſſzt.

ORATIO

Oratio

CHRISTOPHORI WARSEVICII, AD SERENISSIMVM STEPHANVM, REGEM POLONIÆ:

QVA, EXPOSITO TOTO BELLI negotio, cum Ioanne, magno Moschorum Duce, XV. Ianuarij ad Zapolsciam confectam pacem gratulatur.

PAcis nuncium, Stephane rex, habes, quam Christo opt. M. de Virgine nato cælitus Angeli venerant olim nunciatum. Perfectum est tandem summi Dei benignitate erga nos, & tua quadam veluti vigilia regali, eximiaque virtute vt contra magnum Moschouiæ Ducem, iustè & legitimè bello abste suscepto, & prosperè fortiterque gesto, in tot annis & bellatoribus, quibus cum bella gessit, penè omnium solus, ad pacis conditiones quas volebas acceptandas adegisse eum videare. Quo equidem nomine & tibi & Reipubl. in primis gratulor, & præstanti virtuti felicitatique tuæ, omnia præmia & insignia honoris, & ornamenta laudis ac gloriæ, iure optimo deberi, agnosco & profiteor. Quid enim aut beneficio carius, aut fama & opinione maius accidere potuit, quàm quod vt diuturnam quietem, prænunciam tempestatis, maximum & grauissimum bellum, sic demum instar solis, post

denſiſſimas tenebras, optatiſſima pax, terrorem belli eſt ſubſecuta? Et verò iucundũ eſt ſemper nomen pacis, & res ipſa ſalutaris, qua & deſiderio expectantium, & voluptate exultantium, & eorum, qui ſunt eius ſeruatores gloria, vix admirabilius aliquid dixeris. Sed nimirum fert hoc humanarum & diuinarum iuslegum, conſuetudo gentium, ratio ipſa muneris & dignitatis regum, vt ſuæ ſubiectos poteſtati, omni iniuria & calamitate, prohibeant & defendant. Res porrò bello geſtas, plus quàm pacem admiremur. verùm ſi caſu non conſilio, temeritate, non neceſſitate, bella ſuſcipiantur & gerantur, vel maxima quæq; vis expers rationis & conſilij, mole ſua ruit, nec ſine viciſſitudine aliquid poteſt eſſe diuturnum. Quo magis venerari & ſuſpicere te cuncti debemus qui vt ocium metiris dignitate, ita bella geris & adminiſtras neceſſitate: & vt armorũ capiendorum certam tenes rationem, ſic deponendorum modum. Quippe cùm non ea mens inſtitutumque tuum ſit vel fuerit, vt in luctu & ſanguine eorum, quos ex præſcriptione diuinæ legis non minus ac te ipſum diligere debes, nominis & imperij tui titulos proferas, & per omnia diuina, & humana iura impotenter graſsêre, ſed armorum tuorum vis & ratio tota eò ſpectauit, vt imbelli multitudini ſacerdotibusque & religioſis viris, alijsque id genus ſubiectis tuis, digna profeſſione pax nõ deſit, & vt ea quæ per manus tradita accepiſti, non tantùm ſarta tectaque conſeruare, verùmetiam quoad eius fieri maximè poſſit, ornare, & augere videâre. Hoc animo & conſilio ductus, Polotiam primùm, deinde Velicolucũ atque ita & Pleſcouiam, demnm oppugnare aggreſſus es.

ſus es. poſtéaquam, tot literis, legationibus & admonitionibus tuis cũ grauiſſima teſtificatione deſiderij pacis, apud magnum Moſchouiæ Ducem nihil eſſet profectum. Quæ omnia & quale initium ac progreſſum habuerint, & quo exitu terminata ſint, nullus eſt, vt opinor, in orientis & obeuntis ſolis & Aquilonis, Auſtríve partibus locus, ad quem fama, & lætitia earum rerum non peruenerit. Nam & Polociam, quam ſub Sigiſmundo Auguſto rege, certa ſpe inducíarum per literas facta, magnus Dux à Lituania auulſerat, in priſtinum ſtatum libertatemq; poſuiſti: & aliquot millibus hoſtium ad Socolum cæſis, orbi terrarũ teſtatus es, illud eſſe bellũ iuſtum, quod eſſet neceſſarium: illa arma glorioſa, quæ non ad innocẽtis ſanguinis profuſionem, ſed ad ſui ſuorumq; defenſionem: non ad inuidioſas opes minimeq; ferendã potentiã, ſed ad Dei opt. max. cultum, gloriamq; propagandam, reges & principes caperent atq; conuerterent. Quod tum vel maximè patuit, cùm ad eius victoriæ monimentum, non ſtatuas vel trophæa, non mutum aut tacitum aliquid, ſed domum orationis, ſacrarium pacis, templum Deo opt. max. Societatis Ieſu extruxiſſes: vt cuius eſſet victoria, eidẽ daretur & honos, & à quo profectũ, eidem ferri acceptum beneficium videatur. Etenim multa multis, ſoli Deo opt. max. cũcta debẽtur. Tandem verò in ſequenti anno, contra hunc eundem Moſchum, ſubſecuta eſt expeditio tua altera Velicolucenſis, & multarum aliarum arcium expugnatione clariſſima, in qua quàm longum & difficile iter emenſus fueris, quomdo te erga captiuos geſſeris, & quid potiſſimum in eo ſpectaueris longum eſſet

In expeditione prima anno 1579. Seren. regis Poloniæ cõtra Moſchũ. Literæ pacis & legationes M. ſuæ regiæ à Moſcho non ſuſceptũ ſunt.

Polotia capitur.

Moſchus cæca Socolum caditur.

Arcus triũphalis Deo extruitur Polotiæ.

In expeditione ſecunda anno 1580. Velicolucum & cæteræ arces expugnantur.

commemorare. Illud quidē non prēteribo, etiam in medio cursu, & quasi ardore belli, à fide pacis cōditionibus alienum te non fuisse: & magni Ducis oratores (si oratores & non speculatores potius appellandi fuerant) in ipsa castra ad te admisisse. Sed diem illos de die ducere, & nihil nō simulatè agere cognitum est. Itaq; capta & expugnata Velicoluco hostilibus copijs eis Turopeciā fusis & fugatis, Velisia, Neuelia, Zauolotia, Iezerisciа in potestatē tuam redacta, Vilnam reuersus, & mox Varsouiam ad comitia profectus es. Quo vel legatos quoq; illos ducere placuit, vt quid & illi postularent, & tu velles, & Reip. expediret ab ordinib. regni cognosceretur & decerneretur. Sed vix in illa tāta, non dicā ordinū, sed hominum multitudine aliquis reperiebatur, qui ijs, quas illi offerebant conditionibus acquiescendum, & à bello desistendum arbitraretur. Non obscurè præseferebant omnes Liuoniam prouinciam, pro qua bellum susceptum & gestum esset, sub Moscho recuperari oportere: & vel grauissimas quasq; difficultates, iacturas atq; detrimenta potius subeundas quàm vt nomine infidioſę pacis, pactio seruitutis Liuoniæ afferretur. Nec nō tot præstantium virorum militumq; casus in bello, cum gemitu & lacrymis notabatur: siquidem omnium iacturarum iactura maxima hominum est, & videri debet. Quocirca in eam curā potissimum incubuisti, vt tertiam belli expeditionem contra Moschum, vel quàm primùm apparare potuisses, neq; aut tenuitas ærarij, aut angustia tēporis, aut tædium & facieras belli, aut itineris longitudo, à persequēdi hostis celeritate te retardauit. Duxisti exercitū, haud scio, an etiā quàm antè flore-

Oratores vel potius ex speculatores Moschi in castra regia admittuntur.

Rex Varsouiam ad comitia reuertitur: vbi vnanimi consensu omniū ordinū rex iterum in Moschouiā proficiscitur.

In expeditione tertia anni, 1581.

florentiorem, copiarum numero, varietatē gētium & nationū, vsu & exercitatione bellandi planè mirandum: ita vt Plescouia, ad quam vis & ratio armorum tuorū conuerti in primis debuerat, postquam Ostrouia paucis horis oppugnata, per deditionem esset capta, breui etiam in potestatem tuam redigi posse videretur, & hac demum occupata, nō modò Liuonia hosti eripi, verùm etiam ad maiora audēda & molienda occasio & materia præberi posset. Sustine sustine rex, si Deus opt. max. ab imminenti interitu multitudinem cōseruauit eam, quā nec consuetudo benignitatis, neq; iudicium clementię tuę, contra furorem Martis, superbiamq; victorię seruare fortasse potuisset. Hoc quidem tibi ademptū est nihil, quinetiam id, quod quæsieras, habes, & Liuonia pro qua bellū susceptū gestumq; abs te fuerat, potire. Nemoq; sapiens culpę potius, quàm fortunę, id iudicabit telum. Moschis verò, quę vnquam lętior illuxisset, dies quàm ea, qua præter suam omniumq; opinionem sunt diuinitus ab interitu conseruati? siquidem vitę lætitia, quem nascendi conditio certior fit, semperq; fuerit. Oppugnauit olim terror ille gentium, tot molitor cladium, Aquileiam per triēnium Solymānus Turca cum innumerabilibus copijs Vienna: Carolus Quintus Cæsar Mettim frustra tentauit. Quid? num quod conatibus eorū euentus non respōderint in eo quo tempori necessitatiq; paruerant, & fortitudinis laudem secuti fuerant protinus honorem & existimationē concoxerunt suam? Minimè gētium. Magnorum enim hominū gestas res, exitu metiri par non est, sed iustitia & æquitate. Et quanquam prosper & ęquabilis sine vlla offensione

Ostrouia capitur.

Plescouia oppugnatur.

bellorum cursus in primis delectat, tamen nescio quo modo aduersis interdum casibus in bello etiam illustramur: & nõ semper cùm volumus oblata, aliquãdo etiã desiderata res magis nos recreat atq; reficit. Quo magis hoc tuum Plescouiẽse bellum gloriosum est, & videri potest, in quo nec tentatæ irruptionis infestus casus, neque alienum anni tempus, neque multa alia incommoda de statu mentis solitaque constantia animi te deturbauerunt. Quin etiam virtute & fortitudine tua talem exitum sortitũ est, qualibus iustitiæ & æquitatis radicibus, vel inde ab initio innixum fuerat. Petijt tandem is abs te pacem, qui intra quadraginta annos nullas ad te literas daturumse, missurúmve internuntium, paulo antè minabatur. Cessit Liuonia is, qui ne Liuonia inseretur literis pacis, mẽtióve vlla de ea fieret, à legatis tuis ante omnia postulauit. Denique, is qui tam gloriosè & magnificè & loqui, & sentire de se multa ausus fuerat: quiq; diffidens suæ, alienæ virtuti & amplitudini frustra inuiderat, supplex tibi est factus: & eas conditiones pacis postremò accepit, quas tot latebris fallaciarum, & missione legationum subterfugere videbatur. At quomodo id non faceret? tua rex, & celeritate apparandi, & scientia administrandi, & fortitudine continuandi belli, tuiq; exercitus famis, frigoris, difficultatumq; omnium, incredibili tolerantia adactus & compulsus? Quid enim per Deum immortalem exercitu illo laboriosum? Quid ad omnes difficultates & discrimina vitæ ferenda, obfirmatum magis fuit aut esse potuit. Equidẽ quoad per ætatẽ grauissimasq; occupationes licuit legi, & vidi aliquid, nec nõ meminisse possum ducum & exercituum multorum, quorum in omni genere belli gerendi, nobilitata est patientia, ita tamen statuo, nec pabuli vel commeatus quærendi difficultate, nec longitudine viarum, nec intensissimi frigoris magnitudine, nec ferocia & crudelitate hostium erga captiuos, vllius exercitus labores & pericula, cum tuo posse cõferri. Memorabilis illa est eritq; semper, Alexandri Magni militum perseuerantia, quorũ opulentos Persas inopia Græcos, luxuriosos continentia, Indos desides, vigilantia, Caucasum postremò ipsum, siti, labore, inedia superauit. Ac ne vetera memoria repetere videamur: quàm graue & difficile bellum Caroli V. Cæsaris ad Alligerium, quàm molesta & exitialis Metensis obsidio fuerit, quis ignorat, vt tot tantorumq; aliorũ bellatorum, eorumq; exercituum incommoda silentio trãseam. Sed inter horum gestas res, erit etiam, vt opinor, aliquid loci tuo, tuorũq; nomini: & haud scio, an exercitus fortitudinem & constantiam legens & audiens tui, non aliquis obstupescat. Quis enim media hyeme in media Moschouia in castris vnquam permansit? Mansit miles tuus. Quis in præduro & immensis frigoribus cõcreto solo vallum tulit, corbes vimineos contexuit, munitiones exstruxit? cuncta hæc miles fecit & perfecit tuus. Quis adeò totis & tam lõgis, tamq; intempestis noctibus hybernis excubias egit? egit miles tuus. Quis nõ modò cũ hostibus, sed etiam cum elementis ipsis pugnam sibi desumpsit? sumpsit miles tuus. Ac breuiter, nullum difficultatum, nullũ laboris, nullum tædij & patientiæ est genus, in quo non exercuerit exercitũ tuum hæc bellorum abs te gestorum ratio aut conditio, si-

Moschi elatus & tumidus animus ad petẽdam pacem impellitur.

ue quęrendi victus & pabuli gratia longissimas profectiones susceptas: siue tot manifesta mortis & fortunarum pericula adita à tuis, quis consideret: siue cum ferocissima gente, varia eorum certamina, leuioraq; prælia, & excursiones hostium infinitas intueatur, in quibus milites tui duce & authore te, ferè semper victoriam reportarunt. Cessit malitia iustitię, fraus & dolus veritati, temeritas rationi, furor virtuti: vis deniq; ipsa vi victa est, nec quo se contra te Moschus iactet vel excuset, habet. Fac Plescouiam irruptione tentatam, in potestatem tuam non venisse. Quid tum postea? Enimuero ignoramus optabilius esse, semperq; fuisse, in hostili ditione armorũ suorum vim, & terrorẽ longè lateq; proferre, quàm vnius vel alterius expugnatæ ciuitatis mœnibus includi & mancipari: ita, vt si optio eligendi detur, capiendæ vrbis spe, nonnunquam excidere, quàm capta & possessa aduentui hostium opponere se non posse, malle videres non neminem, & quidẽ omnis belli gerendi & administrandi ratio difficilis est, capiendarum arcium & ciuitatum difficillima. Quid? & erit qui nesciat, in quanta trepidatione Moschus fuerat, cùm tu hac eadẽ in bellum expeditione Plescouiam ipse profectus, aliquã exercitus tui partem in penitiora Moschouiæ Polotia dimisisses. Quæ lanè pars cũ Christophoro Radiuilo Castellano Trocen. duce, imitatore auitæ & patriæ virtutis singularis, maximis & difficilimis itineribus Stariciam propè venisset, incredibilè dictu est, in quantã desperationem Moschus adductus fuerit, si quidẽ in fugam versum biduo triduóve latuisse, sunt qui asseuerent, suam certè filiorumq; suorum coniuges, & ancillarum

Dux ipse Moschouiæ præ nimio terrore in abdita speluncarum loca detrudstur.

sum greges, eum amandauisse Staricia cõstat: quandoquidem nõ solùm de vastitate agrorum, tantisq; suorũ cædibus, ad ipsius aures constans & perpetua fama quotidie peruolaret: sed adeò flãmas & incendia à tuis excitata è fenestra ipse intueretur, & singulis momentis ijs adhuc deteriora cum metu & horrore expectaret. Hęc similiaq; vulnera, ac (quod horum nõ postremũ est) perpetua illa cõscientię carnificina magno Duci de pace cogitationẽ iniecerunt, cùm videret, ne ei quidẽ exercitus tui patri resistere se potuisse: & in quo spem ponebat maximam, mensęs aliquot effluxisse, quibus vel maximis illis frigoribus durantibus, vtiq; obsidio Plescouię non soluebatur. Quid de se futurum esset, si aut Plescouia caperetur, aut ea relicta in penitiora Moschouię ingrederetur hostis, prospiciebat animo: & tũ externum, tum & internum malum magnopere verebatur: nempe morbi ij, qui in venis & visceribus inclusi latent, quã qui apparent, ægrius curãtur. Dimisit ergo ad te internuntium, & vt pacificationis cum eo gratia, legatos Zapolsciam mitteres, quo propediẽ essent venturi sui, magnopere contendebat. Cuius tu postulatis, ne tui ipsius dissimilis videre, qui semper honestam pacem, vel exploratæ victoriæ, anteferre te velle testatus es, refragari nec potuisti, neq; debuisti: præsertim cùm adeò Pont. Max. authoritas eo quoque accessisset, qui à Mosco literis & legato habitis, Antonium Possevinũ Societatis Iesu sacerdotem, maximis quibusq; & grauissimis rebus rectè & scienter tractandis, in primis probatum, ad te, & Moschus suo nomine ablegauerat, & ad Christianã pacem paternè vtrumq; hortabatur. Proinde biduo

Internuncius ad regẽ de pace tractanda mittitur.

Ad quã accessit authoritas summi põtificis, per legatum suæ sanctitatis.

Rex legatos Zapolciam mittit.

ante, quàm ipse ex castris discessisset, misisti Zapolciam legationem amplissimam cum mandatis, non obscurè præferés, si caussa belli, quę esset Liuonia à magno Duce è medio non tolleretur, bellum etiam ipsum cessare non posse nec debere. Distat verò Zapolzia viginti propè à Plescouia milliaribus: via, qua magni Ducis instituto, equi ad celeritatem Nouogardia, Zauolociam & Velicolucum, aliàs disponebantur. Cuius circumuicinam regionem omnem, magno & incredibili metu, hostibus incusso, miles tuus ita occupauerat, vt nescio quo modo in media Polonia seu Lituania quàm in Moschouia ipsa versari securius potuisset. Quo quidem ipso magni Ducis legati, non nihil de se solliciti, ad locum tractandę paci destinatum aliquãto posterius, quàm tui aduenerant, & Posseuinus, qua spe & cupiditate constituendæ pacis exarserat, ad eos profectus fuerat, vt nulla interposita mora, pacis tractatio sequeretur.

Tractatur de pace.

Id adeò cùm esset factum & varijs sermonibus, atq; disceptationibus, dies quamplurimi dati, tandem de Liuonia tibi restituenda, quæ ante omnia ab ijs postulabatur, mandata habere Moschi legati confessi sunt, & vt vicissim arces aliquot, eo bello abstro occupatæ magno Duci concederentur, efflagitauerunt. Est Moschis fides Græca, siue ritum & doctrinam, siue mores eorum spectes. Itaque quicquid in quæstionẽ disceptationemq; ab eis veniebat, id diligenter versare animo & circumspicere cogitatione oportuit. Turpe namq; labi & decipi in ijs, quæ mutare nunquam possis. Erat præterea memoriæ proditũ, Ioannẽ magni istius Ducis auum, sub Casimiro Poloniæ rege, & magno Lituaniæ Duce præter fœdus

dus ictum, Magnam Nouogardiam possedisse. Quæ aliàs libera & immunis per se ex pactione fœderis, à neutro eorum infestari, & subigi debuerat. Huius verò filium, & istius patrem Basilium, sub Alexandro, Starodubum, sub Sigismundo I. Regibus Smolenscum, iurisiurandi religione violata occupauisse memorabant, nec non & ipsum hunc sub Sigismundo Augusto Polotiam, sub Henrico Peruauiam, ijsdem artibus possedisse. Quibus vestigijs & quasi impressis signis improbitatis atque fraudis territus, vel legationis illius fidem suspectam habere aliquis potuisset, sed timidi & suspitiosi cogitatio impedit seipsam, cùm maximè dispicit & prouidet cũcta. Dandum erat temporibus aliquid, dandum rationi moriq; communi, cùm verũ sit illud, quod dicitur, millies licèt homo fraudetur ab homine, vtiq; hominẽ cum homine viuere debere: dandus Pont. Max. suus authoritati & postulatis locus, qui diuino nutu & potestate, in altissima specula pastoralis vigilię positus, per longissimam ætatem qua vixisset, maximarum rerum momentis, ad certam rationis normam toties ponderatis, amplissimis legationibus pro ecclesia obitis, & tot deniq; regnorum cladibus & mutationibus cognitis & perspectis, nunc in hanc, nunc in illam partẽ Christianę Reipub. inferet oculos: & tanquam solers quidã prouidusq; nauarchus, Christianos reges & principes in his procellis & tempestate, ad concordiam hortaretur. Neq; verò & fletu ipso lacrymisq; legatorum magni Ducis vel ferreus aliquis commoueri nõ potuisset. Qui de cæde & interitu suorum, cùm aliquid inaudissent, (inaudiebant autem quotidie) aut cùm suos captiuos duci &

longè à patria auehi cernerent (quod cernebant ſæpiſſime) ſupplices manus in cælum tẽdere, & ad nomẽ pacis ſuſpiria geminare videbantur. Et horũ quidẽ (vt opinio mea fert) fictè aut ſimulatè nihil. Quinetiã ſi quis riſus fuerat, fuerat à cordolio. Quis enim non ingemiſceret, tãta vaſtitate agrorum, exitio facultatum, direptionibus arcium, cæde & interitu ciuium, euerſione patriæ, cõmotus & excitatus. Grauè erat Moſchis Polocenſe bellũ: nemo eorũ nõ indoluit clade ſuorũ ad Socolum. Velicolucenſi excidio quid miſerabilius fuit aut eſſe potuit? ad Turopeciũ ſuorũ copias fuſas & fugatas, præcipuos viros captos, tot arcium præfectos, tantã commeatus & apparatus bellici, omnis generis vim interceptã meminerant. Harum rerũ excruciabat & torquebat eos recordatio. Hoc aut caſu grauius, aut cõditione peius, aut iactura famæ & hominum, maius nihil eis videbatur. Quid verò de bello iſto Pleſcouiẽſi loquebar? dies me deficeret, ſi quot Moſchi in excurſionibus ab vrbe cæſi: quot dum ſuis opem ferre conãtur, per agros interfecti: quot capti, quot in ſeruituté abducti ſint, vel fuerint, cõmemorare velim. Nã & tum, cùm in caſtris manebas, ferè ſinguli dies hoſtib. aut captis aut interfectis nouis gratulationibus celebrabãtur. Poſt diſceſſum tuum Ioãnes Zamoſcius regni cancellarius, & exercituum tuorum imperator, vir perpetuæ laudi & maximis muneribus obeundis in Rep. natus, tot hoſtibus captis, tot interfectis, tot cõtinuis vigilijs fameq; fatigatis, ſuam & exercitus tui perſeuerantiam ita probauerat, vt non modò legatis Moſchouiticis ad conficiendam pacem ſtimulo fuiſſe, verùm etiam vniuerſæ Moſchouię maximum terro-

terrorem iniecisse, & dici & videri queat: præſertim cum Spitkone Iordano præfecto, vetuſtate generis, ſpectata virtute, cõmendato certo militũ numero, in penitiora Moſchouiæ immiſſo, agriſq; vaſtatis, & hoſtium occiſis plurimis, armorum ſuorum vim & terrorem in ipſam Nouogardiam intuliſſet. Nõ igitur mirum eſt, aut videri debet, ſi vel legati magni Ducis tanto deſiderio pacis & quietis, vt diximus tenebantur, & ipſe magnus Dux, cõditiones eas, quas ſubterfugere aliàs viſus eſt, tandem aliquando acceptauit. Non mirum ſi in Liuonia triginta quatuor arces, quas poſſidebat, tibi conceſſit. Non mirum ſi Derpatũ ſibi & ditionibus ſuis adeò adiunctũ, quæ prima belli Liuonici eius materia & quoddam veluti integumentum fraudis fuerat, poſt tot ſuas ſuorumq; legatorum inficiationes, tergiuerſationesq; interpoſitas, reddidit. Non mirum ſi in Derpato ſeptuaginta & octo maiora tormenta bellica, & in omnibus arcibus, penè trecenta, & deniq; infinitum minorum bombardarum, apparatusque bellici vim & numerum, volens nolens, reliquit. Non mirum ſi tot & tam magni momenti captiuorum ſuorũ liberationem conditionibus pacis non inſeruit, ſed quoad eius fieri melius citiusq; poſſet, vt quiſq; eorũ redimeretur nõ recuſauit. Non mirũ ſi Velicoluca, Zauolotia, Neueliaq; abs te redditis, & Pleſcouien. caſtellis quibuſdã relictis, decennalem ferire pacem tecũ non dubitauit. Non mirũ ſi primi belli trophęa & moniméta tuæ victoriæ, Polotiam Nieſczerdam, Cozianam, Socolum, Turouliam, Sithno, Suſſam Craſnum: ſi ſecundi Vſuiatam, Veliſiam, & Iezierieſcum, quas antea tenebat, cũctas in poteſtate tua re-

Moſchus cedit Liuonia, relictis 34. arcibus cum tormentis maioribus & minoribus, aliiſque inſtrumentis bellicis, & apparatu.

Captiui redimuntur.

Pax decennalis certarum arcium cauſſa feritur.

Arces præcipuæ per noſtros captæ circa regem relinquuntur.

liquit. Non mirum si solitas illas licitationes & postulationes suas, de Liuonicæ hæreditatis, de Cazanij & Astracanij imperiorum titulis, tandem posthabuit & neglexit. Non mirum si legatos suos (vt ex verbis eorum, cùm quid intemperantiùs loqui cœpissent, multò sese admonẽtium, elici potuit) in dictis & factis ad moderationem est præter morem adhortatus. Non deniq; mirum, Græci ritus cùm sit, atque adeò, cùm rex sacrorum quidam, simulq; Imperator videri velit: & cùm plusquã regiam, & pontificiam maiestatem, in vestitu, consessu, & reliquis præseferens, admirabilis nescio cuius potestatis & intelligentiæ rerum, diuinitus sibi datæ & concreditæ, apud suos existimationem certa quadam arte & diligentia tueatur: si à Pont. Max. cuius nominis & gloriæ æmuli, leues & temerarij Græci semper sunt & fuerunt, ad consequendam à te pacem, fauorem & authoritatem, implorauit: & Antonium Posseuinum Pont. Max. nomine missum, tanquam quẽdam arbitrum, istius pacificationis fieri permisit. Quid enim illo stimulis conscientiæ compunctum? Quid infelicitate miserum? Quid voluntate perditum? Quid metu abiectum magis dici aut cogitari potest? vetus est prouerbium: Nullam esse calamitatem solam. At hæ non vna aut altera: sed conspirarunt in Moschum infinitæ. Vidit ille domi suæ proditorem: in castris desertorem: sociam thori repudiauit, liberos in omni turpitudine & ocio educauit. Sentit se esse suspectum & odiosum suis, cùm & ipse fuerit semper hostis suorum. Grauissimas habet insidias eas, quæ latent in simulatione officij, & aliquo vinculo sanguinis vel propinquitatis. Præceps in furorem

rorem agitur, & nuper mortis filij est caussa sui. Restituit tandem vel inuitus Liuoniam: & cum Prusso nescio quo, gentis suæ authore excogitato & confecto, Prussiæ ipsi adeò inhiasset, de qua ne verbum quidem apud se vllum fieri voluit: amisit & Liuoniam Dei opt. max. iusto iudicio, omninoq; admirãdo: quippe qui appetit aliena, perdit sæpe ea quæ æstimat sua: sicuti tu etiam hanc tam nobilem prouinciam, quam ille semper dixit & duxit suam, sepimentum Lituaniæ, decus & ornamentum regni tui, tot distinctã castellis, refertam portubus, exaggeratam bonis omnibus, ex faucibus ipsius eripuisti. Quæ si loqui posset, ita haud dubiè ad te verba faceret. Grates tibi ago rex optime, quòd post tertium & vigesimum annum, ex quo Moschus libidine dominandi incitatus, me meaq; aggressus est, dextera tua forti, & non magis in bellis ac prælijs, quàm in pactis & promissis seruãdis firma & laudata, sublato metu & formidine belli, in pristinã quandã dignitatis spem me reuocare dignatus es. Multa ego multis debeo. Sed vni tibi post Deum opt. max. acceptam fero libertatem. Præclarè olim Meinardus, & post eum Albertus episcopus, Christianæ religionis & pietatis nostræ authores, non deterius Bremem: hoc eodem nomine de me meriti sunt & fuerunt. Grata Guilhelmi Cardinalis Mutinen. ex cõcilio apud Lugdunũ habito, in has oras missi, apud me viget memoria. Sed enim decora & ornamenta omnium, situ iampridem obsita, squalore sordida, tenebris vetustatis inuoluta, tu in pristinam lucẽ & dignitatem posuisti: vt cùm multa illis plurima Cruciferis, tibi demum cuncta iure optimo debeamus. & sicuti est

Moschus præmio furore filium necat, facitq; inuitus finẽ belli.

iucundior valetudo ijs, qui graui aliqua infirmitate impediti & lecto affixi diu admodum iacuerunt, sic & nos tãtopere desiderata, per te verò libertate parta vehementiùs recreamur. Sit clara & commemorabilis Platembergij apud nos: sit Hasencãpij virtus qui ordinis Teutonici magistri hîc aliquando fuerunt, & maxima grauissimaque bella pro communi salute & dignitate confecerunt. Enimuero ea, quæ tu pro nobis suscipere & gerere voluisti, & initijs læta, & progressu gloriosa, & exitu salutaria magis censentur, literis monimentisque nostris inserentur, ad memoriam posteritatis transmittentur: quãdoquidem vt & pater benignissimus, & bellator sapientissimus à meis tectis & domicilijs, in hostiles agros armis cõuersis & prolatis, quod iampridem sequutus, id assequutus es: vt ego à tot continuis bellis & calamitatibus respirare, & tandem nullam non gratiam à me tibi debitam, si nõ referre, attestari erga te possim. Sic olim vt virtus Mosis illustris & peruagata magis videretur, populum Israeliticum seruire seruitutem in Ægypto Deus opt. max. voluit. sic vt magnitudo animi Cyri esset clarior, Persas à Medis graui dominatu opprimi contigit: sic ad ostendendam virtutis præstantiam Thesei, dispergi aliquando Athenien. opportuit: sic deniq; (vt ad me ipse veniam) maximis & grauissimis malis affligi Liuoniam necesse fuerat: vt de tua præstabili virtute, fortitudine, moderatione, iustitia, nulla vnquam vetustas obmutescat. Vicit nempe is, qui non insolenter efferri victoria sua, sed cuncta æquitate metiri videatur: neque cum Moscho immanitate sibi certandum, sed omni genere benignitatis, seipsum superandum potiùs

tiùs arbitraretur. En verò tibi bone vir superbia & tyrannis tua: qua tumens & inflatus, nescio quẽ non despicere præ te nuper videbãre. Quin nec vides ipse, tãquam alicui Polyphemo oculo vno, Liuonia, quo in diuersas orbis terrarum partes prospectabas, tibi adempto & euulso: nimirum intelligis, quantas vires virtus habeat, & quàm longè melius fuerit, Hyeroni Syracusano, cùm priuatus esset, quàm Perseo Macedoni, cùm rex diceretur, esse similiorem. Hic enim præter regnum, regale in se habuit nihil: ille non tam regno, quàm regnum eo, indigere videbatur. Cogita quãtum intersit, inter veram & fucatã gloriam, & quomodo diligi, quàm metui præstet: neq; suorum tantùm, verùm etiam & externorum beneuolẽtia ad incertos temporũ casus, & belgorum exitus expediat obsepiri. terrẽt apud te vestigia multos (vt aliquando dixit poëta ille: intro spectantia nulla retro) & ferro geri rem, non semper aurũ & argentũ neruum belli esse, malo tuo experire. Deniq; si sapis, cur non potiùs Agesilaum, Tymoleonem, Dionem, quàm Nabidim, quàm Phalarim, quàm Dionysium imitandum putes? satiusq; esse viuere vitam Scipionis, quàm desiderare principatum Cæsaris. Quorum enim aliquis imitatur mores, eorum & exitum expectare debet. Vide quomodo Titus, Nerua, Traianus, Adrianus, Antonius, & Marcus apparitoribus, & doryphoris non egebant Romæ. & rursus, quomodo Caligulę, Neroni, Vitellio, neq; Orientis, neque Occidentis exercitus, opẽ ferre potuerint. Animaduerte tyrannorum vim & potentiam corporibus nostris esse persimilem, quę quoad bona vtuntur valetudine, latent in ijs incommoda

singula: nec facilè morbum ægritudinemq; deprehendas: statim verò vt grauior morbus aliquis incurrerit,& corpus aduerla valetudine vexari incipit, omnia etiam minima cum doloris sensu maximo, repente commouentur & excitantur. Ad eum modum tyrannorum iniuriæ & contumeliæ, prosperitate veluti velo obductæ, delitescunt: simul atq; increpuit bellū, aut seditio tyrānus corruit: neq; quicquam violentū potest esse diuturnum. Sed quid ego te admoneam? & num humanitatē ab hominū hoste, ab immoderato modū, ab effreni disciplinam, à barbaro expectē doctrinā? cur non potius ad te mea vnde initium cœpit se conuertit oratio? Ego te Stephane rex, pro eo ac debeo, veneror & colo, neque vllum præmium virtutis, vllum insigne honoris, vllum monimentum laudis esse fieriq; posse existimo, quod tibi à nobis iure & meritò non debeatur. Tu ex seruitute in libertatem, ex profundissimis tenebris in lucem, à morte (vt ita dicam) in vitam me reduxisti; tu calamitatem omnem & squalorem mihi ademisti; tu & subsidia belli & ornamenta pacis attulisti. Paruit olim orbis terrarum Romanis, seruiuit Assyrijs, subiectus fuit Persis: at enim & Persarum disciplina dignitate Assyriorum, & humanitate Romanorum videbatur tolerabilior conditio seruitutis. Huic verò tam fœdo & impotenti domino subiecta si fuissem, quam lucem solatij, quod perfugium pacis, quem portum quietis sperare poteram vel debebam, in cuius regno, nihil aliud quàm flagitiosissima luxuria, quàm deterrima crudelitas, quàm contumeliosissima superbia, nihil aliud, quàm dolor & gemitus perpetuus audiuntur. Ergo

Ergo quàm maximas possum gratias tibi ago, rex, maiores etiam habeo, eiusque beneficij tui, memoriam erga me, nulla vnquam in obscurabit obliuio. Tu fac, vt sicuti speramus & optamus fore, pace concordia, tranquillitate, & ocio per te & in te perfruamur. Hæc Liuonia, si posset, apud te hodie diceret. Quæ quoniam non potest, id à nobis tacita requirit, vt præstanti virtute, rebusq; abs te gestis optimorum olim regum & principum memoriam in Polonia in animum nobis reuocemus & Lechos fortes, solertes Gracchos, Lescones strenuos, sapientes Cazimiros, audaces Boleslaos, moderatos Iagellones in te vno contemplemur: Deumq; opt. max. cuncti precemur, vt eum, quem per omnes omnium honorum gradus, ad regiam dignitatem extulit, quem potestatis suæ participem in terris, administrum iustitiæ, authorem pacis exteris admirabilem, suis venerabilem, hostibus fecit formidabilem, bonis omnibus auctum, & florentem, & quàm maximè diuturnum, & in omnes partes victorem esse, perpetuoq; fieri, patiatur.

FINIS.

ORDO QVALITER SERENISSIMVS REX POLONIÆ IVXTA VETEREM CONSVETVDINEM CORONATVR, ET QVÆ SOlennitas & cerimoniæ circa id seruari sint solitæ.

IN primis congregantur episcopi & consiliarij regni, aliíq; officiales, item abbates infulati, ad minus ex Diœcesi Cracouiensi, qui omnes conuenire tenentur, pro die statuto coronationis.

Rex itaq; electus parabit se vt dignè accedat mensam diuinam corpus Christi sumpturus in die coronationis, vnde ieiunio, eleemosyna, & confessione expiabit peccata sua. Sequenti autem die quæ erit Dominica, qua rex est benedicendus. Archiepiscopus & suffraganei, Abbates infulati, aliíq; Prælati omnes conueniunt mane in Cathedralem ecclesiam, omnes amicti stolis pluialibus, mitris, infulis, superpilicijs, & de genere sacerdotalium. Senatores quoque omnes, & equestris ordo congregatur, quibus sic peractis, processione ordinata per magistrum cerimoniarum, cum turibulo & aqua benedicta aliisq; episcopalibus de ecclesia in palatium eunt, schola cum sacerdotibus & abbatibus ad scalas palatij remanentibus, soli episcopi cum archiepiscopo palatium ascendunt, ad deducendum principem in ecclesiam Cathedralem, qui amictus per supremum regni Marschalcum, vel per magistrum cerimoniarum sandalijs, tunica, chirotecis, alba dalmatica & pallio siue cappa, quem sic ornatum

tum & inter barones primores q; regni stantem, archiepiscopus aqua benedicta aspergit, post hoc collectam dicit:

Deus humilium institutor, qui nos Sancti spiritus illustratione consolaris, prætende super hunc famulum tuum Henricum gratiam tuam, vt per eum tuum in nobis adesse sentiamus aduentum.

Hinc rex in ecclesiam per Cracouiensem, & Cuiauiensem episcopos deducitur, à dextra leuaq; apprehensa, præferentibus Castellano Cracouiensi coronam, Palatino sceptrum, Vilnensi item Palatino pomum aureum, & Andrea à Zborow gladium euaginatũ, episcopi cum archiepiscopo cruce præcedente, abbates infulati, & cæteri principes suo ordine quilibet succedebant. Similiter duces Franciæ, & externorum principum legati. Regalia suprad icta a senatoribus qui ea portabant accepta in altare deposita sunt, rex in solio sistitur, ante quem archiepiscopus certas orationes pronunciat.

Antequam autem rex coronaretur, orta est magna controuersia, ratione confœderationis inter quosdam Catholicorum, & Euangelicos sub interregno facta, episcopis eandem, vti diuinis pariter, ac Ecclesiasticis contrariam legibus, ipsis q; inuitis, & reclamantibus factam, improbantibus, Euangelicis contra, propter rerum suarum securitatem, omnino firmam haberi contendentibus, sed postea omnis illa contentio, inuento medio Deo volente sedata fuit, & pace facta vnus episcoporum dicit subsequentem Orationem.

OMnipotens sempiterne Deus, cælestium ac terrestrium moderator, qui famulum tuum ad regni fastigium, dignitatemque dignatus es promouere, concede quæsumus vt à cunctis aduersitatibus liberatus, & ecclesiasticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudium, te donante peruenire mereatur, per Christum Dominũ nostrum, Amen.

Finita oratione admonet diligenter regem, de fide, de pietate in Deum, & de alijs virtutibus regijs dicens:

Cùm hodie per manus nostras optimè princeps, qui Christi saluatoris nostri vices in hac re fungimur, quamuis indigni sacram vnctionem, & regni insignia sis susceperturus, bene est, vt te prius de onere, ad quod destinaris aliquantulum moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, & regendi fideles populos tibi commissos curam sumis: præclarum sanè inter mortales locum, sed discriminis, laboris, atque anxietatis plenum: verùm si consideraueris, quod omnis potestas à Domino Deo est, per quem regnant reges, & legum cõditores iusta decernunt, quodque de grege tibi commisso, ipsi Deo rationem redditurus, primùm pietatem seruabis, Dominum Deum tuum tota mente ac puro corde coles, Christianam religionem ac fidem Catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem vsque inuiolatam retinebis, eamque contra omnes aduersantes, pro viribus defendes. Ecclesiarum prælatis ac reliquis sacerdotibus, condignam reuerentiam exhibebis, ecclesiasticam libertatem non conculcabis, iustitiam sine qua nulla societas diu cõsistere potest, erga omnes inconcussè administrabis, bonis præmia

mia, noxijs debitas pœnas imponendo, viduas, pupillos, pauperes, ac debiles, ab omni oppressione defendens, omnibus te adeuntibus benignum, manebis, & ita te geres, vt non ad tuam, sed ad totius populi vtilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum, non in terris, sed in cælo expectare viderearis, quod ipse tibi præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus, in sæcula sæculorum.

Absoluta oratione interrogat illum episcopus hijs verbis:

Vis fidem sanctam, à Catholicis viris traditam tenere, & operibus iustis seruire? R. Volo.

Vis ecclesijs ecclesiarumque ministris tutor & defensor esse? R. Volo.

Vis regnum à Deo tibi commissum, secundum iustitiam patrum tenere, regere, & defendere? R. Volo.

Et in quantum diuino fultus suffragio, ac solatio omnium fidelium suorum valuero, ita me fideliter per omnia acturum esse promitto.

Finita interrogatione, rex coram archiepiscopo genu flexus capite adaperto, dicit in hac verba: Ego Henricus, Deo annuente futurus rex Polonorum, profiteor & promitto coram Deo, & Angelis eius, deinceps legem & iustitiam, & pacem ecclesiæ Dei, populoque subiecto, pro posse & nosse facere atque seruare, saluo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum, melius potero inuenire. Pontificibus quoque ecclesiarum Dei, condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab imperatoribus & regibus ecclesiæ collata, & reddita sunt, inuiolabiliter obseruare: abbatibus, comitibus, & vasallis meis con-

gruum honorem, secundum consilium fidelium meorum præstare.

Post hoc, vtramque manum ponit supra Euangelia dicens: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

POSTEA DICIT ARCHIEPISCOPUS Collectam.

OMnipotens sempiterne Deus, creator omnium, imperator angelorum, Rex regum, & Dominus dominãtium, qui Abraham fidelem seruum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosuæ populo tuo prælatis, victoriam multiplicem tribuisti, humilemque Dauid seruum tuum regni fastigio sublimasti, & Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti, respice quæsumus Domine, ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulum tuum Henricum, quem supplici deuotione veneramur, & in regem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumq; dextera potentiæ tuæ semper hîc & vbique circunda: quatenus prædicti Abrahæ fidelitate, Moysi mansuetudine fretus, Iosuæ fortitudine fultus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis sapiẽtia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem iusticiæ inoffenso gressu semper incedat. Tuæ quoque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisque cælestibus circumdatus, optabilem de hostibus crucis Christi victoriam fideliter obtineat, & triumphum feliciter capiat, terroremq; suæ potentiæ illis inferat, & pacem sibi militantibus lætantes reportet, per Christum Dominũ nostrum, qui vi-

tute crucis tartara destruxit, regnoq; Diaboli superato, ad cælos victor ascendit: in quo potestas omnis regniq; consistit victoria: qui est gloria humilium, & vita salusq; populorum: qui tecum viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ALIA ORATIO.

TE inuocamus Domine, sancte Pater, omnipotens sempiterne Deus, vt hunc famulum tuum Henricum, quem tuæ diuinæ dispensationis prouidentia in primordio plasmatum, vsq; ad hunc præsentem diem iuuenili flore lætantem crescere concessisti: eum tuæ pietatis dono ditatum, plenumque gratia & veritate, de die in diem coram Deo & hominibus ad meliora semper proficere facias: vt summi regiminis solium gratia supernæ largitatis gaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro, ab hostium aduersitate vndiq; munitus plebem sibi cõmissam cum pace propiciationis, & virtute victoriæ feliciter regere mereatur, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Post hæc archiepiscopus genua flectit, & rex in faciem prouoluitur: Cantores autem canunt, choro corresponente, & cum cantant hunc versum: Et obsequium seruitutis nostræ tibi rationabile facias. R. *Te rogamus audi nos. Archiepiscopus stans ad regem prouolutum, cum cruce dicit: Et hunc electum in regem: Coronandum, benedicere digneris.* R. *Te rogamus audi nos.*

Iterum canit: Et hunc electum in regem coronandum benedicere & consecrare digneris. R. *Te rogamus audi nos.*

Post hoc episcopi omnes cum abbatibus genua flectentes, lataniam prosequuntur supra regem prouolutum, quam cum finierint, archiepiscopus orationem Dominicam exorditur: Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationē. R. *Sed libera nos à malo.* V. *Saluum fac seruum tuum Domine.* R. *Deus meus sperantem in te.* V. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* R. *A facie inimici.* V. *Domine exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

DEvs qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da famulo tuo Henrico sapientiæ spiritum, cum regimine disciplinæ, vt tibi toto corde deuotus, in regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus, securitas ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate deuotio Christiana permaneat, vt in operibus suis bonis perseuerans, ad æternum regnum te duce peruenire valeat, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Benedic Domine hunc regem Henricum, qui regna omnia moderaris à sæculo, & tali eum benedictione glorifica, vt Dauidicæ teneat benedictionis & sublimitatis sceptrum; & glorificatus in eius protinus rapiatur merita: da ei tuo spiramine cum mãsuetudine, ita regere populum tuum, sicut fecisti Salomonem tuum continere regnum pacificum, sit tibi semper cum timore subditus, tibique militet cum quiete, sit tuo clypeo protectus, cum proceribus, & vbique tua gratia victor existat: honorificum

eum præ cunctis regibus gentium, vt feliciter populis tuis dominetur, & feliciter eum nationes adoret, viuat inter gentium cateruas magnificus, sit in iudicijs æquitatis singularis, locupletet eum tua perdiues dextera, frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profuturam. Protella ei prolixitatem vitæ, & in diebus eius oriatur iustitia, à te robustum teneat regiminis solium, & cum iucunditate & iustitia, æterno glorietur in regno, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Postea archiepiscopus sedet, rex verò genua ante eum prouolutus, Dalmatica & pinali exuitur. Archiepiscopus autē intincto pollice dextro in oleo sacro vngit illi dextram à palma, ad cubitum, & inter scapulas, & in brachio dextro, dicens:

Vngo te in regem ex oleo sanctificato in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

Pax tecum. R. *Et cum spiritu tuo.*

ORATIO.

VNgo te in regem ex oleo sanctificato Spiritus sancti gratia humilitatis nostræ officio in te copiosa descendat, vt sicut manibus nostris indignis, oleo materiali pinguescis exterius ablutus, ita eius inuisibili vnctione delibutus, impinguari merearis interius, eius quoq; perfectissima spirituali vnctione semper imbutus, & illicita declinare tota mente discas seu valeas, & vtilia animæ tuæ, iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Domino Iesu Christo, qui tecum viuit & regnat, Deus Dei fi-

lius Iesus Christus Dominus noster, qui à Patre oleo exultationis vnctus est, præ participibus suis, ipse per præsentem sanctæ vnctionis infusionem Spiritus Paraclyti, super te benedictionem infundat, eundemque vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat. Quatenus hoc visibili & tractabili oleo dona inuisibilia percipere, & temporali regno, iustis moderationibus executo, æternaliter coregnare cõmerearis, qui solus sine peccato rex regum, viuit & gloriatur, cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, pro omnia sæcula sæculorum, Amen.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Azachiel super Syriam & Iehu super Israel per Heliam, Dauidem quoq; & Saulem per Samuelem prophetam in reges inungi fecisti, tribue quæsumus, manib. nostris opem tuæ benedictionis, & huic famulo tuo Henrico, quem hodie licèt indignis in sacro vngimine delingimus, dignam delibutionis huius efficaciam, & virtutem concede. Constitue Domine, principatum super humerum eius, vt sit fortis, iustus, prouidus, & indefessus regni huius, & populi tui gubernator, infidelium expugnator, iustitiæ cultor, meritorum remunerator, ecclesiæ tuæ sanctæ, & fidei Christianæ defensor ad decus, & laudem tui nominis glorioſi, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Christe perunge hunc regem in regimen, qui vnxisti

xisti sacerdotes, & prophetas, reges, & martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, atque adepti sunt repromissiones, tua sanctissima vnctio super caput eius defluat, atq; ad interiora descendat, & cordis illius intima penetret, & promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi reges, gratia tua, dignus efficiatur, quatenus in præsenti sæculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cælesti regno perueniat, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum viuit & regnat, &c. Vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, & virtute sanctæ crucis potestates aëreas debellauit, tartara destruxit, regnum Diaboli superauit, & ad cælos victor ascendit, in cuius manu victoria, virtus & potestas consistunt, & tecum viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Deus qui es iustorum gloria, & misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum vt pretiosissimo sanguine suo genus humanum redimeret, qui conteris bella, & es propugnator in te sperantium, & sub cuius arbitrio, omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, vt præsentem famulum tuum Henricum in tua misericordia confidentem, in præsenti regali sede benedicas, eique protinus adesse digneris. & qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostib. fortior, fac eum Domine beatum, & victorẽ de inimicis suis, corona eũ corona iustitiæ & pietatis, vt ex toto corde, & tota mente in te credens, tibi deseruiat, sanctam tuam Ecclesiam defendat & sublimet, populumque à te commissum iustè regat, nullum ius insidiantibus malis iniustitiam vertat. Accende Domine cor eius,

ad amorem gratiæ tuæ, per hoc vnctionis oleum, vnde vnxisti reges & prophetas, quatenus iustitiam diligens, per tramitem iustitiæ familiariter populum ducens, post peracta & disposita in regalia excellentia annorũ curricula, ad te peruenire mereatur, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Prospice omnipotens Deus serenis optatibus hũc glorioſum regem Henricum, & sicut benedixisti Abraham, Isaac, & Iacob, sic illum larga benedictionis spiritualis gratia, cum omni plenitudine potentiæ irrigare, atque perfundere dignare, tribue ei de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei, & omnium frugum opulentiam, ex largitate diuini muneris, longa per tempora, vt illo regnante sit sanitas corporum in patria, & pax inuiolata in regno, & dignitas glorioſa regalis palatij, maximo splendore regiæ potestatis omnium oculis fulgeat, luce clarissima clarescat, atque splendore, quasi splendidissimo, fulgore maximo perfusus lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, vt sit fortissimus protector patriæ, & consolator ecclesiarum, atque cœnobiorũ sanctorum, maxima cum pietate munificentiæ, atque sit fortissimus regum, triumphator hostium, ad opprimendos rebelles & paganas nationes, sitq; suis inimicis, satis terribilis, præ maxima fortitudine regalis potẽtiæ. Optimatibus quoque & præcelsis proceribus, ac fidelibus sui regni sit magnificus, & amabilis ac pius, vt ab omnibus timeatur & diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum, futurorum egrediantur, qui regnum hoc valeant regere totum, & post glorioſa tempora, atque felicia præsentis vitæ gaudia

gaudia æterna in perpetua benedictione habere mereantur. Quod ipse præstare dignetur qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Postea episcopus aliquis, cotum manu gestans, inuncta loca detergit, dicens:

Deus, Rex regum, & Dominus dominantium, per quem reges regnant, & legum conditores iura decernunt, dignare propitius benedicere hoc regale ornamentum, & præsta vt famulus tuus rex noster Henricus, qui illud portaturus est, ornamento bonorum morum, & sanctarum actionũ, in cõspectu tuo fulgeat & post temporalem vitam, æternam gloriam quę temporis non habeat finem, sine fine possideat, per Dominum, &c.

Demum induit regem piuiali, & Dalmatica, dicens:

Accipe pallium, quatuor initijs formatum, per quod intelligas, quatuor mundi partes, diuinæ potestati esse subiectas, nec quenquam posse feliciter regere in terris, nisi sibi potestas fuerit collata de cælis.

His absolutis archiepiscopus manus abluit, & deposita infula dicit confessionem. Rex verò deductus in solium orat, & post alleluia in Missa, orationes pro rege aliquis episcoporum dicit. Postea regi genu flexo, archiepiscopus gladium porrigit, dicens:

Accipe gladium desuper altari sumptum per notras manus licèt indignas, vice tamen, & auctoritate sanctorum apostolorum consecratum, regaliter tibi concessum, nostroque benedictionis officio, in defensionem sanctę Dei ecclesiæ, diuinitus ordinatum, ad vindictam malefactorum, laudem verò bo-

norum, & memor esto eius, de quo Psalmista prophetauit dicens: Accingere gladio tuo, super femur tuum potentissime, vt in hoc per eandem vim equitatis exerceas, molemq; iniquitatis, potenter destruas. Et sanctam Dei ecclesiam, eiusq; fideles propugnes, atq; protegas, neq; minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execres, ac disperdas, viduas atq; pupillos, clementer adiuues, & defendas, desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, cõfirmes bene disposita. Quatenus in hoc agendo virtutum triumpho, glorioſus iustitiæq; cultor egregius, cum mundi Saluatore, cuius typum geris, in nomine eius, sine fine regnare merearis, qui cum Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ibidem vlterius in Missa proceditur, & accingens illi gladium archiepiscopus, dicit:

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, & attende, quod sancti, nõ in gladio, sed per fidem vicerunt regna.

Postea ei diadema imponens dicit:

Accipe coronam regni, quæ licèt ab indignis, episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quã sanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare, & per hanc te participem ministerij nostri, non ignores ita vt sicut nos in interioribus, pastores rectoresq; animarum intelligimur, ita & tu contra omnes aduersitates ecclesię Christi defensor assistas, regnlq; tibi à Deo dati, & per officiũ nostrę benedictionis in vice apostolorũ, omniumq; sanctorũ regimini tuo cõmissi, vtilis executor, perspicuusq;

spicuusq; regnator semper appareas, vt inter glorioſos atletas virtutũ gẽmis ornatus, & prẽmio sempiterne felicitatis coronatus, cũ redẽptore & saluatore nostro Iesu Christo, cuius nomẽ vicẽq; gestare crederis, sine fine glorieris: Qui viuit & imperat Deus cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum.

Demum pomum typũ mundi referens in sinistram & sceptrum in dextram ei dedit, dicens:

Accipe virgam virtutis atq; veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errãtes viam docere, lapsis manũ porrigere, dispergere superbos, & releuare humiles, & apperiat tibi ostiũ Iesus Christus Dominus noster, qui de semetipso ait: Ego sum ostiũ, per me si quis introierit saluabitur, qui est clauis Dauid, & sceptrũ domus Israël, qui apperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit, sitq; tibi auctor qui eduxit vinctũ de domo carceris, sedentẽ in tenebris, & vmbra mortis, vt in omnibus sequi eum merearis, de quo Dauid propheta cecinit: Sedes tua Deus in sęculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui, & imitando ipsum diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem, qui propterea vnxit te Deus: Deus tuus ad exemplum illius, quẽ ante sæcula vnxerat, oleo exultationis, præ participibus suis, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum.

Inter offertorium, rex panem & vinum in altare offert, pacemq; (vt dicitur) exosculat, & sacrosanctum corpus diuinum accipit. Post hoc gladius ei discinditur. Absoluto sacro in thronũ medio templo ordinatũ deducitur, vbi ab archiepiscopo intronisatur & gubernaculis regni præficitur, dicente:

Sede & retine amodo locum tibi à Deo delegatum, per auctoritatẽ omnipotentis Dei, & per præsentem traditionem nostram omnium, scilicet episcoporum, cæterorumq; Dei seruorum, & quanto clerum sacris altaribus propinquiorem aspicis, tanto ei potentiorem in locis congruis honorem, impendere memineris, quatenus Mediator Dei & hominum, te mediatorem cleri & plebis, in hoc regni solio confirmet, & in regno æterno, secum regnare faciat, Iesus Christus Dominus noster, Rex regum & Dominus dominantium, qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Tandem archiepiscopus exorditur, Te Deum laudamus, quo absoluto, stans à dextris regis dicit: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua. R. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* V. *Domine exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

DEvs qui victrices Moysi manus, in oratione firmasti, qui quamuis ætate lãgueſceret infatigabili, sanctitate pugnabat, vt dũ Amalech iniquus vincitur, dum prophanus nationum populus subiugatur, exterminatis alienigenis, hæreditati tuæ possessio copiosa seruiret, opus manuum tuarum à nostræ orationis exauditione confirma: habemus & nos apud te sancte Pater Dominum Saluatorem, qui pro nobis manus suas extẽdit in cruce, per quem etiam precamur altissime, vt tua potentia suffragante, vniuersorum hostium, frangatur impietas, Populusq; tuus cessanti formidine, te solum timere condiscat, per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

OREMVS.

DEvs inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, cõfirmator regni, qui ex lumbis fidelis amici tui, patriarchæ nostri, Abrahæ præelegisti regem sæculis profuturum, tu præsentem insignem regem hunc, cum exercitu suo, per interceſſionem omnium sanctorum vberi benedictione locupletã, & in solium regni firma, stabilitate cõnecte, visita eum per interuẽtum omnium sanctorum, sicut visitasti Moysem in rubo, Iosuè in castris, Gedeonem in agro, Samuelem crinitum in templo, & illa eum promissione, & syderea benedictione, ac sapientiæ tuæ rore perfundere digneris, quam Dauid in Psalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit de cælo. Sis ei contra acies inimicorum, lorica in aduersis, galea in prosperis, sapiẽtia in protectione, clypeus sempiternus, & præsta vt gentes illi teneant fidem. Proceres atq; optimates sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant à cupiditate, loquantur iustitiam, custodiant veritatem, & ita populus iste pullulet, coalitus benedictione Trinitatis, vt semper maneant tripudiantes, armis gaudentes & in pace victores, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Tunc rex accepto in manus sacro gladio, aliquos tum nobiles, tum consiliares viros, habita cæ-

rimoniæ dignitate, ad equestris ordinis dignitatem præcinctos prouexit. His peractis rex in palatium deducitur cibum capessurus, vbi instructis mensis, accumbebat summum thronum ipse ac deinde per ordinem cæteri principes suas mensas accumbunt, tunc primores barones & senatores loca sua occupant. Marschalcis cæterisq; officiarijs munia regalia obeuntibus, Dapiferis Architriclinijsq; præeuntibus cum suis scipionibus, argenteis canistris panem, & auratis patinis varia tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars apetitia exquisitissimas sumptuosissimasq; per ordinem epulas copiosè apponunt, assa, elixa, iusculenta, frixa, pastillia, promulsidaria, pultaria, crustulenta, aliaq; lautissimorum edulium genera sapidissimis succorum, multiugis condimentis suffusa, quæ L. Luculli Romani mensas superabant. Tandem die Lunæ sequenti ijsdem quibus antea insignia præferentibus, insorum summa cum celeritate deducta, à ciuibus in edito solio ad id pulcerrimè iuxta prætorium facto, iusiurandum & argenti ingentia peramplaq; munera accepit. Ibi etiam assumens in manum aureum pomum, tum euaginatum gladium aliquot strenuos & benemeritos viros equestri ordini asciuit, ac aurata militia condonauit. His peractis ad Andreæ Zborouij nuptias pedes, omnibus plateis

plateis & tectorum summitatibus, multitudine oppletis, iuit. Peracto prandio hastiludia rege inspiciente exercebantur extra muros, ibidem & postera die sacra regia maiestas liberalissimè tractabatur. Samuel autem Zborowski qui ad coronationē neglexerat venire, centū viginti equites sumptuosissimo ornatu Hungarico ei ostenderat. Plurimi postea dies in audiendis gratulantium principum externorū legationibus & in quibusdā caussis decidendis transacti sunt. Atque hanc veram coronationis augustissimi Poloniæ principis descriptionem, Lector candide, boni consule. Vale, & nos redama.

T ij

COMPENDIVM CHRONICORVM LITVANIÆ, SECVNDVM SERIEM ET SVCCESSIONES DVCVM GENTIS A PRIMO HORVM conditore ad nouissimum ordine seruato.

PTOLEMÆVS ille vniuersi orbis geographus curiosissimus, his in regionibus quæ hodie à Lituanis colluntur, & quæ eorum ditioni vtpote Russia, Podolia, Volhinia, Podlasia, Samogitiaq; subsunt, hos populos coloniasq; suas, (quorum hodie ne vestigium quidem apparet) antiquitus habuere recenset, Galindos, Bodinos, Genianos, Sudinos, Cariones, Amaxobios, Stabanos, Sturnos, Nascios, Asubios, Wibiones, Ombrones, inter Lublinam & Brestiam, Sargatiosque. Quos omnes ex Cimbris, Gothisq;, & Sarmatis ortum sumpsisse idem Ptolemæus asserit. Sarmatorum autem deductio cùm latius à nobis descripta pateat, Cimbrorum nomen, & successiones mihi explanandæ videntur. Cimbros itaq; à Gomero nepote Noh æ ex maximo natu filio Iapheto ortos esse, nomenq; ab eo per tot sęcula paululum immutatũ trahere consentiens

Lituaniæ populi.

Cimbri Gomeri prognati.

sentiens omnium historicorum opinio est. Hæc posteritas Iapheti, cùm maiorem orbis terrarum partem, in Europa, Asiaq; minori occupauerit, quod ipsi cùm etymon nominis dilationem significantis, tum fausta Noh æ parentis imprecatio portendebant, pars eorum à Gomero orti, ad Bosphorum Cimmerum Mæotidis paludibus proximum, (qui de illis Cimmerius est appellatus) vltra fontes Tanais fluuij, vbi in Ducatu Rhesanensi Moschouiæ principi subiecto oritur, sedes suas habuerunt. Postea successu temporis, quod haud difficile illis fuit, per regiones propinquas, Russiam, Lituaniam, Liuoniam, & Borussiam, nũc Prussiam appellatam, & Cimbricam chersonesum vbi Sueci, Dani, Holandi progressi, toto eo littore se passim diffundentes latè dominati sunt, & castrato paululum nomine, litteraq; interiecta Cimbri nuncupati. Quando verò & qua occasione hæc migratio contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quib. id constare possit, ignotum est. Cæterum fuerunt semper Cimbri gens bellicosa, strenua, manu prompta, id enim res ab ipsis fortissimè audacissimeq; gestæ testantur. Hijs namq; colonijs septentrionalibus relictis in numero trecentorum millium, per Germanorum regiones in Heluetiam, Galliamq; in primis penetrarunt. Deinde Hispanias populabũdi vastauerunt. Inde annũ circiter centesimũ decimum, ante natum Christum in Italiam excurrerũt, quam vastabundi passim deprædarunt, Romanorumque consulem Papyrium Carbonem, cũ vniuerso exercitu fuderunt. Postea ab eisdem M. Iunius Siluanus, & ipse Consul contracta infeliciter pugna, superaTanaïs fluuius.

Cimbrorum patria.

Cimbri Galliam & Hispaniam ingressi.

Cimbrorum in Italia bella.

tur. Aurelius deinde Scaurus Consulis legatus amissis copijs Romanis, in manus eorum viuus perueniens, à Bolo rege Cimbrorum occiditur. Id Tacito affirmante actum est, anno sexcentesimo quadragesimo post vrbem conditam. Tandem Romani maioribus copijs collectis in aditu Alpium contra Cimbros exercitum opponunt, fusi tamen & ad internitionem prostrati, vbi C. Manlius in pugna interfectus, occubuit. Octuaginta verò millia Romanorum militum cesa. Q. Seruilius Cœpio imperator exercitus, ex conflictu funesto vix cum denis elapsus, Romam tantæ cladis nuncius perueniens, bonis omnibus publicatis, ex decreto senatus, quod temeritate sua exercitum perdiderit, iugulatur. Aiunt Romanos vno in prælio maiori clade & detrimento vnquam affectos esse, quamobrem suspensis metu animis, de exitu imperij sui magnopere soliciti, præsentique rerum suarum periculo vehementer conturbati, cùm hostes exitium, vbi minitates propediem aduentare nũciarentur. Caium Marium ex Lybia vbi Iugurtham deuicerat, ducem bellicosissimum, & fortunatum vocauerunt, duobusque annis ab illa clade Romanorum elapsis, Marius, Cimbrorum & Teutonum, ad aquas Sextias cruento prælio ducenta millia fudit, tantaq; fertur cæsorũ multitudo, vt Massilienses congestis defunctorum ossibus, vineas eisdem obsepserint, sanguineque humano agri quasi stercore multo pingue scentes vberrimi, feracissimique redditi sint. Itaque Cimbri attenuati & numero virib. sed animo minimè fracti, in vnum conglobati, Q. Catuli proconsulis exercitum in fugam verterunt, ad fluuiumq; Athesin cæstrametati sunt. Quò Marius summa celeritate aduolans, coniunctis copijs suis, cum exercitu Catuli, inito prælio 29. die Iulij centum quadraginta millia Cimbrorum occidit. Qua clade ad extrema redacti Italia egressi, patrias oras, vtpote Daniam, Prussiam, Suetiam, Liuoniam, Lituaniamq; petierunt, ex quibus illi qui Lituaniam occupauerant Gepidæ nũcupati fuere. Hac verò in regione vbi Samogitia, Æneas Syluius Massagetas, gentem Plinio celebrem consedisse testatur. Lituanorum verò gentem, qui antiquitus Gepidi vocabantur ex Gothis oriundam. Erasmus Stella pulcris rationibus affirmat cum duce Litalano, siue LitWone, Vedenuti Prussię regis filio, anno Domini 573. in has regiones vicinas patris imperio quas olim Alani incolebant, venisse. Lituaniæque nomen à sui denominatione eiusdem indidisse. Samogitiam verò à fratre eiusdem Lituonis Saimone principe appellatam, idem Erasmus Stella in Prussia historia testatur, quę tunc temporis longè in Prussiam, & Liuoniam vsque extendebatur. Similiter Lotialos, siue LotWonos, qui nunc Liuones post Germanorum ingressum Latinis dicuntur, ab eodem LitWone cum LitWania pariter nomen traxisse. Hæ autem gentes, vtpote Pruteni, PoloWci, Samogitæ, Gepidæ, Lituani, Liuones, Curlandi, latWingi siue Iazyges & IaczWingi appellati, vt vnum idioma, ita eosdem mores, consuetudines, legesq; & bellorũ expeditiones in Christianos concordi Marte, semper habebant, nisi singulæ singulis principibus finibusq; certis dirimebãtur. IaczWingi autem fuerunt populi crudelissimi, in finibus Lituaniæ iuxta Massouiam, vbi hodie Podlassia colonias

Infelix cum Cimbris Romanorum conflictus. eorũ strages.

Marius Cimbros fudit.

Cimbri in Italia.

Lituani à Cimbris orti.

Lituania, Samogitia & Liuonia denominatio.

IaczWingi, siue Iazyges gens crudelis.

suas habebant, qui in bello non referebant pedem, quin vincerent, aut vincerentur: ideo bellis assiduis interierunt; reliqui eorũ in Lituanos Russos, & Massouitas ob vicinitatem abierunt. Opinantur alij Lituanos, à *Lituo* quod cornu venatorium significat, dictos esse, quorum opinio, vt anilis & stulta iure ab omnibus irridetur. Matthias autem Miechouiensis, & Dlugosus Polonicæ historiæ indagatores, ac annales Ruthenorum testantur, Italos duce Palæmõne, vel ob tyrannidem Neronis, vel promeritum exilium, aut ab Attila Hunnorum reges crudelissimas patriæ vastationes fugientes, has regiones, longa nauigatione superata, ex sinu maris Baltici, quod Prussiam, Samogitiam, Liuoniáq; alluit, per Nénam fluuium *Crononcm* Ptolemæo dictũ, classe ingressos fuisse, quod & ipsa gens Lituanica strenuè asserit. Quamplures enim dictiones Latinę, & Italicæ idiomati eorum intermixtæ habentur. Aiuntq; hũc Palæmonem (quem ipsum nomen Latinum, Italumq; esse prodit) cum certa comitiua ex nobilibus propinquitate iunctis collecta, quorum præcipuos, Vrsinos, Columnas, Iulianos, Cæsarianos, Gastaldos recensent, Lituanię nobilibus familijs & stemmatibus principia dedisse; vulgum verò Lituanorum vtpote colonos, & agrestes ex Gothis natos asserunt; in hancq; sententiam plurimi Polonicæ & Germanicæ, ac Russorum historiæ scriptores astipulantur, quorum iudicio & autoritati, nos quoq; acquiescentes cum eisdem sentire volumus.

Lituania à Lituo.

Itali Lituaniæ gentis propagatores.

Vulgus Lituanorum ex Gothis nobiles ex Italis orti.

Polæmon Italus primus dux Lituanorum.

Hic itaque Polæmon obinnatam industriam, à gente barbara princeps salutatus, eam coram nomine patriæ suæ Italiæ (præposito articulo Italis in fæminini generis nominibus efferendis consueto) *Italia appellasse* creditur, quæ postea longo tempore successu Italicis moribus, idiomateque in barbariem populi cõmutatis, Lituania dicta est. Quidam etiam eosdẽ Italos à littore maris Baltici, quod Prussiam, Liuoniam, ac Lituaniæ, Samogitiæ extrema alluit, eò quòd ibi prius consederint, Lituaniam cognominasse putant. Succedente postea Palæmoni quodam ex eadem gente principe, Itali recens Latinorũ nomen non modo deposuerunt, sed ignatam quoque & peregrinam eorum incolarum linguarum, apud quos principatum arripuerant addiscentes, in suam cooptarunt, viuendiq; normam & modum cum eiusdem barbaribus susceperunt. Cæterum hæc gens Lituana longo tempore à sui imperij primordijs obscura fuit, Ruthenorumq; iugo subiecta, vt princeps Kiouiensis Russiæ quondam monarcha, ab eis periomata, subęraq; ob egestatem & soli sterilitatem, in signum tantummodo subiectionis exigeret: donec Mendolphus siue Mendog, & Witenen, Gediminusq; duces illustres heroica magnanimitate illa innata, dudumq; segnitia rei militaris oppressa excitata, rebellionem contra Ruthenos, ab antecessoribus suis incœptam continuantes, vnus post alium in Lituaniæ imperio succedentes, Russiæ principibus partim strenuo marte, partim astu frequentius aggressis, & quasi debellatis, sensim adeò viribus creuerunt, vt iugo Ruthenis omnibus iniecto, etiam ad tributa sibi pendenda eos compellerent, quæ pluribus ab annis Ruthenis ipsi pendebant, ac pro periomatibus & subere aurum, argentumq; exigunt. Nunc Lituanorũ successus & seriem

Lituaniaab Italia cognominata. Lituania à Littore.

Lituani olim obscuri, Russis tributarij.

Lituani magnum Ruthenorum excutiunt.

à primis principatus, incremẽtis, secundum Rutheno-
rum opiniones aggrediar, à tribus fratribus Pa-
læmonis nepotibus, initio sumpto.

ORDO, GENEALOGIAQVE Ducum Lituaniæ.

Palamonis nepotes.

PAlæmoni ex Romanis patritijs genus suum du-
centi, fatisq; in Lituania multis periculis exan-
tlatis commigranti, tres nepotes (quos Ruthenis-
lios eiusdem contra veritatem historiæ legitimos
scribunt) in imperio Lituanico successerunt, Bor-
cus, Cunossus, & Spera nominati.

Borcus. Kunos. Spera.

Borcusq; arce ad Iuriam fluuium vbi in Crononé
siue Nemnam exoneratur, in Samogitia erecta, à
sui nominis & fluuij cõposita denominatione, eam
Iurborg quæ hucusq; durat, appellauit, imperiumq;
in Samogitas exercuit.

Kunossow arx.

Cunos, verò vlterius procedens eadẽ in regione
castrum Kunossow fundauit à suo nomine appel-
latum, ad quod regio subiacens pertineret.

Kiernus. Gybus. Kiernou arx, & sedes magni Ducatus Lituania.

Spera quoque Vilkomir arce ad fluenta Swen-
tæ ædificata, ibidem dominari cœpit. Tandem Bor-
co & Spera fatis concedentibus, Cunos in vtriusque
partes successit, duosque filios Kiernum & Gybu-
tum procreauit. Mortuo Kunosso, Kiernus filius
in Lituania principatu ex vtraque ripa Wiliæ fluuij
arrepto, Kiernow arcem Ducatus sedem erexit.

Lituania à Lituatuba.

Hunc Lituaniam à littore & tuba siue lituo cornu
venatorio, appellasse Rutheni & ipsa gens Lituani-
ca nulla certa, probabiliq; ratione fulti autumant.
Gybutus etiam Kiernowij Germanus Samogitia
habenis præfuit, manuque coniuncta cum Kierno

Russiam apud Braslaw & Poloczko longè lateq;
vastauerunt. Cumque exuuijs onusti reuerteren-
tur, Samogitiam à Liuonibus vicinis spoliatam in-
uenerunt, quam vlciscẽtes Liuoniam vicissim igne,
& armis, vastatam diripuerunt.

Zinibundus dux Lituaniæ.

Kierno è viuis decedente Ziuibundus filius in Li-
tuania succedit, Gybuto verò in Samogitia Mũtwil,
hi quoque fraterna synceritate sese prosequentes,
pacificè gentium suarum habenis præfuerunt. Rus-
siæ principibus tributa persoluentes, periomata vi-
delicet ad balnea & conturnos de subere more gen-
tis contextos. Muntwilo deinde Parcis vocantibus,
non diu regnanti, Vikint filius in Samogitiæ princi-
patum, euectus est.

Muntwil Samogitiæ dux.

Vikint.

Batti Russiam vastauit.

Interea verò cùm Batti Tartarorum imperator,
Russiam magna ex parte deuastasset, potentiamq;
ducum eius diminuisset, & debilitasset, Ziuibundus
Lituaniæ dux nacta occasione ad iugum Ruthenio-
rum excutiendum, & libertatem vindicandam, fra-
tris Wikinti Erdziwilum filium in Russiam infe-
standam armata manu destinauit. Itaque Erdziwil
tranato Vilia fluuio, Nowogrodek arcem & ciui-
tatem Ruthenorum occupauit, ibidemq; sedẽ Du-
catus sui posuit. Vlteriusq; castra mouendo ad Ne-
mnam fluuium, scopulo, natura loci munitissimo
reperto, castrum quod *Grodno* appellatur ibidem
erexit. Tandem in Podlassiam cum exercitu pene-
trans Brzestiam, Mielnicum, Drohicinum per Batti
Tartarorũ desolatas arces Ruthenorũ occupauit,
muniuitq;, & omnẽ eam oram suam in ditionẽ par-
uo negotio redegit. In Lituania verò bene meritis
exercitus ductoribus prouincias, vnicuiq; pro sua di-

Grodno ædificata.

Podlassia ab Erdiuila occupata.

gnitate, distribuit, Eixio ex quo Douoinorum familia creuit, regionem hanc vbi ab eo nunc Eixiski oppidum nuncupatur. Granso vbi Granskiski: Campæ verò ex quo Gastaldorum nomen in Lituania Osmianam dedit.

Eixis.
Granſis.
Campa.
Lituaniæ procceres.

Erdziuil igitur viribus in Russia & Lituania actis, Tartarorum ZaWolhensium regem Kurdalsum nomine cum suis copijs Ruthenorum regiones ex consuetudine deprędantem apud Mozeram oppidum, in fluuio OkunioWka dicto proſtrauit, fugauitq; Multis gestis heroicis exactis, fatis concessit. Mingailum verò & Algimuntum filios imperij successores reliquit. Algimuntus Samogitię prefuit. Mingailo verò Polocensibus Ruthenis liberè ablq; iugo cuiusquam viuentibus bellum intulit, quibus apud Grodzecz arcem eorũdem quam exuſſit debellatis, Poloczkam cepit, imperiumq; in Polocenses, ac Nouogrodenses latissimè exercuit, Ginuile, & Skirmunto filijs, patriæ dominis relictis, è viuis decessit.

Erdiuilus Tartaros ſternit.
Mingailo dux Lituaniæ.

Skirmunt itaq; persolutis patri funebribus exequijs, Nouogrodecensium & Lituanorum habenas moderauit. Ginuil verò Poloczkam iure naturali deuolutã administrauit, qui ducta in matrimonium Maria TWerensium ducis filia baptizatus est, atque Georgius cognominatus, cum Pskouiensibus, & Smolensçijs acerrimum bellum pro patria gessit. Borisso filio in Polocensi Ducatu relicto, spiritum exhalauit.

Skirmunt.
Ginuil.

Boris ex more patrij iustis persolutis, Poloczkam summa cum dexteritate moderauit, Basilicam sub titulo sanctæ Sophiæ in arce de lateribus coctis pulcerri

Borũ.

cerrimè sumptuoseq; erexit. Item aliam Saluatoris Iesu Christi, qui *Spes* Ruthenis dicitur, & monasterium virginum medium milliari à Poloczka, (vbi modernus dux Moschouiæ in oppugnatione Poloscæ, domicilium suum habuit) Borisliq; & Hlebi diuorum Ruthenici ritus ecclesias instaurauit ac dotauit. BorissoWo arcem & oppidum ad Beresinam fluuium, à sui nomine appellatam fundauit, ad quã vsque magnus Dux Moschouiæ fines suos pertinere contendit. Borisso decedenti Basilius RechWold filius in Polocensi principatu successit, qui ætatis plenus ad superos migrauit, relicta filia Poroskauia & Hlebo filio. Hlebus paucis annis in Poloczka exactis, fatis concessit. Poroskauia verò soror sua cælibem virginalemq; vitam ducens, in monasterio Ruthenici ritus vixit, postea deuotionis causſa cum quibusdam monachis Græcis, Romam petijt, ibidemq; mortua, ob vitæ sanctimoniam canonisata & catalogo sanctorum scripta Paraxidisq; Latinis secundum Ruthenorum opinionem appellata. Nunc à Polocensibus Ducibus, ad Lituaniæ principes redeo.

Borisſow fundata.
Baſilius RechWold.
Poroskauiæ Poloczkæ Ducisſa.

Skiermunt filius Mingaili & frater Ginuili, Lituaniæ habenas viriliter moderans, Mscislaum ducem Lucensium cum copijs Russorum sibi occurrentem proſtrauit, arcesq; Pinskam, & TuroWiam eisdem eripuit. Postea Balaklaium Tartarorum ZaWolhensium regem apud KeidanoW Russiam vastantem cum vniuerso exercitu fudit, fugauitq;.

Skiermunt Ruthenos proſtrauit.

Tandem Russiæ principibus bellum intulit, eò quòd illum Lituania pellere niterentur. Mortisque successu copijs Russorũ debellatis, Mozeram, Cer-

nihouiam, Karasouiam arces cum suis prouincijs expugnauit, imperioq; suo subiugauit, ac tribus filijs, Stroinato, Lauborto, & Pissimonto in hæreditatem concessit.

Kukouoitus patruus Skiermonti in Lituaniæ & Samogitiæ principatu multis annis exactis, naturæ debitum soluit. Giedrusso verò genero, qui filiam suam Poiatam matrimonio copulauerat, principatum commisit, qui Lituaniæ & Samogitiæ habenis summa cum dexteritate administrans moritur, Ringolto filio relicto.

Giedrus.

Ringolt patri funebribus exequijs more gentili persolutis, Lituaniæ & Samogitiæ præficitur. In hūc principes Russiæ inuidia ducti, ob tributa non persoluta exacerbati conspirauerunt, quatenus Ducatu paterno exueretur. Itaque exercitibus conscriptis, in Lituaniam valida manu cum Tartarorum auxiliaribus copijs excurrunt, quibus Ringolt viribus Lituanicis & Samogitiæ accinctus occurrit, acriq; commisso prælio ad Nemnam fluuium iuxta Mohilnam, Tartarorum sex millia Ruthenorumq; ingentes copias prostrauit. In quo conflictu ex ducibus Russiæ, Demetrius Drucensis, Swetoslaus Kiouiensis, Leoq; Wolodimerensis occubuerunt. Ringoltus hac victoria & alijs multis clarus, rebus humanis excessit, cui Mindog filius in principatu successit, anno Domini 1340.

Ringolt princeps Russiæ sternit.

MEndog siue Mindog dux Lituaniæ, Samogitiæque, cōmunibus suorū acclamationibus creatus, cum Prussiensibus Crucigeris & Liuoniensibus multa præclara bella gessit, Smolenskam & Wolhiniæ duces imperio suo post varios conflictus subiecit.

subiecit. Boleslaum Pudicum regem Poloniæ 1243. anno à Christo nato, Danielemq; Russiæ monarchā & regē coronatum 1246. sæpius excursorijs pugnis, cruenta cum clade Christianorū molestauit. Massouiam, Dobriniam, Kuiauiā, igne ferroq; multis spolijs onustus frequēter peragrauit. Postea anno Domini 1252. à Cruciferis Prussiæ, Liuoniæq; inductus, fidem Christianā cum nōnullis Lituanis & Prutenis suscepit, deditq; literas Cruciferis Prussiæ (Magistro Henrico de Zalcza in ordine tunc temporis quarto præsidente) quibus astruit, & recognouit, se ab illis multipliciter honoratū & adiutū, & ideo terras suæ ditionis, videlicet Samogitarum, Iacz Wingorum, Curo Wiensium, Weizōsium, & totā terrā Lituaniæ perpetua & irreuocabili donatione ipsis donasse & inscripsisse. Consilioq; fratrū Cruciferorum Prussiæ nuncios suos, nūcijs Magistri & Cruciferorū adiunctos, ad Innocentium papam quartū misit, profitēs se puritatem Christianam suscepisse, & coronā suū per Lituanos regnandi petens. In cuius fauorem Innocētius papa fratrem Heindericum olim prouincialem Poloniæ, & episcopū Armacanum, cum alijs episcopis de Riga Liuoniæ misit, qui Mendognem in regem Lituaniæ inunxerunt, sub eodē tamen anno, cum omnibus baptisatis ad pristinos idololatriæ feces, prioribus peiores redijt, siue dolore & pœnitentia amissarum terrarum, quas Cruciferis inscripserat, siue alia caussa commotus. Postea anno Domini 1260. Mendog, siue Mendolphus princeps Lituaniæ ordinatione Crucigerorū, regē se gerens ex Lituanis, Prutenis, Iacz Wingis, Samogitijsq; triginta millium exercitu coadunato, Massouię oram cru-

Mandog coronatur. baptisatur.

Mendog Christianā fidē spernit.

Massouia vastata.

deliſſimè depopulatus eſt, caſtrum Poloczko cum ciuitate exuſſit, deinde Pruſſiam inuadens, Cruciferis tantummodo caſtra tuentibus, ciuitates quas Cruciferi extruxerant flamma, & exciſione deleuit, omnesq; Chriſtianos illic repertos trucidauit, opimisq; ſpolijs onuſtus in Lituaniam redijt. Item eodem anno Magiſtro & Cruciferis Pruſſiæ, erigentibus caſtrum CarſoWin, in monte ſancti Georgij, à Lituanis, & Prutenis barbaris proſtrati ſunt, vbi Henricus de Horshuſen Magiſter Liuoniæ, & Henricus Marſchalcus Pruſſię cum multis alijs occubuerũt. Lituani autem caſtrum CarſoWin & Heizburg, maceratis fame defenſoribus conquiſiuerunt. Ad caſtrum deinde Konigsberg obſidione promota à Crucigeris repulſi ſunt.

Pruſſia à Mendog vaſtatur.

Maſſouiæ clades, vbi Semouitus obtrũcatur.

Tandem Mendog valido collecto exercitu cum SWarnone Pruſſiæ principe, anno 1262. in Maſſouiam irrupit, vbi in vigilia ſancti Ioannis Baptiſtę Semouitum ducem Maſſouiæ incautũ in curia laſdoW cum filio Conrado, & alijs militibus, occupauerunt. SWarno dux Ruſſiæ Semouitum ipſum crudeliter decollauit. Conradum verò filium ipſius, Mendog & Lituani cõſeruauerunt, & eodem anno ab eis redemptus eſt. Lituani itaque & Rutheni, vniuerſa Maſſouiæ ora & Cuiauiæ parte peruaſtata, cum immenſa præda hominum & pecorum, ſuccenſis opidis & villis in ſuas terras redierunt. Sequente deinde anno Lituani & Rutheni non contenti prima deuaſtatione in Maſſouiam iterum remearunt, & in ea propter deſolationem nihil reperientes, Caſtellaniam Louicienſem ad archiepiſcopum Gneſnenſem pertinẽtem, igne & multiplicibus prædis conſumpſerunt: nemineq; defenſionem opponente, in terras ſuas ſuperbiendo diſceſſerunt.

Louicz exuſta.

Tandem Deus miſericors Polonis, Maſſouitisq; Chriſtianis propiciaturus, diſſenſiones ciuiles, inter Ruthenos & Lituanos immiſit. Nam Mẽdolphum, aliàs Mendog regem Lituanorum, nepos eius StroinatcumDoWmanto genero eiuſdem, principatum Lituanicum ambiens, quieſcentẽ obtruncat, & duos filios eius, Ruklam, & Rzepicaſſam, ſicq; principatum arripuit, anno 1263. in quo & fratrem ToWcilium Polocenſium ducem ambitione commotus trucidauit. Woiſalk autem monachus tonſus Ruthenicum ritum primò profeſſus, filius Mendolphi, patri occiſo parentando Stroinatum exprobrando illi nephariam cædem, anno Domini 1264. occidit. Itaq; Woiſalk monachus ducem Lituanorum ſe gerere cœpit, Poloniamq;, & Maſſouiam, ac Crucieros crebris irruptionibus infeſtauit.

Mẽdog, cum filijs occiſus à Stroinate.

Toniciuilus trucidatur.

Stroinat obtruncatur.

Anno autem Domini 1267. prædictus Woiſalk propter ſimultates & odia pro terris Ruſſię, quas ſibi appropriare nitebatur, in WroWsko monaſterio Ruthenorum ſancti Michaëlis circumuẽtus à Leone duce Ruſſiæ, qui & Leopolim fundauit, filio Danielis olim regis Ruſſiæ, occiſus eſt.

Voieſelk ingulatur.

Sublatis per huiuſmodi ſeditiones ducibus Lituaniæ, Vtenus ſiue Vcienus ex principum Lituanię proſapia familia Kitaurorum communi omnium acclamatione in magnum Lituaniæ Samogitiæque ducem ſubſtituitur, qui pluribus bellis cum Rutheni, Cruciferisq; Pruſſiæ exantlatis SWintoroho filio relicto è viuis deceſſit.

Vtenus.

SWintorohus paucis annis in imperio exactis,

SWintorohus.

Giermõtus. Reipublicæ tamen negotijs optimè communitis, constitutisque, ex hac luce commigrauit, cui Germontus filius succedens, & ipse non multo tempore imperans, relictis Trabuso & Aligino filijs, in fata cõcessit. Trahus magni Ducatus Lituaniæ, Samogitiæ, & quibusdam regionibus Russiæ iure hæreditario ad se deuolutis imperans, bello & pace clarus oppidum à suo nomine cum castro hucusq; Trahy appellatum condidit, & quinq; filios legitimos Narimundum, DoWmantum, Holsanum, Giedrutum, Troidenum, procreauit, pluribusque egregijs gestis exactis, fatis interceptus est.

Trahus.

Persolutis gentiliter patri funebribus exequijs, eiusdem in magno Ducatu Narimuntus natu maior filius successit, sedemq; suam de Nouogrodek Kiernouam transtulit. DoWmant verò Vcianam castrum cum suo districtu tenuit. Giedrotus siue Giedrus, arcem ad lacum quendam à suo nomine Giedrote appellatam, condidit, in qua sedem sui principatus habuit, ex eo ad hæc vsq; tempora in numerabilis progenies extat propagata, ducum Giedrocensium titulo gaudentes, ac pro ducibus sese gerentes, & à Vilna Lituaniæ metropoli, quatuor milliaribus incipiendo, in Lituaniam vsque ditiones eorum extenduntur per 26. milliaria Polonica, plurimiq; eorum pauperrimi vix colonorum conditionem adæquantes, cæteris dominis inseruientes nihilominus tamen titulo ducum sese priuari permittunt, atque aliter appellati ægrè ferunt: verè enim ex ducum Lituaniæ prosapia, genus suum ducunt, & armis Ducatus Lituaniæ antiquis, quas à Romanis importatas, ferunt Kijtauro videlicet secundum

Sedes de Nouogrodek in Kiernouam translata.

Duces Giedrotenses.

dum illorum opinionem vtuntur. Sed ad rem redeo. Holsam quartus Trabussi filius vltra fluuium Viliam versus Orientem procedendo, & Korablam amnem arcem sui Ducatus sedem, à sui denominatione Holsani appellatam condidit. Horum ducum Holsanensum Paulus episcopus Vilnensis moderni, verè reuerendissimi, domini Valeriani episcopi antecessor familiam terminauit. Ducatus verò ipse in ditionem regis cessit. Quintus Troidenus latWingorum, vbi nunc Podlassia, & DoinoWiorum principatum vltro sibi oblatum accepit, vbi Rayrodam arcem hucusque manentem condidit, ad Biebram fluuium.

His quatuor fratribus, Narimuntus secundum prærogatiuam natiuitatis, in magno Ducatu præpositus, coniunctis eorum viribus Poloniam, Russiam, Massouiamq; & Prussiam infestabant, Crucigeros quoq; sæpius, tam Liuonienses, quàm Prussienses oppugnabant. Postea Narimũtus cũ DoWmanto fratre bellum ciuile, quòd sibi vxorem rapuerat mouit: Vczianaq; quo se DoWmãtus receperat obsessa, vxorem recuperauit, & arcem conquisiuit. DoWmantum verò Ducatu exuit, fugauitque, qui Pskouiam fugiens in principatum à Pskouiensibus promotus est, quorum armis Polocenses Ruthenos Poloczka conquisita, suam in ditionem subiugauit.

Porrò Ruthenorum annales Narimuntum magnũ Ducem Lituaniæ primũ autorem stẽmatis siue insignij Lituanici, viri videlicet armati quo insidentis albo, gladium extensum super caput tenentis, in modum persequentis fugientes, vnde vulgariter *Pogonia* dicitur. Fatis tandem obtemperatis, Nari-

Insignia Lituaniæ.

Troidenus Lituaniæ princeps.

munto, Troidenus frater in magno Ducatu Lituaniæ & Samogitiæ succeſſit, qui rebus omnibus imperij bene compoſitis, finibuſq; ab incurſu Ruthenorum & Crucigerorum vndique tutatis, ſummo cum terrore finitimis gentibus principatum gubernauit, filius verò ſuus Rimuntus, quem ex Maſſouiæ ducis filia ſuſceperat baptiſatus, monaſticam vitam ex præſcripto Ruthenorum profeſſus eſt.

Prußiam Troidenus vaſtat.

Poſtea anno Domini 1278. Troidenus coadunatis Lituanorum, & Prutenorum, barbarorum copijs, quæ 30. millia pugnatorum excedebant, eas trifariam diuiſit, vnam partem in Maſſouiam, duas verò in terram Culmenſem contra Crucigeros deſtinauit, maximaq; parte Pruſſiæ ditionis Crucigerorum peruaſtata, caſtris Burgelaw, Lubaw, Chelm, expugnatis, maximam captiuitatem hominum & iumentorum in Lituaniam abduxit. Eodem anno terra Cuiauienſis circa oppidum Kowale, & Lancicienſis ciuitas à Lituanis, ſubita incurſione ſpoliata eſt. Poſtea Dowmantus Pskouienſium, & Polocenſium princeps, Troidenum natu minorem fratrem, magno Ducatui Lituanico dominari ægrè ferens, tres ruſticos ſubordinauit, pretio corruptos, qui eũ de balneo euntem incautum obtruncarunt. Dowmantus itaq; copijs cõſcriptis validiſſimo cum exercitu, ad Lituaniam occupandam progreſſus, à Rimunto filio Troideni, ex monacho principe facto,

Troidenus trucidatur.

viribus Lituanicis profligatur, trucidaturq;, qui eius ſanguine parenti, victoriosè parentauit. Facta in Kiernowa conuentione omne ius hæreditarium in magno Ducatu abdicauit, ſeculariq; principatu ſpreto, vitam monaſticam cõtinuare delegit. Vithenen verò

verò Samogitam de familia Kitaurorum ex Romanis principibus oriundum, virum ſtrenuum & magnanimum, in magnum Ducem Lituaniæ conſtituit: quamuis enim ſupereſſent patrueles ſui duo, Giedrocenſis, & Holſanenſis duces, ad quos magnus Ducatus iure hæreditario pertineret, ſed quòd erant puerili ætate ad imperium minus habili, ideo principatum ad eos deferri diſſuaſit, dicẽs: patruum ſuum Narimuntum felicis memoriæ, arma ſiue ingne magni Ducatus ſibi fabricaſſe, virũ armatum cum gladio equo inſidẽtem, ideo oportere, vt princeps, armis bellicoſis, ſtrenuè correſponderet.

VITHENES PRINCEPS Lituaniæ.

ANno quo verbum Diuinum ſalutiferum, humana in carne, mundo cælitus apparuit 1279. Vithenes communi omnium ſuffragio, princeps ſalutatus in Lituania, & magnę parti Ruſſiæ, latè imperauit, frequenterq; bella cum Polonis finitimis, Ruſſiæq; ducibus geſſit.

Annoq; Domini 1282. cũ Lituanis & Iaczwingis 24. die Septembris in terram Lublinenſem deuenit, & 15. diebus eam vaſtando, magnam prædam in Lituaniam referebat, Lesko autem niger rex Poloniæ, Lublini ex viſione angelica cõſolatus, ad perſequendosq; barbaros animatus eſt, quos cum parua manu Polonorũ militum inter Narew, & Nemencẽſequutos, ſecurè agentes, facilè proſtrauit, ad decemq; millia barbarorum trucidauit, & ſpolia abegit, ac in ſignum victoriæ Lublini eccleſiam parro-

Lituani profligantur.

chialem sub titulo sancti Michaelis Archangeli fundauit.

Anno Domini 1286. Peluſa vnus ex ducibus Lituaniæ ſuas iniurias in Lituanos vlturus, ad Albertū de Miſſen, commendatorem in Konigſberg, ſecretò confugiens, viginti viros militares Teutonicos armatos ſibi dari petijt, quorum principales erāt Martinus de Golin, & Conradus Twil Crucigeri, cum his ad locum vbi principes Lituaniæ conuiuabant perueniens, nocte incautos oppreſſit, 70. principales Lituanos dormientes, plurimamque multitudinem vtriuſq; ſexus trucidauit, ſponſum & ſponſam, cum matronis & virginibus, ſpolijs, clenodijs, vnionibusq; onuſtus in Konigſberg deduxit.

Lituani in nuptijs trucidantur.

Dobrzenſis terra vaſtatur.

Anno Domini 1287. Lituani, Pruteni, & Samogitæ, furtiuo & ſilenti agmine, in terrā Dobrzinenſem venientes, principalem ciuitatem Dobrzin, die Dominico, ciuibus ſacris occupatis comprehenderunt, & trucidatis ſenibus atque lactantibus cęteros, ſpoliatis villis & oppidis, in miſeram ſeruitutem abduxerunt.

Pruſſia vaſtatur.

Anno Domini 1289. exercitus Lituanorum, in numero octo millium armatorum, in terram Sambienſem Pruſſiæ, deſcendens, flammis, cædibus, & ſpolijs eam vaſtauit, & exuuijs onuſtus in propria redijt, Cruciferi decernere cum hoſtibus non audentes, 50. duntaxat Lituanos interceperunt.

Lituania vaſtatur.

Anno Domini 1291. Lituaniam Cruciferi Pruſſienſes, vaſtauerunt, multisq; occiſis ſeptingentos captiuos abduxerunt. Poſtea & Mederabe caſtrum Lituanicum, commendator de Konigsberg cōquiſiuit. Magiſter quoq; Pruſſię Memer, cum forti exercitu

citu Lituaniā aggreſſus, duos diſtrictus, Paſtonow, & Gerſſow, in cinerem redegit, & cum multa præda captiuorum reuerſus eſt. Paucis poſt diebus Witenes Lituanorum dux terram Cuiauiæ hoſtiliter ingreſſus, cędibus & ſpolijs, circa ciuitatem Brzeſcie patratis, hominum & rerum prædam ingentem ſecum abduxit, & licèt Vladiſlaus Loktek & Caſimirus, Cuiauiæ, & Lanciciæ duces, cum militibus ſuis, Magiſter quoq; Pruſſię Meinhardus tempeſtiuè eos fuiſſent inſequuti, re tamē nulla memorabili edita, omnes abiere retrorſum.

Cuiauia vaſtatur.

Lituania vaſtatur.

Anno Domini 1293. Conradus Stange cōmendator de Ragneta circa feſtum S. Iacobi caſtrū Mindege in Lituania expugnauit, & magnam multitudinem Lituanorum, pluribus cæſis in Pruſſiam abduxit. Witenes autem cum multitudine Lituanorum, & Ruthenorum, Pruſſiam 80. diebus vaſtauit.

Pruſſia vaſtatur.

Poſtea anno Domini 1294. cum mille octingentis equitibus, per ſyluas & nemora, ſilenti agmine Witenen, in terram Lancicienſem poſt feſtum Pentecoſtes ingreſſus, primū in eccleſiam collegiatam Lancicienſem impetum fecit, & frequentiam populi, quæ illuc confluxerat trucidauit, alios verò captiuauit; prælatos, canonicos, & ſacerdotes in ſeruitutem accepit; veſtes ſacras, & vaſa diripuit, & qui ſupra eccleſiam cōfugerant, domibus eccleſiam circumſtantibus accenſis, ſuffocauit. At rura, deinde & vicos diſcurrendo, magnam prædam abigebat, reduntemq; Caſimirus dux Lancicienſis, cum militibus ſuis prope Sohaczouu, ciuitatem, in villa Troianouu conſequutum, impari marte prælium cum eo commiſit, vbi à multitudine Lituanorum con-

Caſimirus à Lituanis occiſus.

fossus strenuè dimicando, occubuit. Peracto prælio cuilibet Lituano 20. Christiani Poloni in sortem cesserunt.

Lituania vastatur.

Anno Domini 1294. Meinhardus Prussiæ magister, binos districtus Lituanorum PastoW & GierschoW vastauit. Eodem quoq; tempore cõmendator de Rugneta Lituanorum castrum Kijmel conquisiuit, & succendit.

Prussia vastatur.

Anno Domini 1296. Witenẽ, ingressus terram Culmensem, & districtum Colubiensem spolijs, & cædibus eas afflixit, deinde in Liuoniam vastatrices suas copias duxit, eamq; igne & ferro protriuit.

Anno Domini 1298. Lituani oppidum Strasburg in Culinensi terra vastauerunt, quos Crucigeri assequentes, partem prædæ abegerunt.

Postea anno Domini 1299. sexcenti Lituani Prussiam igne & ferro protriuerunt. Natangiamque districtum deprædati 300. captiuauerunt Teutones, plurimos verò occiderunt.

Vithenes à Gedimino obtrũcatur.

Hic Vithenes habuit magistrum stabuli, Gediminum nomine, virum ambitiosum & excelsi animi, qui imperium ambigens prædictum Vithenem dominum suum nacta occasione temporis obtruncauit, statimque magno Ducatu, & vxore domini occisi (quæ etiam in necem mariti consenserat) potitus est, atque hunc exitum Vithenes habuit. Chronica verò Ruthenorum hunc Gediminum legitimum filium Vithenis testantur, & legitimè eundem patri successisse, sed cæteri historici probabiliores ab eorum sententia discrepant.

GEDI-

GEDIMINVS MAGNVS DVX Lituaniæ.

ANno à Christo nato 1300. Gediminus imperio industriosè inter suos arrepto, latè illud propagauit, nonnulla parte Russiæ partim vi & armis, partim pactis occupata. Dum autem Lituaniæ habenas strenuè Gediminus gubernaret, à Ruthenisque & Polonis fines suos felici marte pacaret, Crucigeri, Prussienses, & Liuonienses armata manu, & conscriptis ex Germania validis copijs, Samogitiam hostiliter ingressi, quæq; obuia vastauerũt, KunossoW arcem obsederunt, machinis eam quatientes, quam violenti irruptione ceperunt, & Gastaldum campiductorem Lituanię in ea captiuauerũt, vniuersamque terram Samogitię occupauerunt. Sequente anno Gediminus ad vlciscendas iniurias sibi illatas, in inuasa & violenter occupata Samogitia, Lituanorum copijs conscriptis, & Russię principum auxilijs, ac Tartarorum accinctus, contra Prussienses, Crucigeros & Lituanienses expeditionem egit, & ordinatis vtrinque aciebus à mane vsq; ad meridiem durissimo Marte, ad Okmienam fluuium pugnauerunt, donec Samogitarum exercitus, in ipso furore belli à Crucigeris ad Lituanos deficiens, Gedimini vires augerent, qui fortiter ordinẽ Teutonicorum dirupit, copiasq; eorum in fugam vertit, pleriq; ergo Almanorum, cum suis commendatoribus interfecti, alij in fuga capti, Gedimino præsentati sunt, quam victoriam prosperè, nactam persequens, in Prussiam contendit, duobusque castris Ragneta & Cilza conquisitis, ciuitatibus & villis circumquaque

Samogitia à Crucigeris occupatur.

Crucigerorum strages.

Victoria Gedimini.

ferro & igne deuastatis, magna spolia in Lituaniam triumphator abduxit, & Samogitiam totam recuperauit, præsidijs & incastellationibus Crucigerorum eradicatis. Hoc bello feliciter continuato, anno Domini 1304. in Russiæ principes expeditionem parabat, Volodimirum Ducem Volhiniæ, cum exercitu Russorum trucidauit, Volodimiriamque cepit. Postea contra Leonem Lucensem ducem armata manu contendit, quo fugato Luczkum occupauit, & totam Volhiniam in suam ditionem redegit, Brestiam exercitum reducens ibidem hiernauit. Tandem otij pertæsus maioribus copijs conscriptis, contra Kiouiæ principem Staniflaum processit, Wruczaiumque, & Zitomiram, castra expugnauit, ipsum Staniflaum Kiouiæ, & cæteros principes Russiæ, Leonem Lucensem, Romanum Branscensem, Olham Præslauiensem, coniunctis viribus sibi occurrentes, felici Marte profligauit, vbi Leo Lucensis, & Olha Præslauiensis occubuerũt, Staniflaus verò Kiouiensis cum Romano Branscensi, fuga saluti consulentes Branskam fugerunt. Gedimi-

Gediminus principes Russiæ profligat.

nus autem victoria hac elatus, Bialygrodek, postea Kiouiam ipsam tunc temporis Russiæ metropolim, Cercassos, Kanio Wiam, Put Wilam sexaginta milliaria vltra Kiouiam, Slepouurotum, Branskum, Peresslauiam, fauente Marte, partim vi partim deditione expugnauit, & totius ferè Russiæ, Seueriæ, & Volhiniæ princeps facili negotio factus, in Lituaniam triumphantia castra reduxit.

Kiouia principatũ cum suis adhærentijs occupat.

Postea Gediminus de Kiernouua ad venandas feras caussa solatij, quinque milliaribus vltra Viliam fluuium emẽsis, nacto loco natura & opportunitate appri-

apprime munito, arcem ibidem erexit in lacu, ciuitatemq; eidem adiecit, quam vocauit Troki, in eam sedẽ magni Ducatus de Kiernoua transtulit. Postea anno Domini 1305. Orientem versus caussa venationis exercendæ progressus, in quatuor milliaribus, vbi Vilna Viliæ fluuio cõmiscetur, plurimas feras nactus est, ibidemq; in monte Krzyuuagora tũc temporis dicto, qui modò Turzagoria, vel Lissa, id est, Calua vocatur, Vrũ feram grandẽ, sua manu trucidauit, venationemq; lassatus vespera imminẽte in eo mõte pernoctauit, dormiensq; per somnium vidit, lupum ferreũ rugientẽ, in cuius vẽtre alij centũ lupi rugiebãt, experrefactus somniũ aulicis & stipatorib. exponit, quod varijs variè exponẽtib. Ledzieiko, sacerdos suus gentilis (quẽ dicunt in nido Aquilæ repertũ) qui etiã auguria, & futura pʃagire solebat, huius somnij arcana exposuit, Lupũ ferreum rugientẽ, vrbẽ fortem, insignẽ, & celebrẽ significare, lupos verò in eo rugientes, multitudinẽ populorũ portẽdere. Qua de caussa Gedimino principi suasit ciuitatẽ & arcẽ ibidem erigendam, & ideo Lezdzieko sacerdos plurimis beneficijs, ob singularẽ virtutũ excellentiã auctus Radi Wil, quasi cõsiliarius Vilnę ędificãdę, vocatus est, de cuius familia pʃtantissimi heroes semper fluũt, q belli pacisq; munia, maxima animi ingenijq; vi præclarè in Reipublicæ Christianæ emolumentum obeunt. Itaque Gediminus persuasione Lezdziekonis ductus, illico arces duas, vnam in monte excelso, alteram in planicie inferiorem erigere munireq; fecit, ciuitatẽ etiã populosam ædificare iuxta mandauit, quam Vilnam à Vilna fluuio prætерlabente appellauit, & sedem suam de Troki in eam

Stare Troki erecta in sedẽ ducis Lituaniæ.

Caluus mons.

Somnium Gedimini de Lupo ferreo.

Vilna condita.

Lezdzieiko ex quo Radiuilones.

Vilna condita.

transtulit, ac feliciter principatus finibus prolatatis imperauit.

Anno à Christo nato 1306. audientes Lituani, dissidia in regno Poloniæ, per nemora, & inuia, in terras maioris Polonię, irruperũt, & oppida Kalis & Stauissino, villasq; in vicinijs eorũ exusserunt, deprædarunt, senes, & impuberes trucidarunt, pluraq; millia promiscui sexus, in Lituaniam abduxerunt. Eodem anno Henricus de Pleczko Saxo, magister Prussiæ, castrum Gartin in Samogitia præsidio Lituanorum munitam, sub tempore nebulę apertum, cum Teutonicis inopinatè cepit, & omnes Lituanos trucidauit. Multis demum peregrinis, ex Germania in Prussiam aduenientibus aliud bellum Lituanis illatum est, & districtu Karssowin spoliato, in Prussiam cum captiuis redierunt.

Polonia maior à Lituanis vastatur.

Anno Domini 1307. Lituani in die S. Galli, terras Syradiæ & Kalissiensem subitò irrũpentes, plurimam rapientes prædam, cædeque & igne plurima loca vastantes, concito gressu in Lituaniã redierunt.

Siradia à Lituanis vastata.

Anno Domini 1308. Olgerdus filius Gedimini cum Lituanis Prussiam ingressus eam ferro, & igne protriuit, prædamque ingentem abduxit. Hanc autem sibi Lituani, & Pruteni, Crucigeri vicissitudinem sæpissime alterutrum reddebant.

Lituani Prussiam, Crucigeri Lituaniam vastant.

Anno quoque 1311. idem Olgerdus cum omnibus suis copijs, terras Prusiæ sub carnis priuio ingressus, per cædes & flammas magnam partem terræ in fauillam, & desolationem redegit, in Lituaniam cum quingentis captiuis reuersus, dijs suis libamina obtulit, quam cladem Cruciferi vlciscentes, vicissim terrã Samogitiæ vastauerunt. Lituani quoque

que similiter eorum regiones deprædauerunt.

Prussia vastatur.

Anno Domini 1315. Samagitæ numeroso exercitu, Ragnetam cinxerant, & cùm longum tempus in obsidendo castro non expugnato consumpserãt, conculcatis segetibus & omnibus in circuitu vastatis, in Samagitiam redierunt. Olgerdus autem Samagitarũ cœptum continuans cum frequenti exercitu, castrum Trismemel obsidione vallauit, pr[illegible]ctioneq; machinarum 17. diebus, expugnabat. Ducentos milites ab Henrico magistro Prussiæ missos, ad obsessos ingredi contendentes, ad vnum omnes profligauit. Anno Domini 1320. Henricus Marschalcus Prussiæ, cum bene instructo exercitu Lituaniam vastauit, circa Vornianij, interim verò Lituani, & Samogitæ, nihil ea vastatione detertiti; angustias vnius saltus, quem Crucigeri in redeundo transituri erant, occupant, & arboribus magnis succisis vias obstruunt, insidias parandas, dumq; Marschalcus cum exercitu ignarus insidiarum, syluam ingrederetur, à Lituanis & ipse, & exercitus vniuersus omnes ad vnum trucidantur.

Lituania vastatur.

Crucigeri profligãtur.

Eodem anno Lituani terram Dobrzinensem inopinatè excursione vastauerunt, & Dobrzin ciuitate exusta cum præda, ad sua reuersi sunt.

Dobrzin vastata.

Anno Domini 1322. Lituani Derptensem episcopatum in Liuonia vastauerunt, & quinque millia captiuorum abduxerunt. Eodem anno hyemis tempore Danid Capitaneus de Gartin Lituanus, frigore non torpens, ad Raualiam vsque Liuoniam vastauit. Ecclesias incendit, & sacra vasa recepit, & sex millia captiuorum cum ingentibus spolijs de Germanis, in Lituaniam abduxit.

Liuonia vastata Prussiæ castra expugnantur.

Henricum de Capiou profligatur Massouia vastatur.

Deinde sub eadem hyeme Lituani & Samagitæ ciuitatem Memel, & tria castra in eius vicinio expugnauerunt, post hæc, districtum Vilouu in Prussia adeuntes, strage magna edita, commendatorem de Capiouu, cũ exercitu Teutonicorum occurrẽtem, occiderũt. Massouiam quoq; Dauid de Gartin, multis villis & oppidis succensis, vastauit.

Anno Domini 1323. Lituani clandestinis itineribus, in Dobrzinensem terrã Poloniæ, subitò irrumpentes, ipsam ciuitatem exusserunt, & captiuorum nouem millia eduxerunt.

Polousko exusta.

Dauid Capitaneus de Gartin, anno Domini 1324. Massouiam circa Polouusko, iussu Gedimini, deuastauit, & centum triginta villis exustis, trigintaque ecclesijs parochialibus deuastatis, quatnor millia captiuorum in Lituaniam deduxit. Alius quoque exercitus Lituanorum in Liuoniam descẽdens, eam pluribus in locis deuastauit. Sequenti autem anno 1325. Anna filia Gedimini principis Lituanorum, in coniugem duci Casimiro, filio Vladislai regis Poloniæ, cum omnium captiuorum ex regionibus Polonorum, per Lituanos receptorum redditione, pro dotalibus data, & pax Polonis carissima & desiderabilis, per hanc affinitatem à Lituanis data est.

Liuonia vastatur.

Filia Gedimini Casimiro filio regis Poloniæ nupta.

Pax Polonorum cum Lituanis.

Gediminus postea in oppugnatione castri Fridburg, quod Crucigeri in Samogitia erexerãt, à quodam Crucifero sagittandi perito, sagitta ignea per dorsum transfixus est, à quo vulnere spiritum exhalauit.

Gediminus occiditur. Gedimini proles.

Hic princeps septem filios ex vxore Vithenensis, domini sui occisi, suscepit, Montiuidum, siue Moniuidum,

uidum, Narimũdum, Olgerdum, Iauunutum, Keijstutum, Koriatum, & Lubarum, filias item aliquot, ex quibus vnam Casimiro regi Poloniæ datam diximus. Imperium viuens inter filios diuisit, vt Muniuido natu maiori Kiernouia & Slonimum, ciuitates cum suis prouincijs. Narimundo Pinskum cum suo tractu de Russis, vel bello partum, vel pactis quibusdã acquisitum. Olgerdo KreWo, Keijstuto Troki, Koriato Nouogrodek ciuitas cum suo territorio. Iauunuto verò (quem pater impẽsius diligebat) Vilna metropolis Lituaniæ, & summa rerũ obuenit. Lubartus Wolodimirienſem Ducatum Russiæ obtinuit. Nam cum Russam vxorem Wolodimiriensium Ducis filiam duxisset, ac socero hæres factus esset, nullam inter fratres sortem accepit. Ex his Olgerdus & Keijstutus coniunctissimè inter se vixere, & vegetiora nacti ingenia molestè tulerunt penes Iaunutum nihili hominẽ principatum esse. Itaque hi duo decedente è viuis patre Gedimino, Iaunuti de Vilna eijciendi, & principatu exuendi, consilium inierunt, diemque certam conatus perficiendi inter se constituerunt. Habebat etiam Olgerdus in Russia Vitepscensem Ducatum cùm vnicam eius oræ principis filiam vxorem duxisset. Itaque cùm eo profectus esset, non venit ad constitutam cum Keijstuto diem. Keijstutus verò vt voti compos foret, cum armatis copijs inopinatè Vilnã adueniens, arcem vtramque occupauit, Iauunutus autem inter primum tumultum elapsus in sylua à Keijstutanis perquisitus, captus & Vilnam adductus, in vinculaq; à fratre cõiectus est, paulo post Olgerdus ex Russia aduenit. Ibi præclarum inter coniunctissimos fra-

Sortes ex diuisa ducum Lituaniæ.

Iauunutus Gedimino patri in magno Ducatu successit.

Vilna capitur à Keijstuto.

tres de magno Ducatu suscipiendo, certamẽ extitit, Keijstutus enim Olgerdo velut natu maiori illud concedebat, Olgerdus vicissim Keijstutum sibi eum habere iubebat, quem ei fortuna, virtusq; obtulisset. Tandem sic inter eos euenit, vt Iauunutij portionem æqua lance diuiderent. Vilna tamen cum principatu penes Olgerdum maneret, neuter alterius ditionem inuaderet, sed vterq; alterius bona perinde ac sua curaret, si quid vel bello, vel quauis alia ratione deinceps vteruis acquisiuisset, ex æquo vt inter se partirentur. Atq; his conditionibus fœdus inter se iecerunt, & iureiurando vtrinq; confirmarunt. Iauunuto verò Zaslauiensem Ducatum in Russia, fraterna misericordia concesserunt.

OLGERDVS PRINCEPS Lituaniæ.

OLgerdus principatu sub Iauunuto, per Keijstutum potitus, plurima bella cum Liuonien sibus & Prussiensibus Cruciferis finitimis, vario Marte gessit.

Olgerdus patrem in Crucigeros elciscitur.

Anno à Christo nato 1327. Olgerdus Lituanorum, Ruthenorumque copijs conscriptis Prussiam hostiliter ingressus eam crudeliter vastauit, Crucigeris decernere cum eo, non audentibus, pluribusque munitionibus expugnatis, exercitum præda onustum in Lituaniam reduxit, de Teutonibus captiuis trucidatis, Gedimino patri nuper occiso à Crucigeris parentauit. Marchiam quoque nouam, eodem anno silenti agmine, adortus Francofordiam vsque & omnem oram circa Oderam fluuium, depopulatus est.

Marchia vastatur.

Tarta-

Tartarorum Regulos fratres Germanos Kutlubachum, Kaczbeium, & Dmeitrum profligauit, Podoliaq; eiecit.

Tartari ex Podolia eiecti.

Postea Dux Moschouię Demetrius IWano Wiz potentia sua elatus, promisit se armata manu, vno mense elapso ditiones illius vastaturum, & Olgerdum in Vilna, cum gladio & igne sub Paschalis tempore visitaturum. Olgerdus autem tunc temporis Vitebskæ agens vomitem accensum, illi misit. Moschouiæ antequam extinguatur adfuturus, arciq́ue eius hastam illisurus. Confestim ergo collecto exercitu in Moschouiam breui itinere contendit, qua obsessa inopinatè tyrannum compulit, ad se exire, ibi pacis conditionibus ex voto firmatis, hastam ipsemet quemadmodum promiserat, ad arcem fregit, finibusque Lituaniæ vltra Mozaiskum sex milliaribus ex vna parte promotis à Moschouia vrbe duodecim milliaribus, ex alia ad Vhram fluuium, in Lituaniam triũphator redijt. Vniuersam ferè Russiam ditioni suæ subiugauit, cuius principibus olim Lituani tributa soluere cogebantur.

Olgerdus in Moschouia triumphat.

Suscepit autem ex Maria vxore Th Werensium ducis filia, duodecim filios, Iagielonem, (qui postea ad regnum Poloniæ vocatus erat) Skiergelonem, Borisum, Coributum, Vigundum, Korigelonem, Narimundum, Languinũ, Lubartum, Andream, & Butauum. Ex his omnibus Iagielonem natu maiorem dilexit pater, quod is & effigie, & virtutibus, vigoreq; animi expressius, patrem referebat, huncq; successorem sibi in magno Ducatu annuente fratre Keijstuto designauit. Keijstutus quoque sex filios habuit, Viroldum, Patricium, Totiuilum, Sigismun-

Filij Olgerdis.

Keijstuti filij.

dum, Voijdatum, atq; Dowgotum, Vitoldum verò præ cæteris impensius diligebat, ingenio enim animoq; excelso pollebat, eumq; successorem sibi designauit. Inter hos duos Iagielonem scilicet & Vitoldum patrueles summa erat animorum, & voluntatum coniunctio.

IAGIELO PRINCEPS LItuanorum.

ANno Domini 1381. Olgerdo è viuis decedente, Iagielo paterno principatu fauente Keijstuto patruo potitus est. Multa bella vario euentu cum Ruthenis, Polonisque & Crucigeris Liuoniēsibus, ac Prussiensibus gessit. Erat apud eum Voijdilo quidam rusticanæ & obscuræ familiæ homo, callidus & vafricia pollens, qui cùm primum pistrinam apud Olgerdum exercuisset, & industriam suam principi probasset, cubicularius, ac deinde pocillator fauente fortuna ei factus est, fuitque postea intimus secretarius Olgerdi quoad uixit, neque Iagielo quicquam de paterna beneuolentia in eum diminuit, quin sororem ei suam in matrimonium collocauit, quæ res non leuiter Keijstutum patruum Iagielonis offendit. Id vbi animaduertit Voijdilo veritus ne ei authoritate honoris & gratiæ periculum adiret, apud Iagielonem, Keijstutum, per contumeliam criminari cœpit, eoque cōsilijs suis iuuenem principem adduxit, vt is clàm fœdus cum Crucigeris Prussiensibus, aduersus patruum iniret. De eo fœdere Keijstutus Hosterodensis Commendatoris Crucigeri (qui filiam eius Ioanni Massouię duci nuptam baptisarat) proditione certior factus est, tamen Vitoldo filio Iagielonis

Voidilo ex rustico principis gener.

Peruersum Voijdilonis consilium.

gielonis patruelis caussam diluente quieuit, donec Iagielo bellum cōtra Polocenses Ruthenos, quibus Keijstuti filius Andreas Harbati prępfuit, suscepit, quo ei etiā magister Liuoniensium auxilia ferebat. Interea verò Keystutus sublata omni dubitatione, armata manu Vilnam inuasit, eamq; in potestatē suam redegit, filioq; Vitoldo accersito: (nam ille arma, cōtra patruelem carum nō sumpserat) deprehensa eorum cum Prussiensibus Iagielonis munimenta ei ostendit, sed ab eo tamen exoratus Vilnam solummodo ademit Iagieloni. Kreuam verò paternam & Vitepskam maternam sortem retinere eum passus est. Woidilonem autem perfidiosè inter se inimicitias seminantem, laqueo vitam finire fecit. Paulo pòst, dum Keijstutus Nouogrodiam Seueriensem in Russia oppugnat, Coributū rebellem perdomādo. Iagielo non modò Vilna per proditionem potitus est, verùm etiam Troki arcem oppugnatam deditione occupauit; deinde contra se vterq; cōparauerunt exercitus, Keijstutus è Samogitis & Rutheuis, Iagielo verò è Prussis & Liuonibus Crucigeris, ille vt recuperaret Trokos, hic vt defenderet. Sed cùm in conspectum venissent antequam infestis signis concurrerent, Iagielo per fratrē Skergelonem, Keistutum, & Vitoldum filium eius sub specie colloquij ad se vocatos, cepit, Keijstutumq; catenis vinctum, Kreuam missum in carcere suffocare ordinauit. Vitoldum verò patruelem Vilnæ in custodia diu tius detinuit, neque Lituanorum procerum, neque magistri Prussiensium, Crucigerorum, neque fratrum & patruum deprecationibus, liberari potuit. Postea Creuam missus & morti destinatus, nocte

Keijstutus magnus dux Lituaniæ.

Vilna capitur à Keijstuto.

Voidilo suspēditur.

Vilna recuperatur à Iagielone.

Troki capta.

Bellum Iagielonis cū Keijstuto.

Keijstutus in vinculis trucidatur.

Vitoldus incarceratus.

Vitoldus è vinculis aufugit.

Vitoldus cũ Crucigeris Lituaniam vastat.

quadam vxoris misericordia, doloque liberatus est: nam ea cùm liberam habuerit adeundi ad eum potestatem, commutato cum vna de duabus pedissequis habitu, veste muliebri indutum eduxit: imberbis enim erat, emissus ille in Massouiam ad Ioãnem ducem affinem suum, atq; inde in Prussiam ad Cru[illegible]os cõfugit, à quibus obiurgatus, primùm quod a[illegible]rso demum tempore suo societatem ipsorum expeteret: deinde benigne recreatus & bene sperare iussus est. Statimq; Crucigeri cum Samogitis, qui Vitoldo immensè fauebant, impetum in Lituaniam fecerunt, Trokique arcem expugnauerunt, & præsidijs impositis munierunt, sed eos postea illinc, reuersus ex Russia eiecit. Tandem Iagielo Vitoldum ex Prussia per internũcios reuocauit, Grodnensemque tractum, Brestiam, Drohicinum, Mielnikum, Bielsko, Surasum. Cameneciam & Wolkouuisko oppida, cum suis territorijs concessit, fidemque & obsequium eius sibi conciliauit, ita vt is ne legatos quidem quoquam se inscio mitteret. Lituanorum annales, etiam Voliniam, & Podoliam ducatus Russiæ, Vitoldo tunc datam à Iagielone esse testantur. Paulo post hærede legitimo Polonorum regnum post Ludouicum Hungarorum, deficiente, Iagielo ex magno Ducatu Lituaniæ, à Polonis ad regnũ certis sub cõditionibus (prout latius in descriptione regum Poloniæ patet) vocatus est: cum fratribusque & patruelibus Cracouiæ (quæ est Poloniæ Metropolis.)

Vitoldus ex Prussia reuocatur.

Iagielo ad regnum Poloniæ vocatur.

Anno Domini 1386. decimaquarta Februarij sacro fonte ablutus, & fidei Christianę præceptis initiatus, eademq; die solenni ritu cum Heduigi vnica regni

regni hærede Hungariæ regis Ludouici, & Poloniæ filia, matrimonium cõtraxit. Indultumque est conuiuijs choreis & lusibus Cracouiæ complures dies, per quos dies Magister Crucigerorũ, Prussiensium, Conradus Zelner, Lituanorum ducibus vacuam videns, (omnes enim in Poloniam cum Iagielone discesserant,) hostiliter eam duplici agmine, coniunctis viribus cum Magistro Liuoniæ aggressus est: quam longè, lateque ferro, & igne depopulauit, Lucomliam arcem in Russia vi cepit, & Andream Iagielonis fratrem apud Russos religionem Christianam professum, (quo authore expeditio illa suscepta erat) cum præsidio in ea reliquit, cui se quoque Polocenses, Rutheni dediderunt. Sub idem tempus SWetoslaus, Smolensciorum dux in Russia circum Vitepscum, & Orsha, arces depopulauit, & Mscislauiam vi cepit. Iagielo in Polonia re audita, confestim Skiergelonem, & Vitoldũ cum Polonis voluntarijs, & Lituanis, in Lituaniam misit, qui festinantes cum Crucigerorum exercitum Lituania discessisse comperissent, Lucomliam arcem receperunt, inde Msczislauiam profecti, paruo negocio omnem eam oram, in potestatem suam redegerunt, SWatoslaumq; qui eam occuparat, occiderunt. Poloczkam etiam recuperauerunt, de authoribusque defectionis, pœnas sumpserunt. Andreas autem dux regis frater, cuius authoritate hæc agebantur captus, integro triennio in arce Theczinensi Poloniæ squalido carcere detentus, postea suffragijs Vitoldi patruelis, & cæterorum fratrum, liberatus est. Nunc quomodo fidei Christianæ præceptis gens Lituanica cum suis Ducibus iniciata & sacro baptismo fon-

Iagielo baptisatus & coronatus.

Zelner Magister Prussiæ Lituaniam vastat.

Suetoslaus Russiam vastat.

Iagielo arces recuperat.

Suatoslaus occiditur.

Andreas incarceratur.

te lauata fuerit, pauca quæ ad rem pertinent nobis dicenda restant.

DE PRISCA RELIGIONE Lituanorum.

AD Iagielonis Vladislai regis Poloniæ ex ducibus Lituaniæ tempora, de quo in Polonorum regum descriptione copiosius diximus, tota gens Lituanica, & Samagitica priscæ multorum deorum, seu potius Dæmonum superstitioni dedita erat, inprimisq; ignem, (quem sua lingua *Znicz*, vt rem sacram appellabant:) cultu diuino prosequebantur, eumq; in celebrioribus locis, atque oppidis perpetuum obseruabant, & sacerdotes cum ministris ad hoc munus obeundum adhibebant, quòd si incuria ministrorum ignis extingueretur capite plectebantur. Huiusque modi ignis Vilnæ metropoli Lituaniæ in arcis medio (vbi nunc Basilica diuo Stanislao dicata, erecta est,) perpetuò asseruabatur. Fulmen quoq; quod *Perunum* Slauonica lingua appellabant, pro deo colebãt. Lucos præterea & eximias procerasque arbores, in syluis singuli sacrosanctas habebant, easq; cultu latriæ venerabantur, ita vt violare eas ferro iniuriaue aliqua nefas esset. quòd si Lituanus eiusdem fidei perpetraret, vt videlicet aliquam arborem, vel ignem quolibet modo dehonestaret, statim vel dæmonum violentia interibãt, vel membro aliquo arrepti priuabãtur. Solem fortè nubibus obscuratum credebant sibi succensèri, ideo sese illi quo placaretur, deuouebant. Viperas item atque serpentes deos esse credebant, eisque cultum præcipuum exhibebant, & singuli patresfamilias,

Ignis Lituanorum idolum.

Fulmẽ idolum.

Arbores venerabantur.

Sol colebatur.

familias, ciues, coloni, & nobiles singulos, serpentes domi asseruare solebant, quos pro penatibus, & laribus familiaribus adorabant, lacq; & gallos gallinaceos, eis immolabant, eratque inauspicatum & exitiabile toti familiæ, quempiam ex eis violasse dehonorasseve, aut domi non fouisse: tales enim, vel bonis omnibus priuabantur, vel crudeliter laceratiinteribant. Erat autem apud eos quotannis solenne sacrificium, sub initiũ mensis Octobris post collectas fruges, ad quod frequentes, cum vxoribus & liberis seruisque, conueniebant: ac toto triduo opipare epulabantur, de hijs quæ dijs ad offerendum mactarant. Quod & nunc in Samõgitia, Lituania & quibusdam locis Russiæ, ab agrestibus obseruatur, prout inferius suo loco dicetur. Ex bellis reuertentes manubias & vnum aliquem de captiuis præcipuum, & insignem virum victimæ loco igni consecrabant. Corpora mortuorum cum pretiosissima supellectili, qua viui maximè vtebantur, cum equis, armis, & duobus venatorijs canibus, falconeq; cremabant, seruum etiam fideliorem viuum cum domino mortuo, præcipuè verò magno viro, cremare solebant, amicosq; serui, & consanguineos, pro hac re maximè donabant. Ad busta propinquorũ lacte melle mulsato, & ceruisia parentabant, choreasque ibidem ducere solebant, tubas inflantes, & tympanas percutientes. Hic mos adhuc hodie in partibus Samogitiæ cõfinibus Curlandiæ ab agrestibus quibusdã obseruatur. Quos omnes errores & vanas superstitiones, Iagielo postquã cum Hedwigi hæredo regni Poloniæ vnica, vt suprà in serie regũ Poloniæ patet, matrimonium contraxit, abstulit, sedauit, &

Serpentum cultus.

Solennes epulæ.

Victimæ.

Sepulturæ.

Serui cremabantur.

Christianũ nomen Lituanis baptisini lauacro ablutis, indidit. Rebus enim in Polonia rectè constitutis, volens ne Lituania patria sua vlterius Dæmonum cultui vacaret, comitia generalia Vilnæ Lituaniæ metropoli, anno Domini 1387. ad initium quadragenarij ieiunij indixit, ad quas ingenti procerum & equitum Polonorum caterua stipatus, vnà cum regina in Lituaniam se contulit, archiepiscopum Gnesnensem, & multos sacerdotes, ac pios homines, secum duxit. Semouitus quoq; & Ioannes Massouię, Conradusque Olesniciæ, duces, eum comitati sunt. Conuenerunt quoque Vilnam, Skergelo Trocensium, Vitoldus Grodnensium, Volodimirus Kiouiensium, & Koributus Nouogrodensium duces, fratres principis, & infinita equitum plebisque multitudo. Ibi de religione Christiana populariter suscipienda, ac de exterminando cultu falsorũ deorum, & omni superstitione diligenter actum, ipso rege, maximam ei rei operam nauante, non solùm hortando, & præmijs alliciendo, sed etiam docẽdo, cùm Polonici sacerdotes linguę gẽtilis ignari essent. Porrò gens barbara maiorum suorum, religiones ægrè relinquebat, sed cum mandato regis ignis sacer extinctus, templum araque eius vnde oracula à sacerdote edebantur, euersum esset Vilnæ, vbi nunc diui Stanislai templum, necatique serpentes, & succisi luci, arboresque sacræ, absque cuiusquam læsione, Lituani admirantes stupidique dicebant, quomodo dij nostri istis peruersis Polonis Christianis, hanc iniuriam dissimulant, seque lædi cœlestis manibus sinunt, quod si hoc aliquis nostrum perpetraret, cõfestim ira deorum interiret. Sed cùm Poloni præter opinionem barbarorum, idola euerterent, tum verò Lituani vanitate sua agnita, alacriores, ad principum suorum religionem facti sunt, plurimam ex his multitudinem rex aduectis ex Polonia pannis laneis albis, ad baptismum perduxit. Porrò cùm immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic honor tributus est: reliquum verò vulgus turmatim distributum, aqua sacra à sacerdotibus aspergebatur, vnumque nomen singulis turmis, tam virorum quàm mulierum, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, inditum erat, atque vna die triginta millia barbarorũ baptisati sunt, exceptis nobilioribus, & illis qui antè sacro fonte, in Polonia lauati erant, atq; ab eo tempore Lituani in fide Christi permanent.

Iagielonis in Lituaniã ad baptisandã gentem expeditio.

Idola Lituanorum demolita.

Lituani baptisantur.

SKERGELO PRINCEPS Lituaniæ.

IAgielo rex Poloniæ post baptisatam gentem patriam, in Poloniam reuersus, Skergelonẽ fratrem pro se, magno Ducatu Lituaniæ inuestiuit. Vitoldus verò ex celsi animi vir, indignum ducebat deteriori, & nihili viro subesse, ideo Grodna, & Brzeste arcibus suis, valido præsidio firmatis, in Massouiam ad Ioannem ducem generum suum, cum vxore Anna, profugit, indeque in Prussiam ad Crucigeros contendit, à quibus humaniter acceptus est, quod ij per eũ facilè se Lituaniã, & Samogitia potituros esse sperarent. Itaque Vitoldus Prussiensium, & Liuoniensium Crucigerorum armis Lituaniam vexauit, sed cùm sibi fidem suspectam Crucigerorum videret, fratrem Iagielonem regem Poloniæ, per internun-

Vitoldus in Massouiam fugit, postea ad Crucigeros.

tios reconciliauit, & accepta ab eo spe adipiscendi magni Ducatus Lituanici, inscientibus Crucigeris in Lituaniam, vestitus habitu Crucigerorum profugit, & vt aliquo cum munere ab hostibus reuerteretur, tres arces Crucigerorũ Samogitis confines, Iurgẽburgum, Mergenburgum, & Neginhasun, fortè cùm velut socius & amicus intromitteretur, cepit, & exussit, præfectosq; cum præsidiarijs militibus Crucigerorum partim trucidauit, partim in seruitutem abduxit. Cùm autem spem sibi à rege datam de magno Ducatu diutius differri videret, consilium cepit Vilnæ, per proditionem capiendæ, hoc modo: rumores sparsit quasi sorori nuptiarum solennia Vilnæ facturus esset, currusq; centum ingentes præparauit, quos armato & delecto milite compleuit, & desuper stramine texit, eosque quasi carnes, & conuiuij necessaria, in arcem Vilnensem duxit, verùm fraude intempestiuè detecta, ad arcem non est admissus. Sicque spe frustratus, in Prussiam reconciliatis sibi deinde per internuncios Crucigeris profugit, indeq; biennio cum auxilijs eorum Lituaniam infestauit. Postea anno Domini 1390. Iagielo rex è Polonia ad reprimendas incursiones Vitoldi in Lituaniam, armata manu venit, Camenetiam cepit: Grodnoq; arcem ad Nemmem fluuium sitam Vitoldi præsidijs munitam, post quinquagesimum diem obsidionis cepit, Vitoldo suis varijs technis, frustra tamen, cum Crucigeris auxilia ferente. Eodem anno matureſcentibus segetibus, triplici agmine Crucigeri in Lituaniam descenderunt, Vitoldi vindicandi restituendiq; prætextu: re vera autem vt Lituaniam sibi subiugarent, vnum agmẽ Vitoldus

Vitoldus à Crucigeris fugit.

Vitoldus astu Vilnam capere tentat.

Vitoldus ad Prussiam fugit.

Iagielo Vitoldo obstat.

toldus ducebat, alterũ magister Liuonienſium Crucigerorũ, tertiũ ipse dux belli magister Prussiẽsium Conradus Valerodus, hostiliterq; regionẽ vastabãt, Troki oppidum igni cremarunt, hinc Vilnã, castra mota, arx verò Vilnensis inferior, vix obsessa, à proditoribus Russis & Lituanis succensa est, è quo incendio cùm sese Corigelo frater regis & patruelis Vitoldi subduceret, ab hostibus captus & capite plexus est, cętera multitudo in ea arce, partim igne, partim ferro hostili cæsa est, quatuordecimq; millia hominum ibi periisse aiunt. Superiorẽ arcem Poloni cum Nicolao Moscorouio præfecto tenebant, nec aut clade suorum, & conflagratione arcis inferioris, aut minis hostiũ, & ostẽtatione capitis Corigelonis, ac ne acerrima quidẽ oppugnatione, quamuis pars muri maior deiecta erat, ad deditionẽ compelli poterant, loca deiecti muri ad extremũ corrigijs pecudum, (fimo terraq; deficiente) laxè prętendebant, & fictorum tormentorũ ictus illudebant: deniq; corporibus suis aditũ hostibus irrumpere conantibus obstruebant. Skergelo quoq; regius frater cũ suis Lituanis, & Russis erumpens magnis cladibus hostes debilitabat. Demũ Octobris diebus, Prussienses Crucigeri cum Vitoldo ingẽti strage in Lituania edita ab obsidione discesserunt. Æstate sequenti rursus Vitoldus cum Crucigeris exercitũ ad Vilnã duxit, quã frustra resistentib. strennè Polonis aliquot diebus obsidẽs, re infecta reliquit. Et ne quicq; agere viderẽtur Crucigeri, reuertẽtes Vilcomeriã & Nouogrodũ castra vi ceperũt, interfectisq; psidijs Skergelonis exusserũt. Deinde alij duab. excursionib. Crucigeri eadẽ æstate Lituaniã depopulati sunt, apud Cownamq; tres mu

Crucigeri in Lituaniam tendunt.

Lituania vastatur.

Vilna obsidetur capiturq;. Polonorum strenua repugnatio.

Crucigeri iterum Lituaniam inuadunt.

Lituania iterum vastatur.

nitiones extruxerunt Menuerderum, Metenburgum, & Riteuerderum, vnamque Vitoldo concesserunt, reliquas verò duas suis præsidijs munierunt, ex quibus circumiacentem regionem infestabant. Tandem Iagielo rex Poloniæ Lituanorum calamitatis pertæsus, Henricum Semouiti Massouiæ ducis filium, ad Vitoldum in Prussiam, vt cum eo clandestino de pace ageret, & in Lituaniæ magnum Ducatum reuocaret, destinauit. Hocque modo inter regem & Vitoldum de pace conuenit, cùm rex ei magnum Ducatũ Lituaniæ, posthabitis fratribus germanis superstitibus, pollicitus esset. Vitoldus itaq; rebus suis cum Iagielone patruele, ex animi sententia compositis, Crucigeros atque Germanos mercatores Riteuerdero castro secum commorantes inopinatos comprehendit, incensaque arce, victos in Lituaniã abduxit, abeuntem, Crucigeri relictis duobus castris, persequuti, sed paruo negocio fusi prostratiq; sunt, & castella à Vitoldo vi capta & exusta. Veniens autem Vilnam Vitoldus cum captiuis & ingenti præda parta de Crucigeris, honorificè à Iagielone rege clementerq; susceptus est.

Vitoldus à Crucigeris fugit, damno illato.

VITOLDVS MAGNVS DVX Lituaniæ.

VItoldus reuocatus ex Prussia, anno Domini 1392 à Iagielone patruele rege Poloniæ, apud Lituanos atque Ruthenos, summæ rerum præfectus & magno Ducatu solenniter inuestitus est, iureiurandoque, & litteris consignatis, se in fide regi Poloniæ semper futurum spopondit.

Postea

Postea Swidrigelo & Skergelo indignè tulerũt, quod Germani fratres Vitoldo patrueli à rege posthabiti essent, bellaq; intestina aduersus Vitoldum commouerunt. Sed Swidrigelo cùm minus animi & virium haberet, ad Crucigeros in Prussiam profugit, & Lituaniam cum eis vltro in Vitoldum incitatis, crebris populationibus diuexauit, Surasumq;, Gartenam, & Stramelam arces Crucigeri in Lituania ceperunt. Skiergelo verò maiore animo & opibus præditus, armatis copijs ex suis corrasis, collectisque cum Vitoldo ad inimicitias deuenit. Quorum malorum sedandorum caussa, rex Iagielo rursus in Lituaniam venit, Skergelonemq; adiecto ei Cremenẽsi, Starodubẽsi, & Trocensi tractu placauit. Postea Coributus Vitoldo fratri rebellans ab eo dẽ in conflictu victus est. Tandem Vitoldus Orshan arcem Russiæ, iussu regis expugnauit, Vitebscumq; per deditionem sub Swidrigelone recepit, deinde duces Odrucenses, & princeps Smolenscensis Russi ad Vitoldum in Vitebscum supplices venerunt, & omnes se in potestate eius semper fore spopõderũt. Postea Vitoldus Zithomiriam, & Kiouiam metropolim Russiæ in potestatem suam redegit, expulsoq; Volodimiro duce Russo Skiergeloni fratri eam sicuti promisit, tradidit. Skiergelo tandem vltra Kiouiam Circassos, & Swinigrodum arces ad Borysthenẽ sitas cepit, nec multo post ipse Skiergelo ad venationem profectus à monacho quodam Russo, Humeno Metropolitæ vicario ad villam inuitatus, venenato poculo intoxicatus de medio sublatus est. Kiouiæque in cauernis subterraneis quæ Petzari dicũtur sepultus. Sunt autem Petzari specus

Swidrigelo fugit ad Crucigeros.

Lituania vastatur.

Skiergelo contra Vitoldũ bellũ mouit.

Vitoldus Coributũ vicit

Vitoldus Viteskam, Orsham, & Kiouiam capit.

Skiergelo veneno moritur.

vastissimus, apud Kiouiam, illustrium ducum Russiæ sepultura clarus. Deinde Vitoldus Kiouiensibus præfecit ducem quendam Olgemundi filium. Rhesanensem autem ducatum Russiæ per Simonẽ ducem quendã, magna ex parte vastauit. Smolenskum deinde ipse contendit, & Glebum ducem eius orę iugum excutientem expulit, & alium Smolensibus præfecit, eoq; ad Vitoldum Basilius dux Moschouię, inuitatus venit, postea honorificè, & liberaliter dimissus. Tandem Vitoldus per legatum suum Algerdum, ducem exercitus, Tartaros profligauit, tresq; eorum duces trucidauit.

Resanensiũ Ducatũ Vitoldus expugnat.

Vitoldus Tartaros fudit.

Vitol. Podoliæ ducem sternit.

Deinde Coriati filium Podolię ducem rebellantem, Theodorum nomine Vitoldus fudit, ipsumq; cepit, & Bratislauiam, Cameneciam, Smotriciam, Scalam, Ceruonigrodum, & omnem Podoliam in potestatem suam redegit, quam postea regi Poloniæ Iagieloni concessit. Interea verò Crucigeri Prussiensis, incitante Swidrigelone, qui ad eos profugerat, Lituaniam crebris incursionibus longè lateq; vexarunt. Castella quædam expugnarunt, Vilnamque caput gentis tentauerunt, à qua re infecta discesserunt. Lituani verò cum Polonis similiter in Prussiam excurrerunt, damnaque Crucigeris, tanta quanta illi in Lituania intulerunt.

Crucigeri Lituaniam vastant.

Postea Vitoldus, anno Domini 1396. expeditionem in Tartaros adornauit, ac tribum vnam, quam illi Hordam vocant, cum liberis abegit, exercitu eorum profligato, partemque captiuorum regi, & proceribus Polonis dono misit, reliquos in medio Lituaniæ supra Vaccam amnem, duobus milliaribus à Vilna, agris attributis, collocauit, qui illic manent

Vitoldus Tartaros profligat, & in Lituaniã eos collocat.

vsque in hodiernum diem, boni ac diligẽtes patresfamilias & virtutis priscæ, armorumque non immemores, ritus patrios Machometicæ superstitiones seruant, & liberi legibus suis viuentes & ex æquo cum Lituanis, regis Poloniæ, magni Ducis Lituanię, imperium cognoscunt, vexillumque proprium, Arabicis litteris inscriptum, quo in bello vtuntur, habent.

In sequenti deinde anno Vitoldus frustra dissuadentibus Iagielone rege, & regina, alteram expeditionem maioribus copijs, in Tartaros fecit, ad quam permulti illustres de Polonica, & Germanica nobilitate viri gloriæ cupidi profecti sunt. Fuerũt autem in ea expeditione de Polonis maximè insignes & principes viri. Recensitis itaq; apud Kiouiam Vitoldus copijs, bonę spei plenus longo itinere, Tartarorum campestria inuasit, tunc temporis apud Tartaros, Tamerlane in Scythia magna regnante, humili quidẽ loco nato, verùm scientia rei militaris, fortunæ beneficio, eo potentię prouectus erat, vt duodecies centena millia hominum haberet in exercitu, ac Turcis profligatis imperatorem eorum Baiazethem, (qui tunc temporis Constãtinopolim obsidebat) captum in ferrea cauea, aureis catenis vinctum per totam Asiam circumuehebant: cæsa sunt tunc temporis Turcarum 200. millia. Anno Domini 1397. Hiberiã deniq; hic Tamerlanes, Albaniam, Armeniam, Persiam, Mesopotamiam, Asiam, & Ægyptũ, incredibili celeritate vastauit, & occupauit, orbemq; terrarum sui nominis terrore implebat. Iamq; transmissis Sula, & Psola fluminibus ad Campestria Tartariæ, Vitoldus cum suis, nullo repu-

Vitoldi expeditio in Tartaros.

gnante, peruenerat, cum Ædigam vnum ex ducibus Tartarorum potentissimum, Tamerlanis legatum cum innumerabilibus copijs, obuiam habuit. Vbi ad conflictum venit, Tartari vicerunt, non incruenta tamen victoria, quod nisi multitudine abundassent, virtute Vitoldianorum superati fuissent. cecidere ibi insignes viri, ex his fuere Iagielonis regis fratres, Andreas, & Demetrius, Coributus, & alij nouem duces Lituani, & Russi pauci viui capti. Vitoldus cum SWidrigelone patruele, Ostrorogoq; & Samotulio Polonis, pernici fuga euaserunt, Melstinius Polonus, cum fuga saluus esse posset, inter confertissimoss hostes sese coniecit, strenueque dimicando honestissimè occumbere maluit.

Vitoldiani profligantur.

Vitoldus Smolenscam capit.

Tandem anno Domini 1403. Vitoldus magnus dux Lituaniæ, cum Smolenscijs rursus rebellibus, bellum gesit, fretusq; Polonorum auxilijs arcem Smolenskam, in quam ciues, & nobiliores vxores, liberos opesq; suas contulerant, post diutinam oppugnationem, vi cepit: magnasq; opes in ea repertas partim Iagieloni regi in Poloniam transmisit, partim militibus, vt quisque meritus erat distribuit, cæteras arces deditione accepit, & principatum in prouinciæ formam redegit.

Vitoldus Liuones vlciscitur.

Deinde Crucigeri Liuonienses, in Lituaniam excurrerunt, quos Vitoldus cum præda reuertentes, vestigijs clàm insecutus, cùm ij domos diuersè abijssent, regionem illorum vicissim longè lateque vastauit, pagos & vicos incendit, oppidum cum arce munitum à Germanis Dunemburgum appellatum, ad DWinam fluuium conditum, vi cepit, quibus incensis in Lituaniam, se cum ingenti præda recepit.

Nec

Nec multo pòst rursus Lituania hinc à Prussiensibus, illinc à Liuonienses Crucigeris, SWidrigelonis profugi, opera peruastata est. Tandem Iagielo rex, & Vitoldus, patriæ afflictæ vicem miserati, SWidrigelonem fratrem exulem è Prussia euocauerunt, Podoliaq; Ducatum in possessionem ei concesserunt. Postea SWidrigelo hac liberalitate regia minimè sanatus, homo ambitiosus & peruersus, nõ habens receptaculum apud Prussienses Crucigeros: (nam certis sub conditionibus, propinquos regis exules, ex Lituania suscipere, nequaquã Prussienses sese obstrinxerant,) ad Moschouiæ ducem Basilium profugit, arcibus quas in Russia tenebat succensis. Eodem anno 1406. Vitoldus pace nacta cum Crucigeris, transmisso Hugrã flumine, primam expeditionẽ in Moschos adornauit, à genero duce gentis iniuria prouocatus, peruastataque longè lateque Moschouitica regione, præda onustus, in Lituaniam redijt. Postea maiori vi in id bellum, anno vno intermisso sese expediuit, fretus maioribus auxilijs Polonorum, & Crucigerorum, & vsq; ad Occam fluuium permagnum, Moschouia deuastata, populabundus peruenit, quominus autem fluuium transmitteret, SWidrigelonis patruelis nuper profugi (qui Moschouitis operã suã nauabat) armis prohibitus est: Impetrauit tandem à Vitoldo, Basilius Moschouiæ dux pacem, æquis sub conditionibus.

SWidrigelo ad Moschouiam fugit.

Vitoldus Moschouiã vastat.

Vitoldus Prussiam vastat.

Dum hæc aguntur Sigismundus Coributus Vitoldi frater, nihil de inducijs cum Crucigeris Prussiensibus compertum habens, abiente Vitoldo cum Lituanis in Prussiam excursionem fecit, & tribus oppidis, plurimisque pagis direptis, & succensis in-

Crucigeri Lituaniam vastant. Vitoldus latet.

gentem prædam asportauit. Quos vt Crucigeri vlciscerentur, nullam excusationē ignorantiæ admittentes, simili modo in Lituaniam per auias solitudines excurrerunt, in Wolkouisko oppidū improuisè impetum fecerunt, quo succenso multitudinē hominum, qui ad rem diuinam, festo die cōuenerant, captiuam abduxerunt. Vitoldus verò cùm septem milliaribus ab eo loco abesset, raptim in interiores syluas cum vxore sese abdidit, donec hostes discessisse cognouit, nunquam enim hostibus regiones suas vastantibus, occurrere ausus erat, sed illis discedentibus vicissim regiones eorum vastabat.

Deinde Vitoldus, anno Domini 1415. cōducto ingenti exercitu de Polonia, contra Pskouienses Russos expeditionem fecit, qui pacem magna vi auri, & argenti redemerunt.

Vitoldus Nouogrodenses capit.

Postea Nouogrodensibus Russis liberè viuentibus, Pskouiensium vicinis bellum intulit, quibus etiam supplicibus, & ingentia dona afferentibus pacem dedit.

Sigismūdus imper. cum Vitoldo gratiam init, & diadema ei pollicetur

Tandem Sigismundus Romanorū rex, inimicitias inter Iagielonem regē Poloniæ, & Vitoldū disseminaturus, societatem cum Vitoldo secretò init. Diademaq; regium, in iniuriam Polonorum ei dare pollicitus est, cupiebat id Vitoldus homo ambitiosus, & ingētis animi, sed ei obnixè Iagielo frater cum Polonis, ne voti cōpos foret obluctabatur, denegabatq;, vnde variæ controuersiæ vtrinq; intercesserunt. Postea à Sigismundo rege Romanorum draco aureus affabrè factus, pignus societatis, per legatos ei allatus est, expetitumq; ab eo iusiurandum de societate vtrinq; seruanda. Sed Vitoldus dracone pro hospitali munere accepto, iusiurandum nullum dedit, nec tamē à cœpto de ambitione diadematis regij destitit, legatiq; regis Romanorum de eo afferendo, certū tempus præscripserunt, ad decimū sextum Calendas Septembris. Hoc vbi rex Poloniæ Iagielo rescijt, Ioanni Czarnkouio Subcamerario Posnaniensi, viro impigro, negotium dedit, vt ad confinia Poloniæ, & Saxoniæ, legatos Romanorum regis, & Vitoldi, vltro citroq; comeantes obseruaret, intercipereteq;. Statimq; Baptistam Cigalam Italum iurisconsultum Genuensem, & Sigismundum Rotum Germanum à Cæsare ad Vitoldum proficiscentes intercepit, excussosq; incōsultè dimisit. Litteras verò ab eis ablatas ad regem attulit. Missi autem hij erant, vt Vitoldo dubitationem omnem eximerent, diademaque ad tempus allatum iri, ab alijs legatis promitterent. Præterea vt confœderationes & societatem Prussiensium, atq; Liuonienſium Crucigerorum, Hungarorumq;, & Germanorum, cum Lituanis aduersus Polonos confirmarent.

Legati Cæsaris intercipiuntur.

His cognitis Poloni nemine iubente, quasi sublatis signis, armata manu apud Turagoram insederunt, pro patriæ tranquillitate & honore ad extremum Oceanū Germanicum, decernere parati. Iam legati cum diademate Prussiæ appropinquabāt, per quam profecturi erant, cum didicerunt à Polonis vias obsideri, & non ausi periculo sese committere, cùm duos menses frustra exspectassent, ad Cæsarem in Hungariā reuersi sunt. Nec multo pòst Vitoldus voto frustratus ex angore animi, anno Domini 1430. mense Septembri in Troki ciuitate spiritum exhalauit, cum octuagesimum annum excessisset.

Vitoldus moritur.

Vitoldi mores.

Princeps impiger & vegeto ingenio, abstemius in omni vita nihil præter aquam bibere solitus, in victu temperãs, temporis perparcus, ita vt supra mensam iudicaret, & responsa legatis daret. Cæterum in Venerem procliuior, confecto enim felicissimè bello semper solebat relictis copijs in hostico, domum transmutatis equis, ad vxorem otius præcurrere. In externos liberalis erat, suos verò metu magis quàm beneficio, in officio continebat. Statura fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genas solitus.

SWIDRIGELO PRINCEPS Lituaniæ.

Poloni magnam Podoliæ partem occupant.

IVstis Vitoldo, Vilnæ in arce persolutis, Iagielo rex Poloniæ, Swidrigelonem fratrem germanum, patruelem Vitoldi, hominem nihili, & ebriosum, summæ rerum apud Lituanos præfecit. Poloni verò primores, patriæ vtilitati consulentes, re animaduersa Daugertum Palatinum Vilnensem, qui Podoliam Vitoldi nomine administrabat, rerum omnium adhuc ignarum, euocatum ad colloquium ceperunt, arcemq; Kameneciam, Smotriciam, Skalam, & Ceruonigrodum occuparunt, & magnam partem Podoliæ facilè in potestatem suam redegerunt, ne in ditione Lituanorum deinceps esset. Vbi factũ hoc resciuit Swidrigelo, homo violentus & in iracũdiam præceps, beneficiorum regis fratris oblitus, in eum (tunc temporis exequias funebres Vitoldi celebrantem Vilnæ) fremere, maledictisq; lacessere, palamq; vincula & necem regi, Polonisq; qui cum eo aderãt minitare, cœpit: ita vt Poloni, die noctęq;

Iagielo rex cum Polonis in periculis.

ctęq; circa regẽ excubare cogerentur. Rex verò siue quod sibi metuebat, siue quod Swidrigelonis incrementis impẽsius fauebat, Podoliam ei restituere assensus est, eaq; de re Tarlonẽ in Podoliam cũ literis & mãdatis misit, qui eam Michaëli Babę Russo, Swidrigelonis nomine recipiendam & obtinendã traderet. Andreas verò Tencinius, & Nicolaus Dreuicius, iuuenes ex nobilitate Polonica, qui annulũ signatorium habebant, amore patriæ ducti, litteras ad Michaëlem Buczacium, qui Cameneciam Podoliæ obtinebat, scripserunt, regem extrema necessitate adactum, Podolia Swidrigeloni cedere, nunciantes, sed vt non modò, non parceret mandatis regijs, verùm Tarlonem & Babam pariter comprehenderet. Eas litteras quoniam palàm ferri nequibant (Swidrigelo enim omnes iter in Poloniam capescentes excutiebat) cera obuoluerunt, & cõtexerunt, vt speciem & similitudinem cerei præ se ferrent. Tarloniq; legato dederunt, vt is cùm primùm Cameneciam venisset, cereum illum Buczacio redderet, atq; hæc verba adderet, vt si errare ille nollet, ex eo cereo vnà cum magistratu vrbano, lumẽ quęreret. Quę omnia Tarlo iuuenis omnium rerũ ignarus, bona fide perfecit. Buczacius præfectus cereum acceptum refringit, litterasq; inuenit. Tarlonem legatum & Babam comprehendit, in arcesq; Podoliæ intromissionem non admisit. Poloni quoq; casum regis sui animaduertentes, exercitum sine mora conscripserunt. Swidrigelo autem Polonos, arma parare ad vindicandum regem audiens, confestim eum sibi reconciliatum, auroq; & argento liberaliter donatum liberum dimisit. Tandem Swidrigelo

Lumen in cereo quæritur.

exercitū in Podoliam duxit, cui Iagielo rex cum armatis copijs Polonorum, anno Domini 1431. ad diem S. Margaretæ apud Luczkum ciuitatem occurrit, excursorijs pugnis vtrinq; collatis, fœdus ad purificationis diuæ Mariæ festum inierunt. Interea verò Palatinus Valachię tributarius Polonorum, infestis armis in Poloniam descendit, cuius exercitum Poloni & Podoliani dissipatum, & per agros, sylvasque pallantem, cruenta clade prostrauerunt. Postea rex Iagielo in Swidrigelonem fratrem seditiosum, & ad sanam mentē redire nolentem, Lituanos concitauit, Sigismundumq; patruelem, Vitoldi fratrem germanum, Starodubensem ducem, ad inuadendum principatum Lituaniæ animauit. Statimque proceres Lituaniæ cognita voluntate regis, cum Sigismundo aduersus Swidrigelonem ducem suum, ob nimiam crudelitatem conspirauerunt, in eumque apud Osmanam, tunc temporis agentem, impetum fecerunt, qui de insidijs à Ioanne Muniuido præmonitus, pernici fuga in Russiam euasit, ideoq; postea adiun ctis sibi Liuonienſibus Crucigeris, Lituaniam vexauit.

Valachi funduntur.

SIGISMVNDVS PRINCEPS Lituaniæ.

ANno Domini 1432. Sigismundus Keystuti principis Lituaniæ filius, dux Starodubensis, in Russia, regis Iagielonis patruelis, beneficentia & fauore Lituaniæ procerum, expulso iusta de caussa Swidrigelone seditioso, rerum in Lituania potitur, & magno Ducatu solēniter in verba regis Iagielonis & procerum Polonię, Lituaniæq; iurans inuestitur.

Ideo

Ideò tertio magni Ducatus Lituanię cum regno Poloniæ vnio, incorporatioq; celebrata est.

Eodem anno rex Poloniæ Iagielo, vltima mensis Maij vitam cum morte feliciter commutauit, cui Vladislaus filius in regno, anno Domini 1434. successit, qui postea rex Hungariæ creatus est, quo ex Polonia in Hungariam, anno Domini 1440. ad suscipiendum regnum discedente, Czartorienſis dux Russus, Sigismundum magnum Ducem Lituaniæ, dolosè, perfidioseque necauit Troki. Atq; post hūc magnus Ducatus Lituaniæ ad secundo genitos regnum Poloniæ translatus est. Quapropter proceres Poloniæ cum ducibus Massouiæ Casimirum hæredem regni Poloniæ, cum ducibus Massouiæ Casimirum hæredem regni Poloniæ, Iagielonis regis filium, in magnum Ducatum Lituaniæ duxerunt, quem Lituani cum ingenti lætitia, susceptum, communibus suffragijs, summæ rerum apud se præfecerūt. Qui postea Vladislao fratri, anno Domini 1447. in regno succeſſit. Magno verò Ducatu Lituaniæ Alexander filius eius ardentibus suffragijs Lituanorum, præpositus est.

Iagielo rex moritur.

Sigismundus dux occiditur.

Casimirus magnus Dux Lituaniæ.

ALEXANDER PRINCEPS Lituaniæ.

ALexander Iagielonis nepos, Casimiri regis Poloniæ filius, magno Ducatu Lituanię potitus, apud Ioannem magnū Ducē Moschouiæ, filiam Helenam, in matrimonium accepit, in sponsalibusque concluſum erat, vt templum Ruthenico ritu, in castro Vilnensi destinato loco, exædificaretur, eiąue certæ matronæ, ac virgines eiusdem ritus iungeren-

tur. Quæ cùm aliquanto tempore negligerentur, sumit socer causſam belli contra Alexandrum, & triplici exercitu instructo, contra eum progreditur, primum, versus prouinciam Seueram, in Meridiem, secundum verò, in Occidentem contra Toropiec & Biela instituit, tertium in medio, versus Drohobus & Smolensko collocat, ab ijs exercitum in subditis retinet, quo ei maximè, contra quem Lituanos pugnaturos animaduerteret, succurrere posſet. Postquam autem ad fluuium quendam Wedrasch, vterque exercitus conuenisſet, Lituani duce Constantino Ostrolki, maxima procerum, & nobilium frequentia septo, ex quibusdam captiuis, numerum hostium ac ducum quoque cùm cognouisſent, magnam spem profligandi hostem concipiunt, porrò cùm fluuiolus cõflictum impediret, ab vtrisq; transitus seu vadum quæritur. Primi autem Moschi aliquot superata ripa, Lituanos ad pugnam lacesſunt, atque illi haud timidi resistunt, eosq; insequuntur, fugant, vltraque fluuiolum pellunt, mox vtrinque acies committuntur, prælium q; atrox oritur. Interea dum vtrinque eodem ardore animorum, acriter certarent, exercitus Moschorum in insidijs collocatus, eo latere in medios hostes inducitur, Lituani metu perculsi dilabuntur. Imperator exercitus, vnà cum plerisque capitur, reliqui perterriti, castra hosti concedunt, se & arces Drohobus, Toropiec, & Biela pariter sese dediderunt: exercitus verò, qui Meridiem versus processerat, cui præerat Machmetemin Tartarus rex Cazanensis, fortè Bransko, ciuitatis præfectum comprehendit, Branskoque ciuitate potitur. Paulo pòst duo Germani fratres, Seueriæ

Moschus in Alexandrũ Lituaniæ Ducem iniurgit.

Lituani funduntur.

Arces à Moschis capiuntur.

ueriæ principes, Semetcici dicti, alioqui ducibus Lituaniæ obedientes, imperio Moschorum principis se tradunt. sic vnico conflictu, & eodem anno adeptus erat Moschus, quæ Vitoldus magnus Dux Lituaniæ multis annis, maximisque laboribus, obtinuerat. Porrò Moschorum dux cum hisce captiuis Lituanis crudelius egit, Constantinumque ducem exercitus præfectum, crudelissimis vinculis, pollicitationibusque solicitabat, vt relicto domino naturali, sibi seruiret, qui cùm aliam spem elabendi non haberet, conditionem oblatam accepit, in verbaque Moschorum principis iurauit. Et quamuis prædia, possessiones q; amplissimas, pro statu sui cõditione habebat attributas, à principe q; summo amore prosequeretur, tamen aliquot ibi annis exactis, nacta occasione, per inuias syluas, in Lituaniam cum ingentibus thesauris profugit. Qui postea, anno Domini 1514. cum exercitu Polonorum & Lituanorum strenui militis, & imperatoris officium adimplens, sub Sigismũdo rege Poloniæ, octuaginta millia Moschorũ strauit, prout superius, in gestis Sigismundi regis Poloniæ patet. Sed ad rem redeo.

Duces Seueriæ Moscho se dedunt.

Octuaginta millia Moschorũ cæsa.

Alexander magnus dux Lituanię, postea decedẽte Ioãne Alberto fratre, Polonię rex creatus, liberatione captiuorum, cõtentus cũ socero Moschorũ principe Ioanne, ad sex annos fœdus inijt, anno Domini 1503. Postea anno Domini 1506. Vilnæ mortuus est, ibidemq; sepultus, ætatis suæ 45. annos habens. Præfuit magno Ducatui Lituanię 14. annis, regnum Poloniæ 4. annis & 8. mẽsib. administrabat, huic in magno Ducatu Lituaniæ, & regno Polonię Sigismũdus frater Germanus, huius nominis primus successit.

Alexander moritur.

Nouæ Gubernationis LIVONIÆ FORMA, RECENS A STEPHANO REGE POLONIÆ INSTITVTA, ANNO M. D. LXXXIII.

STEPHANVS DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNVS DVX LI*tuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kijouiæ, Volhiniæ, Podlachiæq;, nec non princeps Transyluaniæ, &c.*

SIgnificamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, præsentibus & futuris harum notitiam habituris. Quia nos per Dei gratiam recuperata de potestate Moschi prouincia Liuonia, eius statui ac bono ordini prospicientes, ac defensionis & iustitiæ rationem habentes, atq; exemplum in primis terrarum Prussiæ nos accommodantes, infra scriptas leges & constitutiones ei prouinciæ, de consilio consiliariorum nostrorum dandas, & promulgãdas esse duximus, damusq; & promulgamus præsentibus. Iura tamen nostra regalia integra nobis in omnibus reseruando.

Episcopatus Vendensis.

In primis Deo optimo gratias pro victoria concessa agentes, ad eiusq; cultum actiones nostras referentes, fundauimus episcopatum in eadem prouincia in locum archiepiscopatus, & episcopatuum, qui fuerũt superioribus temporib. primùm discordia interna, deinde verò hostili gladio exterminati: cuius sedes Vendæ futura est. Vbi etiam canonicorum collegium instituimus, ac item per ciuitates, oppida, & villas nostras regales, parochias, & scholas ritus Catholici ereximus.

De dissidentibus in Religione.

Annuimus petitionibus prouincialium prouinciæ Liuoniæ, Rigæ & hîc ad nos factis, vt Augustanæ cõfessionis, quæ vnica post religionem Catholicam illam in prouinciam introducta erat, liberum vsum illis permittamus.

Tres præsidatus in Liuonia.

Prouinciam Liuoniam, quæ adhuc à nobis parta est, in tres diuidimus partes, tum iurisdicundi, tũ defensionis caussa: quarũ prima erit Vendensis, atq; id quicquid inter flumen Dunam, & Gouiam, & inde ad fines Moschouiæ versus Opoczkam, supra Marienhausen situm est, ad præsidatũ Vendẽsem spectabit, inclusis etiam arcibus Marienhausen, Ludzen, & Rozythen: Derpatensis, quæ à flumine Gouia ad fines vsq; Moschouiæ extendetur, & versus Felinum Vilscher lacu terminabitur: Tertia Pernauiẽsis, quæ Felinum, Pernauiam, & cæteras arces, inter Gouiam flumen, & mare, & lacum Vilcher continebit.

Præsides Liuoniæ.

Quibus quidem in partibus singuli præsides Vendẽsis scilicet, Derpatẽsis & Pernauiẽsis præerunt eo iure & authoritate in illa prouincia, qua Palatini in Prussia sunt, cũ quibus etiam, necessitate exposcente, ad bellum mouere debebunt, postquam prędicti præsides à nobis, vel gubernatore Liuoniæ, vel locũtenente, vel commissario nostro admoniti fuerint.

Succamerarij.

Statuimus, vt in eadem prouincia tres itidem Succamerarij sint: Vendensis, Derpatensis, Pernauiensis, eadem authoritate & functione, qua Succamerarij sunt in terris Prussiæ. Ijdem finibus inter nobilitatem regundis præerunt.

Vexilliferi.

Tres itidem prædictæ Liuoniæ prouinciæ regiones, tres suos vexilliferos habebunt, subque signis à nobis illis attributis, necessitate exposcente vt suprà scriptum est, dictæ prouinciæ nobiles & incolæ, ad bellum & defensionem progredientur.

Iudicia terrestria.

Iudicia terrestria in singulis præsidatibus, quotannis bis celebrentur, ita vt in præsidatu Vendensi, prima iudicia feria tertia post Dominicam Quasimodo geniti: secunda, feria tertia post Lamperti in Pernauiensi, duabus post hebdomadibus. In Derpatensi duabus post alijs obseruentur. Ex quibus quidem iudicijs terrestribus appellationes ordinariæ fient ad conuentum Liuoniæ.

Iudices, Scabini, & Notarij terrestres, ac Tabelliones.

Iudicia terrestria iudicabuntur ab iudice. Iudex autē cuiuis præsidatui, ex quatuor à nobilitate propositis, vnus per nos assignari debet, cui assidebunt sex scabini, ex duodecim à nobilitate propositis à nobis designati. Notarium verò terrestrem ex quatuor à nobilitate electis, vnum itidem designabimus qui acta ac decreta iudicij terrestris conscribet & edet. Pro incidentibus verò passim necessitatibus publici tabelliones in conuentibus Liuoniæ modo infrascripto habendis, qui fuerint testatæ probitatis ac fidei, ex conuentus illius sententia, creari poterunt.

De appellatione.

Vt autem friuolæ & temerariæ appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis in iudicio terrestri ad conuentum appellauerit, octodecim marcas Rigēses in iudicium reponat. Et si appellans succubuerit, in vsum publicum iudicij in quo erant repositæ, cedant, alioquin parti restituantur.

Iudicia Præsidum, & sanguinis, ac facti recentis.

Nec præsides causas ad ius terrestre spectantes, nisi de consensu partium iudicent, & prouocantes ad iudicium terrestre remittant, exceptis causis leuioribus, quæ videlicet valorem triginta marcarum Rigensium, non excedant. hæ quidem sine strepitu iudicij, de simplici & plano ab eis componi possunt. In causis autem sanguinis, & facti recētis indilatam iustitiam ministrent, nec partes contendentes ad componendam amicè inter se controuersiam cogant, nec vllas pœnas exigant, nisi per iudicium decretas. Quarum pœnarum tertia pars iudicio terrestri, reliquæ duæ partes præsidi loci cedant.

Præsides & Capitanei caterique omnes iudicio terrestri subsint.

Præsides & capitanei, ac quiuis incolæ Liuoniæ, siue Poloni, siue Lituani, alijq; omnes citati: tam in iudicio terrestri, quàm cōuentuum publicorum, respōdere sint obligati, exceptis obligationibus super bonis nostris regalibus emergentibus. Ciuitatibus etiam iudicia iuxta priuilegia ipsorum relinquimus.

De Commissionibus.

Vt autem temerariæ lites amputentur, commis-

sarios siue iudices delegatos non deputabimus in caussis ad iudicium terrestre spectantibus, & minus in eo iam pendentibus, nisi per rationē ordinariam, de qua infrà dicetur, à sententia definitiua, seu interlocutoria iam lata, ad nos remissæ fuerint, exceptis caussis limitum bonorum nostrorum regalium & diuisionis fratrum, & proximorum. Nec iudices delegatos seu cōmissarios, à quibus semel appellatum est, in eadem caussa denuo deputabimus, aut causam ad ipsos remittemus. Non enim verisimile aut honestum videtur, quòd iudex suam pristinam sententiam retractet aut aliter postea iudicet quàm antea iudicauerat.

De Conuentibus publicis iudicialibus.

Conuentus autem publici iudiciorum caussa in Liuonia Vendæ quotannis bis celebrentur, verno videlicet tempore, ad diem S. Stanislai: tempore autem autumni ad diem S. Michaelis. ad prædictos conuentus publicos omnes caussæ, tam ex ciuitatibus, quàm ex iudicijs terrestribus, per appellationem deuoluantur, ac etiam ex Feudis ducalibus. ea verò appellationes cognoscentur, in dicto conuentu, ab episcopo, tribus præsidibus, capitaneo Vendensi, quæstore prouinciali, tribusque Succamerarijs, ciuitatumque, Rigensis duobus, Derpatensis vno, Pernauiensis vno, Vendensis vno, deputatis. Præsidebit verò gubernator Liuoniæ, vel locum tenens, aut commissarius noster, à nobis pro tempore designandus, atque ibi omnes caussæ finientur, sine vlteriori prouocatione, exceptis caussis amissionis

sionis hæreditatis bonorum, in quibus si quæ pars à conuentu se grauatam putauerit, vtriusque partis allegationes diligenter conscribi, & ad nos obsignatæ sigillis omnium suprascriptorum per gubernatorem, aut locum tenentem, vel commissarium nostrum remitti debent, de quibus nos sententiam nostram itidem scripto nostro declarabimus: ac item exceptis caussis famæ, in quibus hoc idem, nisi sint sanguinis & facti recentis, obseruari volumus. Decreta verò prædicta conuentionalia, à notario terrestri Vendensi conscribentur, sub sigilloque eiusdem terræ edentur.

De iure municipali Liuonico.

Tam in iudicijs terrestribus, quàm conuentionalibus, iustitia administrabitur ex præscripto iuris prouincialis in Liuonia recepti, cuius quidem iuris municipalis exemplum prouinciales ad nos mittere debent intra quadrimestre, vt à nobis recognoscatur, & authoritate nostra publicetur. Præteritas omnes iniurias facti inter priuatos perpetua oblione delendas censemus. De caussis autem pecuniarum creditarum, & bonorum ademptorum, inter se iure experiri poterunt. Neq; tamen ab ijs qui tempore belli vsuras in bonis suis inscripserunt exigi eæ debent. In posterum autem non nisi mediocres inscribi & accipi poterunt.

Conuentus necessitatis publicæ caussa.

Quando opus fuerit cōuentu pro necessitate publica, quē nos & successores nostri, arbitrio nostro, loco & die, quo nobis videbitur, indicemus, prius in singulis præsidatibus, Venden. Derpaten. Pernauien.

fiat nobilitatis cõuentio particularis, quam pręsides in suis præsidatibus ad aliquẽ locum conuenientem literis suis de mandato nostro conuocent, vt nuncij ad huiusmodi conuentum eligantur. qui autem vocatus non comparuerit, pœnam sex marcarum Rigensium pendet, cuius medietas præsidij, altera verò fisco Liuonico proueniat. Mittent etiam ad eundem conuentum nuncios duos ciuitas Rigensis, vnum Derpatensis, vnum Pernauien. vnum Venden. ac item Curlandiæ dux, cuius nuncio locus dignus ac conueniens in consessu, attribui debet.

De executione rei iudicatæ.

At quum frustra sententiæ ferantur, nisi legitimę executioni demandentur, volumus, & irrefragabili constitutione sancimus, vt deinceps vnusquisq; cuiusuis conditionis aut eminentiæ fuerit, rei iudicatæ sine omni contradictione cum effectu pareat, & obsequatur, alioqui locorum præsides nullo alio à nobis mãdato expectato, legitimam executionem faciant, adiuncto sibi, vbi caussæ conditio id postulauerit capitaneo, & nobilibus illius districtus, aut etiam, si necessitas exegerit, omnibus & singulis vasallis nostris seu nobilibus illius præsidatus, quos ad assistendum illi sub iurisiurandi debito & amissione bonorum obligatos esse decernimus. Si verò maiori potentia sit opus, negocium ad nos referri volumus, vt opportunis rationibus rebus prouideamus. Pręsides similiter ad huiusmodi executiones faciendas, iustitiamque oppressis ministrandam iusiurandum nobis pręstitum adigat, quos etiam, si remissiores fuerint, quinquaginta florenorũ Vngaricalium pœna plecti volumus, cuius mulctæ medietas parti, cui

cui iustitia denegata est, altera verò medietas fisco cedat. Vbi autem quis exequutioni voluerit resistere, aut iam factam violare conuictus fuerit, pœna banni siue proscriptionis, ac bonorum confiscatione, irremissibiliter puniatur. Ex quibus bonis parti læsæ primum satisfiat, quod reliquum fuerit, prædicto fisco applicetur.

De violentijs ac vijs publicis.

Statuimus præterea, vt nullus capitaneus, nobilis, ciuis, aut quiuis alius, cuiuscunq; conditionis existat, qui personis, castris, domibus, aut possessionibus alicuius vllam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere præsumat. super his conuictus, capitali pœna puniatur.

De captiuatione, criminibus ac contractibus.

Et cùm aliquis nobilis decreto publici conuentus, iudicio præsidum aut terrestri capitur, quod sub certis pœnis in potestatem aut carcerem ciuilem non tradatur, sed in manus præsidum. Si quis autem in ciuitate, vbi nulla arx est capitur, & authoritate conuentus præsidis, aut iudicij in carcerem ciuilem conijcitur, in potestate eorundem & non ciuitatis permaneat. Fideiussoria autem cautione à carcere huiusmodi liberetur, nisi caussa fuerit criminalis, & vt sub pœna viginti florenorum Vngaricalium, quorum medietas præsidi, altera parti læsæ cedat, absque vlla remissione persoluenda, nobiles & eorum subditi, authoritate seu potestate ciuili non capiantur, detineantur, aut arestentur, nec nobiles authoritate propria capient, aut detineant ciues vel eorum subditos, sed vnusquisque coram iudice suo

ordinario conueniatur, & iustitiam requirat, nisi in casibus recentibus, & actionibus criminalibus. nam delinquens in loco delicti deprehensus, & contrahens de contractu recenti, in loco contractus potetit conueniri.

De fluminibus.

Præterea ne in fluminibus terrarum nostrarum Liuonię quibuscunq; ab antiquo nauigabilibus obstacula fiant, vt tam piscibus, quàm nauibus, & lignis liber transitus permittatur, bonis ac iuribus nostris regalibus, & quorumcunque priuilegijs antiquis, & pręscripta consuetudine saluis.

De bonis terrestribus ciuium, & nobilium ciuilibus.

Ciuibus bona terrestria, & nobilibus ciuilia bona liberum sit deinceps emere: ita tamen, quod ad paria onera vtrinque ferenda sint obligati. Quod scilicet ciues ratione bonorum terrestrium omnia nobilitatis onera, & nobiles ratione ciuilium bonorum omnia ciuilia onera, æquis passibus ferant, & eidem iuri subsint.

De Prædonibus.

Statuimus, vt præsides & capitanei, quisq; in suo præsidatu, & capitaneatu diligenter fines terrarum obseruent, ne prædones & grassatores ingrediendo impunè grassentur.

Rustici arma non ferant.

Et præterea ne rustici cum bombardis, cuspidibus, lanceis, gladijs aut similibus armis, publicè aut priuatim incedant atq; ea deferant, nisi ad venationem, aut publicam pacem tuendam, à dominis & potestatibus suis euocati fuerint. Scultetis etiam exceptis, quibus ob publicam functionem, armatos esse liceat.

De mercimonijs, & rusticis.

Ne etiam mercatores & præsertim peregrini siue exotici homines, in nobilitatis ac ciuitatum iniuriam, merces in villis ac pagis clàm & publicè coëmere, & negociationes exercere audeant, authoritate nostra regia firmiter prohibemus. Statuentes vt deinceps subditi dominorum merces & res suas vendibiles in ciuitatem ducant, & in foro publico venales exhibeant. Cum verò suprà actis temporibus, plebem rusticam miris modis pressam in Liuonia fuisse audiamus eam ad tolerabilem statum reducendam, eiusque rei rationes aliquas in conuentu prouinciali ineundas censemus, ad quã nos quoque authoritatem nostram, & ordinationem, communicato cum prouincialibus in eodem conuentu consilio, abhibebimus.

De mercimonijs Moschouiticis.

Mandamus locum tenenti nostro, præsidibus, capitaneis ac alijs prouinciæ ac ciuitatum magistratibus, vt merces omnes Moschouiticas, Plescouia, & aliunde perditiones nostras, Rigam, aut Pernauiam, quo ad diuersum aliquid pro ratione temporis statuerimus, dirigant. Riga verò & Pernauia trans mare, tum in Lituaniam Poloniamque nec ijs mercimonijs vti, nisi subiectos nobis patiantur sub graui animaduersione.

De constitutionibus in posterum faciendis aut emendandis.

Si quid postea de statu Liuoniæ, eiusq; bono ordine statuendum sit, aut in suprascriptis constitutionibus emendandum, mutandum, addendum, id prout res ac necessitas tempusq; exigit, matura ac bona deliberatione faciemus. Quæ omnia & singula vt suprà scripta sunt sancimus ac decernimus robur debitæ firmitatis habere debere, ac ab omnibus in eadem prouincia obseruari, ab ijs verò quorum interest manu teneri, & exequi. Harum quibus sigillum nostrum appressum est, testimonio literarum. Actum & datum Varsauiæ, die quarta Decembris correctionis. Anno M.D.LXXXII. Regni nostri, anno septimo.

Per manus illustris, & magnifici Ioannis de Zamoscie, regni nostri supremi Cancellarij, & exercituum regni generalis. Cracouiensisque ac Mariemburgen. Miedzyrzecen. Knyschynen. Krzeszouiensis, &c. Capitanei. Sincerè nobis dilecti.

STEPHA-

STEPHANI POLONIÆ REGIS LITERÆ AD ORDINES REGNI POLONICI, DE *rebus à se in bello aduersus Moschos superiori æstate gestis.*

Anno 1580. Die 6. Septembr. ad Vielikolukum scriptæ.

STEPHANVS *Dei gratia rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Liuoniæq;, Transyluaniæ princeps. Reuerendiss. Reuerendis, Magnificis, Nobilibus, Famatis, Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, Regni nostri Senatoribus: præterea cuiusuis ordinis subditis nostris sincerè fidelibus nobis dilectis Gratiam nostram Regiam. Reuerendissimi, Reuerendi, Magnifici, Generosi, Nobiles, Famati, sincerè fideles nobis dilecti.*

Notum facimus, quàm libenter & decreta communibus Reipublicæ comitijs geramus, & de rebus à nobis gestis, Sinc. & Fidel. vestras faciamus certiores.

Cùm superioribus proximis Reipublicæ comitijs placuisset bellum contra Moschouiæ ducem susceptum continuari : nihil prætermisimus, quod posset ad illud rectè atque ordine administrandum, & in primis ad exercitus cùm veteres retinendos, tum nouos conscribendos pertinere, quibus omnibus postquam, vt ad Ciusniciam (quo loco nos, & Russiæ, contra iniurias Moschi, præsidio esse posse, & ad primarias alias atque alias arces hostiles, per opportunos aditus habituros intelligebamus) certo die conuenirent, edixissemus: Nos Vilna profecti, eôdem ad octauum Iulij mensis diem peruenimus, ac in primis frequentiore & Senatorum nostrorum & hominum militarium conuentu, de belli administratione & quò potissimum arma in hostem inferremus, ad concilium nostrum retulimus. in quo, etsi variæ initio dictæ sententiæ fuissent : eò tamen descensum postea est, vt Vielikolukum nobis cum exercitu ante omnia mouendum, eámque arcem omni conatu oppugnãdam concluserimus:

mus: secuti quàm maximè cùm ipsam seriem & quasi tenorem gerendarum rerum, qui nos ex locis anno superiore proximo expugnatis, re recenti, Vielikolukum vocare & ducere visus est, tum Russiæ defensionem, quam vniuersam, eo loci cum exercitu progressi, nos ab hostili vi tueri posse intelligebamus.

Præterea Lucensis arcis situ, fama, ditionis amplitudine, vbertate (qua exercitus nostri sine ditionum nostrarum detrimento alicui sustineri possent) opportunitate denique ad signa nostra penitius in hostilia loca inferenda, hostémque ad aliquam prælij dimicationem eliciendum, cæteráque deinceps ex Vielikoluko facilius promtiúsque administranda adducti.

Habito igitur exercitus nostri delectu, ex agro Ciusnicienſi, Vitepscium profecti sumus: quo in itinere cùm arces duas hostiles (Vielescium vnam, in Dunæ ripa Vitepscio ex superiore fluminis loco oppositam : atque alteram Vsuiatum, quæ ad amnem cognominem in Dunam fluuium illabentem, & propius Lukum versus ferentem, sita est) excluseras nos tormentorum & commeatus ad exercitus nostros supportandi commoditate accepissemus, & cætero cùm studium nobis esset Du-

nam flumen magis magísque ab hoste in potestatem nostram vindicare: quò res maiore celeritate conficeretur, magnificum Ioannem de Samayſczie Regni nostri Cancellarium, & cum ijs copijs, quas hoc in bellum nobis adduxit, & alijs additis, Vieleſcium oppugnandi cauſſa præmiſimus. qua ex arce cùm vnius diei oppugnatione præſidium hoſtile feliciter deiecisſet, nos ea potiti (præmiſſa primo agmine Lituanicarum copiarum parte) Vſuiatum cum exercitu acceſsimus, locúmque munitionibus oppugnandi cauſſa iam actis, metu potius admoto quàm vi adhibita, deditione cepimus.

Inde contractis in itinere copijs omnibus, quas duarum iſtarum arcium oppugnatio diuiſerat, mouimus, & ſuperata locorum inde ab Ciuſnicia incredibili vaſtitudine itinere (ſummo cum labore militum ac ingenti difficultate, qua Vſuiatum, quà Vieleſcium exercitus iuêre, & per aſſiduas denſiſsimáſque ſyluas) facto, Vielikolukum progreſsi, ad arcem vigeſima ſexta menſis Auguſti die caſtra metati ſumus. quæ in caſtra cùm id temporis ab magno Moſchouiæ duce legati ad nos veniſſent, nulla interpoſita mora eos audiuimus.

Verùm cùm à nobis, contra omnes noſtras rerum

rum gerendarum rationes, contráque dignitatem noſtram, poſtularent, vt nos in Lituaniam cum exercitu referremus, negaréntque, niſi id ante omnia feciſſemus, ſe per Principis ſui mandata quidquam de iſta legationis cauſſa dicere poſſe: nos repudiata & poſtulationis indignitate & inſidioſa tergiuerſatione, non ceſsandum rati, eundē Ioannem de Samoyſczie Cancellarium cum copijs ſuis atratis, cæteríſque, quas ad Vieleſcium habuerat, tum omni noſtro peditatu Polonico atque Vngarico, trans flumen propius arcem caſtra alia facere, atque ibi curare iuſsimus: illáque ex parte nulla mora munitionibus, quibus viſum eſt locis, actis, & quo oportebat perductis: ipſis Kalendis Septembris oppugnationem maiore apparatu ac conatu ſuſcepimus, nihilque aut lenitatis aut terroris prætermiſimus, aut oppugnationis non adhibuimus, quò integra arce potiremur.

Verùm cùm & præſidiariorum ſumma eſſet loci retinendi pertinacia, & vltima ſibi expectanda coniuraſſent, & arx (non modò loci natura in edito, planiſsimis circum locis, partim intra fluminis Louatij, partim intra lacuum complexus ſita: nec tantummodò conſuetis antehac Moſchis parietum denſiſsimorum contignationibus firma: ſed aggere etiam denſiſsimo ac latiſsimo &

ceſpite extrinſecus obducto: tum, quà flumen aut lacus non ambiunt, foſſa maiore munitiſſima) omnino Polociam omni genere firmitatis ſuperaret: adhæc præſidium validum, & Polociæ aliarúmque arcium propugnatione (è quibus à nobis anno ſuperiore impetrata ſalute diſceſſerant) exercitatum ineſſet, vt omnino ſine maiore militum noſtrorum interitu ac diuturniore obſidione, ſi in inſtituto permaneremus, expugnari non poſſe videretur: neceſſariò res nobis incendio experiunda fuit, quod cùm magna militum noſtrorum virtute & diſcrimine, primum ex Vngarorum peditum munitionibus illatum & hoſte incredibilem in modum reſtinguente, ſæpius per triduum repetitum atque diutius altum eſſet, vt deinde ex altera etiam parte per militem Polonicum & atratas illas cohortes (aggere ad propugnaculum maius ad ligneas vſque ſubſtructiones ſuffoſſo) nocte ante quintam Septembris diem maius conflaretur: præſidium verò, quod adigni iam temperari nullo modo poſſet, ab obſtinatione hoſtili non diſcederet: factum eſt, vt & arcem flamma, & quicquid propè hominum in arce fuit, (per militarem iracundiam hoſtili illa pertinacia, & acceptis in oppugnatione incommodis, & eorum, qui Polocia ac cæteris ex arcibus iam antea occupatis

patis impunè dimiſſi fuerant, hoc in loco ad hoſtilia reditu irritatam) quinta iſtius menſis die prima luce deleuerit.

Dum hac in oppugnatione verſati ſumus, Oratores magni Moſchouiæ Ducis iterum apud nos dicendi poteſtatem ſibi fieri petiuerunt: qua impetrata, cùm ea exponeret, quæ honeſtè nobis & Reip. paci, & ſarciendis incommodis, quæ ab eo hoſte accepta ſunt, minimè ſatisfacerent, leuioráque omnia, quàm noſtra dignitas & iura Reipub. paterentur, proponerent: oſtendimus nos ad iſtiuſmodi deſcendere nõ poſſe, cúmque illi alia mandata ſe hoc tempore non habere dixiſſent, & à nobis peterent, vt dare ad magnum ſuum Ducem Moſchouiæ literas liceret, quibus eum de noſtra voluntate atq; conditionibus redderent certiorem: ne quid prætermiſiſſe videremur, quod ad ſpem iuſtæ honeſtæq; pacificationis facere poſſet, & noſtras dedimus ad Moſchum literas & oratores dare ſuas permiſimus: ad quas cùm reſponderit, qua voluntate ſit, certius fortaſſe cognoſcemus. Nos hæc Sinc. & Fidel. veſtras ſcire voluimus.

Cumq; ea, quæ adhuc bene & feliciter geſta ſunt, vni Deo, grata cum animi pietate, acceptaferamus, parq; ſit, vt illi beneuolenti & propitio & nos & omnes in Repub. noſtra (ad cuius hæc vti-

litatem & laudem in primis redundant) gratias agamus: hortamur Sinc. & fidel. vestras, ad ea omnia gratarum mentium studia, quæ supplicationibus, alijsq; rebus, quoties bene gesta est Resp. suscipi consueuerunt.

Quemadmodum hæc res porrò administranda, & hic locus nobis tuendus & retinendus sit, de hoc pro tempore consilium capimus.

Quæ deinceps è Republ. geri à nobis hoc bello poterunt, in ijs studium, consilium, curam, operam omnem nostram libenter consumemus. Bene valeant Sincer. & Fidel. vestræ. Datum ex castris nostris, ad arcem nostram Vitlikolukum, die sexta mensis Septembris.

Anno Domini M. D. LXXX.

Regni nostri Quinto.

EX

EX LITERIS DECIMO OCTAVO OCTOBRIS, REGIOMONTE BORVSSIÆ DATIS.

REgem Poloni nacti sunt virtute, sapientia, eruditione, magnitudine animi, & artibus belli præstantem: iustitiæ amantem: cædibus, libidinibus & alijs flagitijs infensissimum. Is cùm hostem petiturus Vilnam veniret, proditorem ex Lituanicis magnatibus quendam deprehensum, iudicio Lituanicorum & Polonicorum Senatorum damnatum, capitis pœna affecit. Vilna egressus in hostem, mirabilem DEI *præsentiam & tutelam expertus est.*

Nam cùm in Lituanici cuiusdam principis villa pernoctaturus esset, & is Regi exitium pulueré bombardico struxisset, eumque vnà cum ædibus perdere cogitasset: fraudem nidor pulueris detexit: & Regem præsenti periculo liberauit, & proditori meritas pœnas attulit. Cætera quæ consequuta sunt, malo te ex Regijs, quàm meis, cognoscere.

Vnum addo de clade quorundam Polonorum. Cum victoriam Regis, præfectus Orsensis audisset, collecta suorum manu ad 2500. Schmolenciam vsque excurrit. Hostes arbitrantes integrum regium esse exercitum, non ausi sunt con-

contra prodire. Interim Poloni, missa à Moschorum Principe auxilia adoriuntur, fundũt, & præda magna potiti Orsam repetunt. Verùm Moschi ex captiuo, cognita nostrorum paucitate, insequuntur, & nihil tale timentes opprimunt, ita vt de toto exercitu vix 500. cum Ducibus fuga Orsam elapsi sint.

RERVM POLON. TOM. II.

POLONIAE, LITVANIÆ, SAMOGITIÆ, RVSSIÆ, MASSOVIÆ, PRVSSIÆ, LIVONIÆ, MOSCHOVIÆ, Tartariæ, quæ generali vulgò Sarmatiæ Europææ nomine veniunt, Chorographicam descriptionem; tum verò Palatinatuum, districtuum, ciuitatum, arciumq; singulis subiectarum, accuratam recensionem complectens.

Sauromatiæ Europææ situs.

SAVROMATIÆ Europææ gentes, regionumq; quas complectitur situm descripturus, operepretium me facturum, & rem non iniucundam Lectori existimaui: Si in primis Europæ, ipsius fines, quibus ab Asia & Africa disterminatur, præponerem. Europa itaque pars mundi tertia, ab Europa Agenoris regis Libyæ & Syriæ filia denominationem traxit, cuius insigni

Europæ denominatio ab Europa Agenoris regis filia.

pulcritudine Iupiter (vt poëtæ fabulãtur) captus, nullam aliam occasionem ad effectum insani amoris habens, in bouem niueum sese transfigurauit, in littoreque maris viridifero, vbi virgines cæteræ cum Europa reginula ludebant, armentis boum se interiunxit. Europa vitulum præ omnibus pulcerrimum videns tergo eius insedit, qui confestim in mare cum ea insiliens, in Cretam insulam, siue Candiam, dicitur eam transtulisse. Porrò Europam ab Oriente Tanais fluuius celeberrimus disterminat, à Meridie mare Mediterraneum, à Septentrione Anglicus siue Britannicus Oceanus, ab Occidente verò Oceano Atlantico finitur. Hæc pars mundi cæteris duabus, vtpote Asiæ & Africæ, minima est, sed ad habitandum habilior, conuenientiorque & moderatior. nam neque calida torridave, nec etiam frigida nimis, ideo habitatoribus copiosior, frequentior, pleniorque est, exceptis regionibus septentrionalibus Oceano glaciali contiguis: quæ aliqua ex parte ob intensa frigora inhabitabiles sunt. Religione quoque Christiana, moribus, & viuendi consuetudine, incolarum, vrbiumque frequentia, & rerum commestibilium fertilitate, cæliq; & aëris temperie, Asiæ & Africæ, quamuis longè amplioribus facilè anteponitur. Ducentis quadraginta quinq; milliaribus Germanicis in latitudinem patet, à mari Ægæo siue Ionio ad Oceanum vsque Hybernicum. In longitudinem verò septingentis sexaginta milliaribus extenditur, à Portugalia videlicet regno Hispaniæ, ad Tanaim vsq; fluuium, qui Sarmatiam ab Asia disterminat. Inchoatur autem Europa ab Oriente à fluuio Tanai, à Meridie verò ab Ægæo mari Græciæ. In

Europæ termini.

Quot milliaribus pateat Europa.

Intellige hic milliaria Polonica siue Germanica, quæ Italica 5. & Moschouitica totidem cõplectuntur.

In hac parte orbis tertia, Sauromatia regio amplissima, multas nationes regnaque, eiusdem generis complectens (de qua nobis res agitur) sita est. Est autem duplex Sauromatia, vna Scythica siue Asiatica, in vlteriori orientalive ripa Tanais & Volgæ fluuiorum, quam incolunt Tartari siue Scythæ Zawolhenses, & plures alij in Hordas, id est tribus certas diuisi. Altera Europæa Sauromatia dicitur: cuius coloni sunt Poloni, Russi siue Rutheni, Lituani, Massouitæ, Pruteni, Pomerani, Liuones, Moschouitæ, Gothi, Alani, Walachi, & Tartari qui in hac ripa Tanais fluuij occidentali, iuxta Pontum Euxinum degunt. Hanc ab Oriente Tanais fluuius, palusque Mæotis ab Asia dissimilat, ab Occidente verò Vistula, vel secundum quosdam Odera fluuius, à Meridie montibus Vngaricis *Beskid* gentiliter dictis terminatur, ab æquinoctio mari Germanico siue Sarmatico fines suos à Germania dirimit.

Sauromatia duplex.

Sauromatia Europea situs fines q.

Ptolemæus verò libro 3. cap. 5. Sarmatiam Europæam, à Septentrione Oceano Sarmatico terminari scribit, iuxta sinum Venedicum, ad fines vsque Engroneland terræ incognitæ vltra Nortuegiæ regnũ longè patentis. Ab Occasu Vistula fluuio & parte Germaniæ, quæ est inter caput ipsius & montes Sarmatarum. A Meridie Iazygis Metanastis, quę est gens Hungarica, ab Oriente Isthmo eam ambiri refert, à Carcinito fluuio per Bicen paludẽ, & latere paludis Męotidis, vsq; ad Tanais fluuium in prouincia Resanensi Moschouiæ fontes habenti, hic autem fluuius Asiam Scythicam ab Europa dissimilat. Ab australi deinde plaga Sarmaticorum montium iugis ad Carpatum vsque montem, Tatri siue *Beskid* vulgò

appellatum, Sarmatia Europæa finitur, denique per Walachiam Moldauiamq; ad Boryſthenis vſq; oſtia, vbi in pontum ingenti aquarum colluuie influit, & per littora ponti ad Carcinitum vſque fluuium ex montibus Circaſſorum Quinquemontarum defluentem extenditur Sarmatia Europæa, ſecundũ Ptolemæi coſmographorum principis opinionem. Qui etiam hos fluuios ætate ſua celebriores Sarmatiam præterfluere aſſerit. Viſtulam qui & Vandalus, Iſtula ſiue Iuſtula varijs nominibus apud veteres enunciatur, hic ex montibus Sarmaticis emergit, Sileſiaq; & Polonia, Maſſouia, Pruſſia præterlapſis multis fluuijs exhauſtis apud Gedanum Pruſſiæ emporium celeberrimum, in mare Sarmaticum ſiue Balticum exoneratur. Cronon quoque fluuius inſignis in Ruſſia non longè à Turow oppido ortus, Ruſſiæ regiones & Lituaniæ ac Pruſſiæ percurrens, poſt Viſtulæ oſtia ad Septentrionem reflectendo, in Germanicũ quoque mare (quod Cronium inde fortè dicitur) influit, vulgò *Niemen* appellatur. Rubon quoq; fluuius, qui nunc *Dzwina* vulgò, Latinis & Germanis *Duna* dicitur, in Ruſſia Moſchouiæ fontes ſuos habet, & magna parte Ruſſiæ, Lituaniæ, & Liuoniæ præterlapſis in prædictum mare, à Riga Liuoniæ metropoli duobus milliaribus, ampliſſimis oſtijs poſtquam centum triginta milliaria Polonici à fontibus ſuis emenſus fuerit, ingreditur. Ternutis quoq; & Cherſinus fluuij ſecundum Ptolemæum ex Riphęis montibus naſcentes, in prædictum mare exonerari dicuntur, qui mihi *Narew* & *Bug* vulgò dici videntur. Præterea Sarmatia Europæa multos alios fluuios celeberrimos habet, vtpote Boryſthenem *Neper* vulgò dictum,

Celebriores fluuij Sarmatiæ Europææ.

ctum, in Pontum Euxinum influentem, Hypanin, qui hodie *Bog* (non Bug, qui Viſtulæ commiſcetur) dicitur, Tyran qui Dneſter propriè à *tirando* Italico verbo, quaſi ſagittando dictus. Horrida enim violentia aquas impellit. Inſuper Viliam, Diſnam, Peripetum, Sluczam, Naruam in Liuonia, & alios complures nauigabiles fluuios, quos recenſere longum eſſet. Hoc itaq; in imperio Sarmatico, cuius modò limites ex Ptolemæo & noſtra propria experiẽtia deſcripſimus, rex Poloniæ à maioribus ſuis belli vel pacis iure acquiſito rerum potitur, & modernis temporibus Sarmatia Poloniæ regis potentiſſimi & inuictiſſimi Monarchæ his finibus includitur.

A montibus Sarmaticis, & Tranſſyluaniæ palatinatu, ad Viſtulæ fontes, vbi incipit ducatus Teſſinenſis, inde per Sileſiam ad Oderam fluuium, & vſq; ad Marchiam Brandeburgenſem, ac Francfordiam, per Pomeraniam quoque longo tractu ad littus Oceani Germanici, ſinumq; Codanum ſiue Balticum, per latus demum ſeptentrionale per Samogitiam, Curlandiam, Liuoniæque ampliſſimum dominium, ad Phinlãdiam vſq; vltimam ferè orbis regionem Suecorum regi ſubiectam, Orientem verſus per multas regiones Ruſſię ad Moſchorum principis imperium vſque extenditur. A Germanico verbo Oceano ad Alexandri Macedonis aras per campeſtria deſerta ad paludes Mæotidis longiſſimo tractu vltra Boryſthenem procedendo, deinde à Ponto Euxino per campos Podolienſes, & per Moldauos ac Walachos redeundo Iazygis Metanaſtis vel Tranſſyluanis & Hungaris, montibusq; qui hodie Scepuſienſes dicuntur, à Meridie imperium monarchæ Polonię diſiungitur.

Sauromatæ Strius denominatio.

Dicta est autem Sauromatia Græcis, similitudine sumta ab hominibus viperinos oculos habentibus, terribilibus scilicet & crudelibus: nam σαῦρος Græcis viperam, ὄμμα verò oculum sonat. Atque nunc in primis de Polonis præcipua gente Sauromatica dicendum nobis occurrit.

DEDVCTIO ET ORIGO ANTIquæ bellicosæq; gentis Sauromaticæ, ex qua Poloni ortum genusq; suum ducunt.

DEductionem originemq; Polonorum ac regum, eorundem gesta secundum ordinem descripturus; paucis obiter Lectorem admonendum volo, ne quid me in principio rei de Polonis dicturum sigillatim existimet: consequens enim est, vt antiquissimæ gentis Sauromaticæ siue Slauonicæ originem, & mores priscos, altius in primis inuestigaremus, quod pro rei ipsius faciliori intellectu fortasse vtilius erit. Liquet apertè ex scripturis sacris veteris legis, ad quod etiam omnium historicorum consentiens opinio est: Iaphet filium natu maximum Nohæ, post illud totius mundi diluuium, Orientem & Septentrionem versus in Europa & in Asia minori primùm consedisse, illicque cooperante diuina voluntate in maximam gentem excreuisse, quod ei cùm etymon nominis dilationem significatis, tum fausta Nohæ parentis imprecatio portendebant. Sic etiam Nohæ ille patriarcha præfigurans necessariè futuram esse trinam conditionem vitæ humanæ; filijs suis dixisse, singulisque singula officia administranda iniunxisse & demãdasse fertur, vt vnusquisque

Iaphet Nohæ Patriarchæ filius ubi consederit post diluuium.

Etymon Iapheti.

Nohæ filijs singulis singula munia obeũda demandat.

quisque suæ vocationi prædefinitæ correspondaret in hæc verba: Tu Sem, ora velut sacerdos, munus diuinum obiens: tu Cham, labora agros colens, & artes mechanicas exercens: tu Iaphet, rege & protege velut rex & miles arma exerce, cæterosque certis propositis legibus in officio retine. Quod mandatum & testamentum Nohæ hæc vsque in tempora durare videmus: vnaquæque etenim natio ex illis filijs eius propagata, suam vocationem ex quadam prædestinatione, & paterna imprecatione exercet. Posteritas igitur Iapheti, cùm maiorem orbis terrarum partem in Europa Asiaque minore occupauerat, testamento patris sui, & faustæ imprecationi Nohæ patriarchæ correspondentes, statim ad arma exercenda animum adiecerunt, & in numerosam gentem temporis successu sub duce Gomero Iapheti filio in orientali, vbi Armenia, & septentrionali plaga excreuerunt, ad Bosphorumque Mæotidi paludi proximum, qui nunc Cimmerius dicitur, & ad fontes ostiaque Tanais longo tractu sedes suas habuerunt. Postea potestatem & prælaturam, sub qua cæteri regantur, necessariam esse considerantes ad Tuisconem siue Ascenam Gomeri filium imperium detulerunt, qui Beroso teste latissimè à fontibus Tanais ad Rhenum vsque fluuium Germaniæ imperauit. Hunc Tuisconem prædictus Berosus historiographus Germanorum omnium, Sauromatarumque pariter conditorem esse asserit. quo testimonio satis rectè probaretur Sarmatas siue Slauos cum Germanis vnum esse, cùm ab eodem autore & propagatore processerint. Crantzius quoque ratiocinatur Polonos Bohemosque

Ora, labora, rege, protege.

Iapheti posteritas.

Gomer Iapheti filius.

Tuiscones Gomeri filius.

Berosi testimonium.

Crantzij opinio.

Germanis congeneros esse, eò quòd frequens Germanicæ linguæ apud hos populos vsus fuerit, & vestibus Germanicis multi eorum vtantur. Qua ratione quoque probaretur eos Latinos, vel Italos, Hungarosq; esse: nam hæ quoque linguæ, idemq; habitus apud Polonos nunc ex magna parte in vsu esse cœperunt, & Latina lingua omnes ferè nationes vincunt. Non rectè igitur Crantzius hîc ratiocinari videtur, si enim Slaui vel Sauromatæ ex Germanis oriundi essent, eademq; cum eis antiquitus lingua vterentur, vnde igitur Sarmaticæ siue Slauonicæ linguę apud Sarmatas vsus ortus esset? qua hæ gentes passim & vulgariter vt pote innata vtuntur, habitu quoque, moribus, & vitæ consuetudine Sarmatæ à Germanis penitus diuersi sunt, quod etiam Plinius approbat, dicens: Sarmatæ quidem certè Germani nõ sunt, sed ab ijs Vandalo siue Vistula fluuio ad ortum Solis vergentes dirimuntur, cui sententiæ probati antiquitatis indagatores Cornelius Tacitus, Strabo, & Ptolemæus adstipulantur. Sed ad rem vnde digressus sum redeo. Illa posteritas Iapheti impigra, strenua, manuq; promta & bellicosa extitit, quod res ipsæ ab illis strenuè audacissimeque gestæ abunde testantur, toto enim orbi terrarum tunc temporis terrori dicuntur esse, vnde à Græcis Sauromatæ in primis appellati sunt, deducto nomine à σαῦρος, quod est vipera, & ὄμμα oculus, quasi dicas gens terribilis cum viperinis oculis. Ab hoc itaque tempore hæc gens regionesq; eorum, quas incolunt, Sauromatię nomen retinent. Hi postea tempore succedẽte, & indies magis ac magis numero populi accrescente, videntes illas sedes patrias propter se progeniemq; paulò arctiores esse, à

Plinij de Sarmatis assertio.

Sauromatæ vnde dicti.

se, à Tanais fluuij ostijs & paludibus Mæotidis Meridiem versus vlterius processerunt, per regionesque propinquas, Daciam, Russiam, Lituaniam, Borussiam, quæ nunc Prussia dicitur, Liuoniamq; longè & latè diffusi sunt. Quorum maior pars in has prouincias campestres, quæ hodie à Polonis coluntur, commigrauit, fluuijque Vistulæ (quæ antiquis Vandalus dicebatur) vtraq; ripas occupauerunt, & statim cum antiqua gente Teutonum, quæ etiam ad Vistulam fluuium in tugurijs antiquitus degebat, societatem atque amicitiam velut aduenæ contraxerunt, propter communem prædam & rapinas, cùm adhuc minimè assueti essent sudore proprio vel agricultura, artificijsque, victum acquirere. Manu itaque coniuncta frequentes irruptiones in Prussiam, Saxoniam & Pomeraniam exercebant, prouinciasque maritimas assiduis excursionibus diuexabant, & mare Balticum siue Germanicum propter res sibi necessarias acquirendas piratarum more remigijs tentabant. Quando verò & qua occasione hæc migratio Sauromatarum à fontibus ostijsque Tanais fluuij & paludibus Mæotidis in has regiones contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quibus id cõstare possit, ignotum est. Si enim literarum cultura æquè ac res militaris apud Sauromatas tunc tẽporis floruisset, certiora de suo in hæc loca aduentu, alijsq; rebus præclarè gestis monumẽta reliquissent, sed ipsi animosè viriliterque agere, & bella exercere, quàm eleganter & ornatè scribere maluerunt. Sabellicus tamen & Herodotus scribunt Sauromatas & Cymbros à Lydorum rege Aliate ex Asia ejectos esse. Quidam etiam opinantur eos vi à

Sarmatarũ prima commigratio.

Sarmatæ ad Vistulã fluuium Venerũt, & cum Teutonibus amicitiam contraxerunt.

Sauromatæ olim literarum ignari, bellis armisq; assiduè studentes.

Sabellici & Herodoti de Sarmatis opinio.

Gothis expulsos sedibus patrijs emigrasse, quod veri simile non videtur, sed potius suapte sponte, ac voluntate, siue fato quodam impulsos, siue opū alienarum cupiditate accensos, cultiora loca appetisse eos existimauerim. Neque verò soli Sauromatæ, sed & aliæ quædam gentes ipsis conterminæ sedibus patrijs relictis, in alias terras cultiores migrantes transierunt, inter hos Cimmerij siue Cimbri, Gothæ, Daci, Sueui siue Tuiscones, & Sacæ qui nunc Saxones dicuntur. Hi etiam in hæc vsque tempora Sarmatis sunt conterminī. Neq; verò vniuersam gentem illinc sese simul effudisse constat, sed remansisse nonnullos, qui relicta ab alijs loca colerent, quod moderni incolæ istius oræ, iuxta Tanaim fluuium degētes, apertè testantur, vtpote Tartari Campestres, qui longo tractu iuxta Tanaim fluuiū & paludes Mæotidis, Pontumq; Euxinum viuunt. Hi enim à veteribus Sarmatis moribus & institutis haud dissimiles sunt. Sed ad rem redeo. Illi Sauromatæ qui ad Vistulam fluuium consederant, cum Teutonibus cōmilitonibus suis omnes prouincias circumiacentes & colonias suas frequentibus diuexationibus depopulatas ad nihilum redegerunt, & victum ampliusacquirere non potuerūt; agros enim non colebant, sed paratis & raptis viuebant. Ideo sterilitate soli per ignauiam suam caussata, adiunctis sibi in societatem vicinis Teutonibus vltrius (inquirentes fertiliores prouincias) processerunt, quorum multitudo trecenta millia virorum excessisse fertur, & à fluuio Vandalo, nunc Vistula dicto, quem accolebant Vandaliæ (Sarmatorum nomine abolito) appellati sunt. Primò itaque hi Vandalitæ populabundi in Pannoniam excurrerunt Constantini

Caussa adueētus in hæc loca Sarmatarum.

Sarmatarū cum Teutonibus à Vistula fluuio, à qua Vandalitæ dicti sunt, in Pannoniam cōmigratio.

stantini Magni temporibus, eamq; 40. annis (expulsis primis eius incolis) occupatam tenuerunt. Deinde Hungaricis historiographis testātibus à Gothis illinc eiecti expulsiq; sunt. Polonorum verò annales testantur Vandalitas ex Pannoniæ finibus eductos per Stillicum ducem suum in Italiam, quam armis vndiquaque crudeliter peruastarunt. Postea in Hispaniam cum eodem duce suo Stillico commigrarunt, ex Hispanijs verò per mare Herculēum nauigantes in Africam deuenerunt, vbi annos ducentos in pace & abundantia omnium rerum peregerunt, Romanumq; imperium nauali & terrestri bello varijs excursionibus debilitarūt, ac ipsam Romam sub Sixto Papa, vt quidam volunt, anno Christi 429. crudeliter vastauerunt. Tandem anno Domini 538. Iustinianus Imperator per ducem celeberrimū exercitus sui Belisarium, virum insignem, & rebus gestis clarum, eos cruento prælio profligauit, ex Africaq; funditus exterminauit, rexq; eorum Gilimerus captiuus Constantinopolim abductus est. Aiuntq; nonnulli hoc prælio Belisarij, Vandalitas ad internecionem vsque gentis cæsos deletosq; fuisse, sed id à vero esse alienum non vno argumento liquet. Etsi enim vires eorum adeò fractæ attritæq; essent, vt robur vetus & potentiam pristinam recuperare pòst nunquam potuerint, reliquiæ tamen eorum ita fuga dispersæ sunt, vt quidam in Poloniam ad Vistulam fluuium natale videlicet solum vnde ortum duxerant regressi, nonnulli in Græciam & Pannoniam, Germaniamq; nouis quærendis sedibus dilapsi sint. Horum reliquiæ vltra Albim

Vandalitarum in Italiam Hispaniamq; eruptio.

Vandalitæ in Africa. Vandalitæ Romam ceperunt.

Vandalitæ ex Africa pulsi.

Vandalia ducatus.

fluuium in Septentrionem sparsim habitantes Slauonico idiomate maiori ex parte vtuntur,& ducatus quem incolunt,confinis Prussiæ Vandalia nuncupatur, cuius dux, Prussiæ Polonorum feudalis titulum sibi vsurpat. Porrò omnes Germani denominatione à Vandalis sumta, omnes Sarmatas Slauonica lingua vtentes, *Wenden*, siue *Winden*, & *Vindis* promiscuè appellant, mareque quod Sarmatiam alluit, Venedicum vocant. Cætera horum Vandalicorũ gesta breuitati consulens omitto, nihil etenim de eis scribitur, solũmodo barbara atrocitas & immanitas, qua crudeliter in omnes sæuiebant, adhucque hodie in Litanijs catholicæ Ecclesiæ Romanæ canitur, à Vandalis libera nos Domine, &c. Post hos Vandalitas ex ijsdem Sauromatiæ sedibus, alia à fluuio Tanai, & paludibus Mæotidis gens crudelis, priori non dissimilis, ortum duxit, qui Roxolani siue Rossani, & Rutheni Russiq; cognominati sunt, Procopio historiographo id attestante. Volgari quoque siue Volhinij populi, ex ijsdem sedibus à Volga fluuio amplissimo cognominati, moribus & idiomate Slauonico cum Roxolanis concordantes ortum duxerunt. Volga autem fluuius celeberrimus (quem plurimi Tanaim esse falsa opinione ducti existimabant) Ptolemeo Rha, Tartaris Edel dicitur, Moschouitasque certis limitibus cum Tartaris Campestribus disterminat. Illi itaque Roxolani siue Russi cum Volgaris ob similitudinem & vnitatem consuetudinis vitæ amicitiam & societatem contraxerunt, coniunctisque viribus in Tauricæ regionem (quæ nunc à Tartaris Præcopensibus occupata est) penetrarunt, inibique locum domicilio sibi delegerunt: quãdiu illic degerint, vel quo tempore

Mare Venedicum.

Roxolani siue Rutheni gens Sarmatica secũda.

Volgari.

Volga fluuius.

Roxolani in Taurica.

aduenerint, incertum est. nullus enim inter eos inuentus erat, qui temporum rerumq; à se gestarum vices literis mãdando posterorum memoriæ factorumque æternitati consuleret. Audientes tandem discordiam pullulare inter principes Christianorum in Græcia, quidam eorum cum duce suo Chrunno Danubio traiecto, rectà in Thraciam populabundi perrexerunt, vbi Imperatorem Constantinopolitanum cum exercitu cruento prælio fuderunt, Nicephorum quoque & Michaëlem Curoplatum Imperatores ad Adrianopolim occiderunt. Tandem Mysia vtraque occupata eam Volgariam à sui denominatione, quæ nunc Bulgaria dicitur, vocauerunt. Alij eorum Russiæ regionem occupauerunt, quam Woliniam (quæ hucusq; hoc cognomen retinet) appellauerunt. Cæteri quoq; Podoliam, Lituaniam, Podlasiam, Massouiamque regiones occupauerunt. Hij omnes loca semel occupata hæc vsque in tempora non mutarunt, exceptis illis qui in Mysia consederãt. Varijs autem nominibus ab historiographis appellabantur. Græci enim eos Sporios, id est dispersos, Sauromatasque, id est crudeles, sumta à viperis similitudine appellabant, cæteri eos Roxolanos, Besos, Guados, Bodinos, à fluuio Borysthene, Bolgaros à Volga, Morauos à Moraua flumine, vel à Morato rege, Antos, Basnos, Carnios, Serbos, Rascios, à Russia, Dalmatas, Slauos, Illyricos, Istrios ab Istro siue Danubio, Bohemos à regione Boëmia, Polonos, à campestri planaque regione, vel à venatione. *Pole* enim, venationem & planitiem Slauis significat, hæcque gens planam ferè apertamque regionem incolit, & apprime venandi studio tenetur. Hæ gentes Sarmatiæ vt

Volgari Sauromatæ cũ Roxolanis tres Cõstantinopolitanos Imperatores occiderunt.

Bulgaria.

Volinia.

Gentes Russiæ.

Sarmatarũ Roxolanorumq; varia appellationes.

Poloni vnde dicti.

in plures diuersasque prouincias diuiduntur, variisq; nominibus appellantur, sic etiam diuersa variaque idiomata præ se ferunt, secundum terrarum & regionum distantias, quamuis omnes vnius gentis & idiomatis Slauonicę fuerint: nam Moschouitæ à Ruthenis aliquantulum, Rutheni quoque à Polonis & Massouitis, sic etiam Bohemi, Croatæ, ab inuicem idiomatis expressione, accẽtibus & prolatione, verborumque immutatione differunt, ita vt sese intelligere difficile possint, nisi mutuo familiaritatis vsu alter alterius linguæ assuetus fuerit. Nam quia Sarmatæ siue Slauones, bellicosi pugnaceśque extiterunt, pacem odio prosequentes, varias mundi partes peragrabant, & pro suo arbitrio occupabant, peregrinorum quoque vocabulorum vsu idioma Slauonicum immutarunt. Apparet autem ex antiquorum historiographorum scriptis, gentem Slauinorum vel Slauorum in Paphlagonia regione Asiæ minoris, tempore belli Troianorum floruisse. Procopius etiam Cęsariensis ante mille & quinquaginta annos de bello Gothico, Iustiniani Imperatoris temporibus scribens, mentionem quoque Slauinorum facit. Blondus verò, qui ante centum decemque annos historiam ab inclinatione Romani imperij conscripsit, antiquiora Arcadij & Honorij tempora persequens, Slauorum meminit. Iornandes autem Alanus in suis Chronicis dicit, id nomen Slauorum suo tempore nouum extitisse, idioma autem hoc, quo nunc Slauones vtuntur, antiquum fuisse. Scribitque hic Iornandes & diuus Gregorius primus huius nominis Romanus pontifex, Slauos ad Istrum seu Danubium Septentrionem versus habitasse, traiectoque Danubio

Varietas sermonis Slauorum.

Causa immutationis Slauorum idiomatis.

Antiquitas Slauorum.

Historiographorũ opiniones de Slauis.

Diui Gregorij de Slauis assertio.

bio Mysiam vtramque, Pannoniam, Macedoniam, Thraciam, Istriam, diuexasse, inter Drauumque & Sauum flumina, in Illyrico & Dalmatia cõsedisse, eis regionibus Slauoniæ nomen indidisse, Romanumq; imperium penitus debilitasse.

Iidem Slaui ne Germaniæ quidem pepercerunt, ac ad eam amplitudinem peruenerunt, vt propè dimidiam Europæ & Asiæ partem teneant, etenim in ea natione connumerantur non solùm ij qui Dalmatiam, Illyricum, Carpatum, & Hungariæ montana tenent, sed aliæ omnes orientales & septentrionales maximæ & fortissimæ gentes, quæcunque Slauonico idiomate vtũtur, vtpote Bulgari, Bosnæ, Serbij, Croatæ, Carnij, Rascianij, Dalmatæ, Istrij, (Burgundi iam Slauorum linguam amiserunt) Styrij, Poloni, Massouitæ, Pomerani, Lusatij, Podolij, Volinij, Rutheni, Moldaui, Moschouitæ latissimè imperantes, Cassubij, Vandali, Silesij, Moraui, Bohemi, &c. In omnibusque his prouincijs ab Oceano glaciali, qui vltra Moschorum principis ditiones longissimo tractu Septentrionem versus extenditur, ad mare vsq; Mediterraneum, & Adriaticum populi idiomatis Slauonici reperiuntur. Sic quoque à Ponto Euxino Moldaui, Valachiique & cæteræ Ruthenorum gentes ad mare vsque Germanicum colonias suas habent. Quamuis plurimi eorum patrium viuendi modum in peregrinos mores commutarint. Bulgari enim, Bosnæ, Rascij, Dalmatæ, cum Turcis & Hungaris, Burgundi, Mysij, Pomerani & Silesij cum Germanis: Lituani, Rutheni, Massouitæ cum Polonis: Istrij, Carniolani, Carinthij cum Italis sentiunt. Attamen omnes hi quamuis inter peregrinas

Gentes Slauonicæ quãtæ & quot.

Slauorum termini.

Slauorum cõmutatio, metamorphosisq;

gentes diffusi dispersique sunt, patrio idiomate Slauonico (diuerso modo licèt) vtuntur. Plurima & præclara gesta hi Sauromatæ exercebant, præcipuè verò cùm Roxolani (quorum posteri nunc Rutheni siue Russi dicuntur) strenuè cum Mithridate rege Parthorum & Ponti belligerarẽt, qui has regiones, quas hodie Turca, possidebat. Cum Romanis quoque & cæteris finitimis regibus longas acies vario Martę tenuerunt, sed quia gentiliter viuebant, literasque ignorabant, ideo etiam præterita recordare, & antiqua gesta ad posteritatem transmittere flocci pendebant. Porrò qui diligentius rem ipsam considerare velit, nullam gẽtem olim Sarmatis bellicosiorem extitisse videbit: hi enim omnes miserias bellicas, frigora, intempestates, & id genus alios casus facilè sustinebant, & propter nomen æternum nulla vetustate aboliturum vitam flocci pendentes, mortis impauidi varijs periculis opponebant, de quorũ insigni fortitudine audaciq́ue animo Ouidius ille Naso, è Roma ad Pontum in regnum Tauricæ relegatus, pro singulari miraculo, Romanis proceribus scripsit in hæc verba, libr. 1. de Ponto, Elegia 2. ad Maximum:

Roxolani cũ Mithridate Ponti rege bellabant.

Sarmatis nulla olim gens bellicosior.

Hostibus in medijs interq́; pericula versor,
Tanquam cum patria pax sit ademta mihi,
Qui mortis sæuo geminent, vt vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.
Hic eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circumeuntis oues.
Tecta rigent fixis veluti vallata sagittis,
Portaq́; vix firma summouet arma sera.

Ad eun-

Ad eundem Elegia tertia.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iasyges acres,
Cultaq́; Orestææ Taurica terra deæ.
Quæq́; aliæ gentes vbi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te pulcerrima curat,
Roma, nec Ausonij militis arma timet.
Dant illis animos arcus plenæq́; pharetræ,
Quamq́; libet longis cursibus aptus equus.
Quodq́; sitim didicere diu tolerare famemq́;,
Quodq́; sequens nullas hostis habebit aquas.

Idem ad Vestalem Eleg. 7. lib. 4.

Ipse vides onerata ferox vt ducat Iasis
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Ac telum caussas mortis habere duas.

Ad Seuerum Elegia 19.

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe,
Tinctaq́; mortifera tela sagitta madet.

Ex hoc igitur testimonio Ouidij Sarmatas bellicosos, imperioq́; Romano minimè subactos esse apparet, cùm dicit:

--nec te pulcerrima curat, Roma, &c.

Porrò quæ de antiquissimis eius gentis moribus, & institutis proferri possint, hæc ferè sunt. Vtebantur primis temporibus vetustissimi illi Sarmatæ siue Slauones, & qui in

Antiquorũ Slauorum siue Sauromatarum mores.

Polonia Russiaq́ue regionibus postea sedes habuerunt, eorũ posteri prisca illa Slauonica lingua, quæ Sarmatis Rutheniſq́ue genuina est. Regem aut principem secundum genus agnoscebant neminem, sed exortis subinde bellis ex suis fortissimum quenq;, & factis illustribus spectatum ducem sibi eligebãt, nec diuturnius cuiusquam erat imperium, quàm ipsum bellum, cuius gerendi dux esset declaratus. Vnde & nunc Polonis rex non nascitur, sed cõsensu senatorum, qui dignus videretur, per sortem eligitur. Ad bella singuli viritim proficiscebantur, arcubusq́; frameis & lanceis oblongioribus vtebantur. Vxores secum ducebant, quę incantationum magicarumq́ue artium gnaræ, augurijs & vaticinijs operam nauabãt, de præliorumq́; euentibus scienter præsagiebant. Fugere in bello res insolens illis erat, quiq́ue id fecisset, ei nullus ad suos reditus patebat, neq; grauiorem vllam turpitudinẽ aut ignominiam nouerãt. Summa apud eos dignitas erat post electos belli duces equitum, quos ab ornamentis Auratos vocamus, ad quam nemini aditus patebat, nisi qui virtute bellica, factisq́; in hostem patratis id assequeretur. Martem, Lunam, Solem, aliosq́ue vanæ religionis deos adorabant,

Rex in Polonia non nascitur.

Expeditio in bellũ antiquorum Sarmatarum.

Fuga in bello Sauromatis turpissima.

Equitũ militũq́; apud Sarmatas antiquos dignitas.

Idola Sarmatarum.

bant, eosq́ue diuersis & certis locis colere, & sacra ipsis facere solebant: de animarum tamen immortalitate rectè sentiebant. Sepulturæ eorum erant in siluis & agris, tumulosq́; aggestis lapidibus vestientes eminenter muniebant, quod genus in Russiæ regionib. passim adhuc visuntur. Nonnulli quoq; more Romano, cadauera cremare, cineresq́; collectos in vrnas recondere solebant, in victu paucis contenti erant. Permutatione rerum necessaria vtrinq; comparabant. Nihil propriũm absq; arcu, framea, & lancea possidebant. Vestibus vilibus, ex corijs ferarum, pellibusq́; vtebantur, ad talos demissis, thesauros, possessiones, prædia, vestesq́ue pretiosas non comparabant. Caussas omnes & controuersias publico in loco Marte iudice armis dirimebant. Hæc planè sunt, quæ de antiquissimis Sarmaticæ Slauonicæq́; linguæ, institutis & moribus extant, quorum potissima pars in hunc vsq; diem apud posteros eorum quibusdam in locis viget.

Sepultura Sarmatarũ.

Victus.

Cõmercia.

Possessiones Sarmatarum arma. Vestitus.

Iudicia.

REGNI POLONICI CVM SVIS PALATINATIBVS DISTRICTIbusq; siue prouincijs, ciuitatibusq; & arcibus principalibus compendiosa descriptio.

REGNVM Poloniæ in Sarmatia Europæa amplissimum & nobilissimum, ab Oriēte nonnihil in Septentrionem reflectendo, Massouiæ, Lituaniæq; contiguum est. A Septentrione Prussiæ, mariq; Germanico siue Venedico adhæret. A Meridie & Oriente simul Russia, Podolia, Valachiaq;, & montibus Hungariæ, Beskid dictis terminatur, ab Occidente Silesia, Saxoniaq;, & Albi fluuio fines suos terminat.

Fines regni Poloniæ.

Porrò Polonia bipartita est, maior & minor. Maior ideo dicitur, quòd in ea Lechus autor Polonorum in primis consederit, ibidemq; Gnesnā ciuitatem, regni sedem, fundauerit. Sed postea sedes regia Cracouiam minoris Poloniæ metropolim translata est, vbi in hunc vsq; diem perseuerat, atq; hanc ob caussam minor Polonia maiori anteponitur, quam in primis describendam aggrediemur.

Polonia duplex.

CRACOVIENSIS TERRA.

CRacouia vrbs celeberrima, minoris Poloniæ metropolis, in planitie insigniter ad Vistulam fluuiū nauigabilem, quo merces omnis generis Gedanū emporium Prussiæ deportantur, condita, muro duplici, valloq; inexcusso, & fossa muro præcincta cingitur. Arx verò in scopulo eminenti, Vauel dicto, ad eundem fluuium sita, sede regum Poloniæ vbi coronantur & sepeliuntur celebris, gymnasioq; & Vniuersitate clara. Eidē alię tres ciuitates, Clepardia, Stradomia, Casimiria contiguè adhærent, hanc Rudawka amnis, illas verò Vistula fluuius interfluit. Porrò Cracouienses aduocato supremo carent, ea de caussa, quòd anno Domini 1312. regnante Vladislao cubitali, quidam aduocatus Cracouiensis Germanus autorem se perfidiæ in deditione vrbis Boleslao duci Opolienſi prębuerit, qui postea perfidię dignas

Aduocatus Cracouiæ.

pœnas, cum ſuis complicibus dedit. Ab hoc tempore rex ipſe prætura Cracouienſi potitur. Caſtellanus quoq; Cracouienſis Palatinum in ſenatus conſenſu accubitu, locoque ſuperat: nam cùm Boleſlaus Krziouoſti, rex Poloniæ (de quo ſuprà) bellicoſiſſimus à Ruthenis dolo circumuentus eſſet. Palatinus honore poſtpoſito, cum maiori parte exercitus aufugit, rege in medio hoſtiũ relicto. Ab hocq; tempore Caſtellanus primas obtinet, in cæteris verò illius regni prouincijs, Palatinus Caſtellanum dignitate antecellit.

Palatinus & Caſtellanus.

CIVITATES DISTRICTVALES in terra Cracouienſi.

HAs ciuitates diſtrictuales p̃cipuas vbi iudicia, cauſſæq; nobiliũ diſceptãtur, cõtinet: Palatinatus Cracouiẽſis, quib. capitanei, iudices, & alij regia munia obeuntes pręſunt.

BIECZ ciuitas muro circũdata, in planitie ſita, eam Rapa fluuius præterfluit, in quo ſpumæ, ex quibus ſulphur conficitur, colliguntur, à Cracouia 15. mil. abeſt.

WOYNICZ ciuitas lignea, ad Dunaiecz fluuium ſita, à Cracouia 9. mil. diſtat.

SANDECZ ciuitas murata in planitie condita: quam Dunaiecz fluuius præterlabitur, à Cracouia 11. mil. diſtat.

LELO-

LELOVIA ciuitas murata, in colle ſita, arcem inferius conditam habet, quam Biala fluuius alluit, à Cracouia 11. mil. abeſt.

KZYAZ ciuitas lignea, à Cracouia 7. mil. diſtat.

PROSZOVICE ciuitas lignea in planitie ſita, in qua curia regia ad Sozeniaua fluuium cõdita eſt, à Cracouia 4. mil. diſtat, in qua cõuentiones terreſtres nobiliũ celebrari ſolent.

Sunt etiam aliæ multæ ciuitates & oppida nobilium & magnatum in terra Cracouienſi: ſed hîc niſi eorum, in quibus terreſtria officia celebrantur, mentionem facimus.

In eadem terra Cracouiẽſi tres ſunt fodinæ inſignes, quæ magnis prouẽtibus theſaurum regium adaugent. Prima in Olkuſſia 5. mil. à Cracouia, vbi plũbi copia, argentumq; effoditur. Secunda in Bochnia ciuitate, quæ 5. mil. à Cracouia diſtat, vbi ſal glaciei ſimile ꝓſpicuum grãdib. maſſis effoditur. Tertia in Wieliczka, 2. mil. à Cracouia, vbi etiã ſal glaciale, ſed vilius Bochnenſi copioſè effoditur.

SENATVS PRINCIPALIS terræ Cracouienſis.

Epiſcopus
Caſtellanus } Cracouienſis.
Palatinus

Castellanus { Sandecensis. Woynicensis. Byecensis. Oswiccimensis.

VEXILLVM TERRESTRE BELlicum, aquila alba coronata in campo rubeo, per alas linea aurea protensa, insignitur.

DIstrictus Sandecēsis vexillum peculiare habet, clypeo diuiso bicolori insignitū.

In eadem terra Cracouiensi duo ducatus cōtinentur, qui iure naturali in ditionem regni cesserunt, Zatoriensis & Oswiecimēsis.

OSWIECIM ciuitas principalis prædicti ducatus lignea, in planitie sita, arcem quoq; ligneam argilla circumlinitam habet, quam fluuius quidam præterlabitur, 7. mil. à Cracouia. Vexillum aquila nigra, O, in pectore habente, insignitur.

ZATOR ciuitas lignea cum arce, à Cracouia 5. mil. in planitie Vistulam fluuium sita, quæ ducatus caput erat, cuius vexillum aquila lasurini coloris, Z, in pectore gestante insignitur.

Huius ducatus Zatoriensis princeps à Spitkowe Myskowski equite Polono, dolosè, occisus est, ab hoc tempore in regis Poloniæ ditionem cessit.

SANDOMIRIENSIS TERRA.

SANDOMIRIA ciuitas principalis, muro circumdata, in colle ad Vistulam fluuium condita, à Cracouia 22. mil. distat. Arcem muratam à Meridie Vistula, prętерfluam habet. Hæ ciuitates districtuales præcipuè ad eam pertinent.

CHECINY ciuitas in loco plano sita, arx verò murata in eminenti scopulo cōdita est, à Cracouia 13. mil. abest. Fodinis lasuli clara, vbi & argentum reperitur.

KORCZIN ciuitas noua lignea, arcem muratam ad Vislok fluuium sitam, habet, quam vndiq; paludes circumdederunt.

WISLICIA ciuitas lignea, quam Nida fluuius circumfluit, muroq; circumdata inter lutosas paludes in scopulo sita, in quibus ingens colluuies reptilium omni generorum grassatur.

PILZNO ciuitas lignea, ad Vislok fluuium sita.

OPOZNO ciuitas murata in planitie, quam Pilcza fluuius præterlabitur.

RADOMIA ciuitas muro vallóque circumsepta, in planitie sita.

POLOVIEC ciuitas lignea inter colles constructa.

ZAWICHOST ciuitas lignea, ad Vistulam fluuium sita, arcem muratam in vlteriori Vistulæ ripa habet.

ZARNOW oppidum ligneum.

MALOGOST ciuitas lignea.

SENATORES TERRÆ Sandomirienſis.

Palatinus & Castellanus Sandomirienſis.

Castellanus { Vislicensis. Radomiensis. Zawichostensis. Zarnouiensis. Malogostensis. Polanecensis.

Vexillum terrestre gestat pro stemmate, clypeũ diuisum, in vna medietate lineas tres rubeas, & tres albas: in altera campum lasurini colores, tribus ordinibus stellarum insignitur.

LVBLINENSIS TERRA.

LVBLIN ciuitas murata, fossa stagnisq; ingẽtibus circumdata. Arx in colle eminentiori ad stagnum amplum condita, muro validissimo fossaq; profunda cingitur. In hac ciuitate triplices per annum nundinæ, quatuor hebdomadas durantes, celebrãtur. Primò pro festo Pentecostes. Secundò, pro ferijs apostolorum, Simonis & Iudæ. Tertiò pro festo purificationis Mariæ. Ad eas ex remotissimis regionibus negociatores, Turcæ, Armeni, Græci, Germani, Moschouitæ, Lituani, & cæteri ex circumiacentibus regionibus, conuenire solent. Iudæi maximam suburbiorum partem occupant, ibiq; synagogam habent præcipuam. Arcem Bystrzica fluuius alluit. Distat autem Lublina à Sandomiria 14. mil. à Cracouia 36. à Wilna 70. à Warsouia 24. Has ciuitates districtuales terra Lublinensis complectitur.

VRZENDOW ciuitas lignea ampla, ad stagnum sita, à Lublina 7. mil. abest.

LVLOW ciuitas lignea, in planitie sita, ex vna parte palude lutuosa, ex alia vallo munitur, à Lublinia 14. mil. abest, districtum satis amplum complectitur.

PARCOW ciuitas lignea, in planitie ad stagnum ingens sita, à Lublina 9. miliaribus abest.

CASIMIRIA ciuitas lignea, inter scopulos ad Vistulam condita, quę tempore exundationis Vistulæ media ferè aquis obruitur, à Lublin 7. mil. distat.

Senatores duos præcipuos terra Lublinensis habet, Palatinum videlicet & Castellanum.

Vexillū terrestre ceruo albo, in collo coronam gestante, in campo rubeo insignitur.

DE TERRIS DISTRICTIbusq́, maioris Poloniæ.

POSNANIA ciuitas insignis, maioris Poloniæ metropolis, ad Vartham fluuium nauigabilem, & Prosna amnem, inter colles condita, muro duplici, fossaq́; profunda cingitur, ædes in ea pulcerrimæ, insigniterq́; ex lapidibus sectis constructæ. Arx murata in eminẽtiori colle, inter Vartham & Prosnam fluuios sita. In vlteriori ripa Varthæ suburbia sunt amplissima, stagno ingenti paludibusq́; circumdata, quæ frequenter cum circumadiacentibus pagis exundatione Varthæ obruuntur, adeò, vt aliquando solũmodo summitates ædificiorũ ex aquis appareant: ipsaq́; ciuitas in muro aliquando inundatur, vt in foro plateisque passim nauigetur, sed tamen hæ exundationes duobus tribúsve interdum diebus grassantur. Nundinæ in Posnania celeberrimæ ter in anno exercentur. Primæ in principio Quadragesimę, quæ quatuor hebdomadis durant. Secundæ pro festo diui Ioannis Baptistæ, quinq; hebdomadis durantes. Tertiæ pro festo sancti Michaelis, quæ quinq; integris hebdomadis celebrantur.

CIVITATES DISTRICTVALES in terra Posnaniẽnsi.

KOSCIEN ciuitas in planitie inter paludes lutuosas sita, duplici muro, valloq́; & fossa munitur, à Posnania 7. mil. distat.

MIEDZYRZECZE ciuitas lignea, in planitie inter flumina paludesq́; lutuosas (vnde & nomen habet) sita, finitima Silesiæ, Pomeraniæ, arcem muratam natura & opportunitate loci munitissimam, muro valloq́; in excusso & fossis profundis circumsepta, nullo modo expugnari sese, nisi fame patitur. Eam duces Germaniæ aliquot annis graui obsidione premebant: attamen re infecta cum dedecore discedere coacti sunt. A Posnania 15. mil. distat.

OSTRESOW ciuitas lignea, finitima Silesiæ, in planitie latissima sita, quam siluæ vndiq; circumdederunt.

WSCHOW ciuitas murata, in planitie sita, à Posnonia 11. mil. abest.

SREMSK, Præmecz, Rogozno, ciuitates ligneæ, ad officium Posnanense pertinētes, in quibus iudicia terrestria celebrantur.

SENATORES TERRÆ Posnanienſis.

Episcopus
Palatinus } Posnanienſis.
Castellanus

Sremscensis
Miedzirzecensis } Castellanus.
Præmecensis
Rogosiensis

Vexillum terræ Posnanienſis aquila alba cum expansis ad volandum alis.

CALISIENSIS TERRA.

CALIS ciuitas muro circumdata, inter paludes sita, quam Prosna fluuius præterlabitur. Arcis muratæ ruinæ restant, per Crucigeros Prussienses desolatæ.

Has ciuitates districtuales hæc terra complectitur.

GNESNA ciuitas muro circumdata, in planitie inter lacus collesq; sita, archiepiscopali sede clara. Hæc prima omnium ciuitas in Polonia à Lecho autore Polonorum condita, vbi in primis sedes regia habebatur. Ibique princeps Poloniæ Boleslaus Chabri, ab Ottone Romanorū imperatore regium diadema accepit, quo hucusque reges Poloniæ vtuntur. In hac ciuitate est ecclesia Cathedralis metropolitana, in qua corpus diui Adalberti episcopi Pragēsis depositū est. Distat autem à Calis 14. mil. à Posnania 7. In ea nundinæ insignes, præcipuè verò pro festo sancti Adalberti celebrantur.

PYZDRY ciuitas murata, in planitie ad fluuium Varta inter siluas sita, à Calis 9. mil. distat.

WARTHA ciuitas ampla, ad eiusdem nominis fluuium sita.

NAKLO ciuitas lignea, ad fluuium Notesiam ex Goplo lacu emergentem, arx murata inter lutosas paludes sita.

LAND ciuitas ad Wartham fluuium, à Gnesna 4. mil. abest.

KONIN ciuitas murata, Warthaq; fluuio vnà cū arce in gyrum circūducta, & nisi pontibus ad eā peruenitur, 8. mil. à Calisia abest.

SLVPCZA ciuitas muro fortissimo, propugnaculisq; munita, ad Wartham fluuium.

KOLO ciuitas lignea circūsepta, Warthaq;

fluuio in gyrum vnà cum arce aliquoties circumluitur, 8. mil. à Calisia distat.

LAND & Camenecia ciuitates in Pomeraniæ finibus.

SENATORES PRÆCIPVI terræ Calisiensis.

Archiepiscopus Gnesnensis.
Palatinus Calisiensis.
Castellanus Calisiensis.

Gnesnensis
Nakyelcensis
Camenensis
Landensis
} Castellanus.

Vexillum terrestre capite Bisontis, inter cornua coronam auream gestante, per nares; circulum aureum habente, in campo in modum latruncularium siue scachorum albo & rubro insignitur.

SIRADIENSIS TERRA.

SIRADIA ciuitas lignea, muro circumducta, in planitie sita. Arx murata ad Wartham fluuium condita. Hæc prouincia olim pro ducatu amplissimo computabatur, secundoq; genitis regum Poloniæ attributa erat. Has ciuitates distrituales complectitur,

VIELV-

VIELVNIA ciuitas muro forti propugnaculisq; & fossa profunda circũsepta, eam vnà cum arce Prosna fluuius præterlabitur.

SADEK ciuitas lignea, in planitie ad stagnum sita, à Siradia 5. mil. abest.

PETRICOVIA ciuitas murata, inter loca palustrosa condita, vbi comitia generalia cõmuni approbatione omniũ regum senatorumq; Poloniæ celebrari constitutũ est. In suburbio curia regia & turris, in qua causæ iudiciales celebrantur, sita est, quã fossa profunda ambit. Curiæ quoq; episcoporũ, magnatumq; Poloniæ frequẽtes ibidem extructæ sunt. Deinde extra ciuitatẽ curia ingenti sumtu ex lignis lenigatis insigniter sub nemore amœnissimo extructa est, quam rex cũ omni comitatu suo tẽpore comitiorũ, ppter salubriorem auram incolit, Bugey appellata.

ROSPRZA ciuitas lignea, in planitie paludibus circumflua.

SPICIMIRIA ciuitas lignea.

In hac Siradiensi terra, nobiles id regum priuilegijs concessum habent, cera rubea in obsignandis literis vti, cùm id in illis prouincijs nemini nobilium, solummodo magnatibus, & in officio regio, siue terrestri præfectis concedatur. Id verò inde promouerunt,

cùm Pruteni cum Polonis in acie acriter confligerent, Lancicienſes à Prutenis, Crucigeribus ſuperati, vexillum ſui Palatinatus amiſerunt, quibus Siradienſes in auxiliũ venientes, vexillũ ab hoſtibus recuperauerunt.

SENATORES SIRADIENSIS terræ.

Palatinus, Caſtellanus } Siradienſis.

Roſpirienſis, Spicimirienſis, Vielunenſis } Caſtellanus.

Vexillum terreſtre medietate leonis rubei, & medietate aquilæ nigræ in campo laſurino inſignitur.

Wielunenſis quoq; diſtrictus ſuum vexillum proprium habet, agnum Dei, cum vexillo cruce inſignito, in campo rubeo.

LANCICIENSIS TERRA.

LANCICIA ciuitas muro foſſaq; obducta, in planitie vndique paludibus lutoſis circumdata. Arx murata in ſcopulo, foſſaq; profunda obſtructa, eam Bſura fluuius præterlabitur. Ibidem in villa Koſciol dicta, eccleſia Cathedralis ex lapidibus ſectis conſtructa

ſtructa eſt, ſatisque ſumtuosè prouiſa.

ORLOVIA ciuitas lignea, ex vna partium fluuio lutuoſo, & peramplo, ex altera lacunis paluſtroſis munitur, 4. mil. à Lancicia diſtat. In eodem diſtrictu ciuitas Piatek inter lutoſas paludes Bſuram fluuium ſita, cereuiſia boni ſaporis, quæ in ea coquitur, per totam Poloniam celebris habetur.

BRESINIA ciuitas lignea ſatis ampla, inter ſtagna ſita, à Lancicia 7. mil. abeſt.

Konarzew, Inowlodz, Biechow, & aliæ multæ plurimæq; ciuitates & oppida lignea ad Lancicienſem iuriſdictionem pertinent.

SENATORES TERRÆ Lancicienſis.

Palatinus, Caſtellanus } Lancicienſis.

Breſinienſis, Konarienſis, Inowlodienſis, Biechouienſis } Caſtellanus.

Vexillum terreſtre medietate aquilæ albæ, & leonis nigri, aurea corona inſigniti exornatur, in campo rubeo.

CVIAVIÆ SIVE VLADISLAVIÆ TERRA.

VLadislauia ciuitas ampla, sede episcopali clara, inter stagna ad Vistulam fluuium condita. Regio hæc magna ex parte palustrosa est, siluæq; in ea rarissimæ, ideo incolæ inopiam lignorum patiuntur.

BIDGOSTIA ciuitas murata, in planitie sita, eam Barda fluuius nauigabilis, quo merces ex maiori Polonia in Vistulam fluuiũ deportantur, alluit, à Vladislauia 6. mil. distat.

Senatores tres præcipuos terra Vladislauiensis habet, Palatinum & Castellanum, Bydgostiæq; Castellanum.

BRESTIENSIS TERRA.

BRESTIA ciuitas murata, propugnaculis vallo, fossaq; munitæ, in planitie inter lutuosas paludes condita.

Hos districtus complectitur.

RADZIEIOW ciuitas lignea, in campo aprico ad lacum ingentem sita.

CRVSPHICIA ciuitas lignea antiquitus cõdita, & prima post Gneznam, arx murata ad lacum ingentem, Gopla dictum, sita, ex quo lacu mures olim prodierant, qui Popelum principem Poloniæ ibidem in arce deuorauerant, prout latius in gestis regum Poloniæ diximus. In hac ciuitate sedes regia olim habebatur, sed postea Cracouiam trãslata est.

KOWALOW oppidum ligneum, in locis palustrosis conditum.

SENATORES TERRÆ Brestiensis.

Palatinus, Castellanus } Brestiensis.

Crusphicienſis, Coualouienſis } Castellanus.

Cuiauienſis terrę vexillum, quo Vladislauienſis & Brestenſis palatinatus insimul vtitur, aquilæ rubeæ, leonisq; nigri medietate, in campo aureo.

RAVENSIS TERRA.

RAVA ciuitas lignea, in planitie sita, arcem muratam in scopulo ad Rauam fluuium habet.

SOCHACZOVIA ciuitas lignea, septis ex vna partium circumdata, arx verò in scopulo eminenti murata, quam fluuius Bsura præterlabitur.

GOSTININ ciuitas lignea, in planitie in-

ter paludes lutuosas, arx in scopulo murata, fossaq; paludibus obducta.

GAMBIN ciuitas lignea ampla, in planitie sita, senatores tres principales habet terra Rauensis, Palatinũ, & Castellanum Rauensem, Sochaczouiensem, & Gostinensem.

Vexillum terrestre aquila nigra in campo rubeo, litera R, in pectore insignitur.

PLOCENSIS TERRA.

PLOCZKO ciuitas murata, ad Vistulam fluuium condita, sede episcopali clara, arcem quoque muratam in colle eminenti sitam habet.

BIELSKO ciuitas lignea in planitie sita, à Ploczko 2. mil. abest.

RACZYAYAS ciuitas lignea, inter lutuosas paludes, à Ploczko 8. mil. distat.

SIEPRCZ ciuitas lignea, in collo eminenti, inter paludes, à Ploczko mil. 5. distat.

SRENSKO ciuitas lignea, in planitie sita, arx murata inter stagna paludesq; ingentes, à Ploczko mil. 10.

MLAWA ciuitas lignea Prussiæ finitima, eam eiusdem nominis fluuius præterlabitur, à Ploczko 11. mil. distat.

PLONSKO oppidum ligneum, à Ploczko 7. mil.

RAD-

RADZANOW ciuitas lignea, ad Vkra fluuium sita, arx murata in scopulo inter lacunas palustrosas, à Ploczko 8. mil. distat.

SENATORES TERRÆ Plocensis.

Episcopus, Palatinus, Castellanus } Plocensis.

Raczyasensis } Castellanus.

Syeprcensis

Vexillum terræ Plocensis, Rauensi simile, nisi quòd aquila P, litera in pectore insignitur.

DOBRINENSIS TERRA.

DOBRINIA ciuitas lignea, septis circumdata, in scopulo ad Vistulam sita, arx à Crucigeris demolita.

SLONSK ciuitas lignea, in planitie ad Vistulam à Dobrinia 2. mil. abest.

RIPIN oppidum ligneum, in planitie ad Odlekam fluuium conditum, à Dobrinia 5. mil. abest.

GORZNO ciuitas lignea, inter siluas in colle, vallo, fossaq; aquis repleta obducta, à Dobrinia 6. mil.

Pro hac prouincia Poloni cum Crucigeris Prussiensibus frequenter digladiabantur.

Tres senatores præcipuos terra Dobrinensis habet, Castellanum Dobrinensem, Ripinensem, & Slonscensem.

Vexillum terræ Dobrinẽsis caput humanum cornutũ, duabus coronis redimitum, fronte & collo in campo rubeo gestat.

DVCATVS MASSOVIÆ.

MAssouia regio amplissima Polonię coniuncta, Prussiam à Septentrione, Lituaniam ab Oriente, & Russiam nõnihil in Meridiem reflectendo, in vicinia habet. Quondam sui iuris principes habebat, secundoq; genitis regum Poloniæ attributa erat, sed anno Domini 1526. decedentibus immatura ætate, Ioanne & Stanislao ducibus, vnicis regionibus hæredibus, ducatus Massouiæ in ius regis Poloniæ cessit. Incolæ eodem idiomate, nisi sibilis quibusdam differenti, habituq;, moribus & religione cum Polonis vtũtur. Viri sunt strenui & bellicosi, in Martemque cruentum proni.

Has præcipuas ciuitates Massouia complectitur.

VARSCHOVIÆ DISTRICTVS.

VARSCHOVIA ciuitas insignis murata, totius

totius Massouiæ metropolis, duplici muro, fossaq; obducta, in planitie ad Vistulam condita, arx quoq; murata ciuitati contigua Vistulæ impẽdet. Pons ibi amplissimus ligneus ingenti sumtu in Vistula fabricatur. Has ciuitates districtuales præcipuas habet.

CZERSKO ciuitas lignea, in planitie ad Vistulam fluuium sita, arcem muratã in scopulo eminentibus altis conspicuam habet, à Varschouia 5. mil. abest.

WYSSEGROD ciuitas lignea, in planitie ad Vistulam, arx in colle murata, Varschouia 12. mil. distat.

ZAKROCZIM ciuitas lignea, ad Vistulam fluuium, arx in colle murata, 8. miliar. à Varchouia abest.

CZIECHANOW ciuitas in planitie sita, valloq; circũsepta, arx inter lutosas paludes, fossa, pfunda munitur, à Varschouia 12. mil.

CZERNIENSK ciuitas lignea ampla, arcem & monasterium Augustinorum adiunctum habet.

PVLTOWSKO ciuitas murata, ad Narew fluuium vnà cum arce sita.

ROSAN ciuitas in planitie, arx verò in scopulo ad fluuium Narew condita.

VARKA ciuitas ampla lignea, in plani-

tie ad Pilczam fluuium sita, à Varsch. 8. mil.

BLONYE ciuitas lignea ampla, à Varsouia 4. mil.

TARCIN ciuitas lignea, à Varschouia 5. mil. abest.

GRODZYEC ciuitas lignea, à Varschouia mil. 7. à Tarcin 2. distat.

Prasnis ciuitas ampla, lapideis ædificijs ornata.

Lomza ciuitas ampla, ad Narew fluuium nauigabilem sita, in ea ædificia pulcerrimè murata, à Varschouia 20. mil. distat.

SENATORES PRIMARII ducatus Massouiæ.

Palatinus Massouiæ Generalis.

Varschouiensis, Cerscensis, Vysegrodiensis, Zakrocimensis, Cziechanouiensis } Castellanus.

Vexillum Massouiæ aquila alba, cum expansis ad volandum alis, in campo rubeo insignitur.

LIVENSIS TERRA.

LIWO ciuitas lignea, arx murata ad Liwijecz fluuium condita.

WEGROW oppidum ligneum, à Liwo medio miliari distans.

WIZNA ciuitas in planitie ad Narew fluuium sita, arx in colle fossa circumducta.

NVR ciuitas lignea ampla, ad fluuium eiusdem nominis sita.

CAMENYEC ciuitas lignea, in planitie ad Bug fluuium, à Liwo 8. mil. sita.

Senatores hos duos præcipuos terra Liuensis habet, Liwensem & Wiznensem castellanos. Vexillum terrestre aquilæ mediate rubeæ, & vrsi albi coronati insignitur.

PODLASSIÆ TERRA.

PODLASSIA regio ampla, Massouiæ ab Occidente, Lituaniæ ab Oriente cõtigua, olim sub potestate & imperio Lituanorum erat, sed nunc anno Domini 1569. per Sigismundum Augustũ, regem Poloniæ, & magnum Ducem Lituaniæ, regno Poloniæ adiuncta & appropriata est. Incolæ eius Massouitæ Rutheni, atque Poloni. Has ciuitates districtuales præcipuas complectitur.

BYELSKO ciuitas lignea amplissima, Podlassiæ principalis, ad Byala fluuium sita, Lituaniæ contermina. Arx lignea fulminis ictu in præsentia regis incensa, penitusq; exusta est, à Narew 4. mil.

BRANSKO ciuitas lignea, ad Nur fluuium, à Byelsko 3. mil. sita, in ea curia regia iudicialis, in qua causſæ nobilium disceptãtur.

SVRAS ciuitas lignea, inter colles ad Narew fluuium sita, arx in colle fossa circumducta, à Byelsko 3. mil.

TYKOCZIN ciuitas lignea, in planitie ad Narew fluuium sita. Arx natura & opportunitate loci munitissima, propugnaculis valloq; forti proportionaliter circumsepta, Narewq; fluuio & paludibus circumdata, vt ad eam nusquam aditus pateat, machinis tormentisq; bellicis bene prouisa. Thesaurus enim regius in ea asseruatur. Rex Sigismundus Augustus eam magnis impensis restaurari fecit, monetaq; ibidẽ cuditur, à Byelsko 10. mil. distat, à Wilna 42.

KNYSSYN ciuitas lignea, à Tikoczin 2. mil. in planitie inter stagna, siluas, paludesq; lutosas sita, ibidem curia regia extructa est. Hortus quoq; regius amplissimus, vario genere animalium, piscinisq; diuersis refertus. Venationes enim illic omnium ferarum copiosè exercentur. 12. mil. à Byelsko distat.

NAREW ciuitas lignea, inter siluas ad fluuium eiusdem nominis, à Bielsko 4. mil. condita.

WASIL-

WASILKOW oppidum ligneũ, ad Narew fluuiũ, in quo capitaneus regius residet.

AVGVSTOW ciuitas noua amplissima, à rege Sigismundo Augusto, à quo & nomen habet fundata, 20. mil. à Bielsko distat.

DROHICINENSIS DISTRICTVS.

DROHICIN ciuitas lignea, ad Bug fluuium cõdita, in colle curiam regiam, in qua causſæ nobiliũ disceptantur, habet, à Byelsko ciuitate 10. mil. à Warschouia 30. distat.

MYELNIK oppidum ligneum, ad Bug fluuium cõditum, arx verò in colle eminenti, à Drohicin 5. mil.

LOSICZE ciuitas lignea, ad stagnũ amplissimum sita, à Drohicin 3. mil.

MORDI oppidum ligneum, in planitie ad stagnum situm, à Drohicin 5. mil.

Ex his duobus districtibus Podlassiæ Bielscenſi & Drohicinensi, pro expeditione bellica 20000. nobilium statuuntur.

Huius terræ duo sunt præcipui senatores, Palatinus & Castellanus.

Vexillũ terrestre Podlassiæ bicorne crocei coloris stemmate, magni ducatus Lituaniæ, in campo albo insignitur, viro videlicet armato, gladium tenente equo insidente, ex

alia verò parte aquilam albam in campo rubeo gestat, postquā regno Poloniæ est incorporata. Similiter Bielscensis, & Drohicensis districtuum vexilla vnicornia insignitur.

DE TERRIS ET DISTRICTIbus Russiæ, regno Poloniæ incorporatis.

DE gentis Roxolanorum, siue Ruthenorum, vel Russorum origine, varij varia sentiūt, quos Sauromatas Slauonesq; ex posteritate Iapheti (prout latius in deductione Sarmatarum Polonorumq; diximus) cōstat esse. Quidam eos à fusco gentis colore Russos dici autumant, alij à dissemination e, siue dispersione, Rozsicia enim Slauis dissemination em significat, quod melius ad veritatem quadrat, cùm totam Sarmatiam Europeam, & Asiaticæ partem occuparēt, ab Oceanoq; glaciali ad mediterraneum vsq; mare, & sinum Adriaticum, à Pontoq; Euxino ad Balticum Oceanum vsque eorum coloniæ extenduntur, vnde & Græcis Sporij, id est dispersi dicuntur.

Qui in primis Ruthenis imperauerint, incertum est, cùm literarum prorsus ignari essent, donec anno Domini 796. Michael Curopalatus, imperator Constantinopolitanus, characteres ad scribendum Bulgaris misisset, quos etiam Rutheni omnes susceperunt, & ab hoc tempore illa quæ poterant ante & post gesta recordari, literis mandabant. Regionibus Russiæ duo præcipui principes præsunt, vtpote Magnus dux Moschouiæ, qui se imperatorem totius Russiæ appellat, plures enim in ea ducatus possidet. Secundus rex Poloniæ, qui etiam Magno ducatui Lituaniæ præest, Russiæ ducatus Lituaniæ incorporatos, vtpote Vitebscensem, Kiouiensem, Mscislauiēsem, &c. possidet, quos vnà cum Lituania descripsimus.

Nunc cæteras regiones Russiæ, Poloniæ adhærentes, cum præcipuis ciuitatibus describemus, in quibus magna ex parte Poloni colonias suas habent, proceresq; & equites ferè omnes Poloni sunt, ac maior pars religionem Romani ritus amplectitur, vtpote ciues & nobiles, exceptis colonis & agrestibus, qui Græcorum dogmata in religione sequuntur, de quorum religione & ritibus latius in Moschouiæ descriptione patet.

LEOPOLIENSIS ET HALIciensis terra.

LEopolis ciuitas insignis Russiæ, Polono regi subiectæ, metropolis, à Leone Rus-

sorum principe condita, duplici muro propugnaculisq; fortissimis, vallo & fossa profunda, tormentisq; & supellectili bellica expeditissimè prouisa. Arx vna in ciuitate, alia verò in eminentissimo scopulo ciuitati impendente munitissimè cõdita est, cuius aspectus 10. mil. patet. Emporio, sedeq; archiepiscopali clara. Metropolitanus quoq; Russiæ ibidem sedem suam retinet. Ecclesiæ in ea Romanæ & Græcorũ obedientiæ plurimæ. Armeni quoque ibidem Basilicam suæ religionis, antistitemq; & sacerdotes habent.

HALICIA ciuitas lignea ampliſſima, antiquitus cõdita, vna ex ducatib. Russiæ. Eam à Moldauia Prud fluuius, ex alia parte Tyras, Nester vulgò dictus, præterlabitur. Arcem ligneam in colle eminenti adiunctam habet.

Has ciuitates prẽcipuas districtuales, Leopolienſis & Halicienſis terra complectitur.

ZIDACOW in Pokutia, ciuitas lignea, in planitie ad Striy fluuium sita, arx in colle eminenti vallo circumsepta.

GRODEK ciuitas circumsepta, vnà cum arce in planitie stagnis circumuallata, à Leopoli 4. miliar.

BVSKO ciuitas inter lutosas paludes, ex quibus Bug fluuius oritur, sita, quo merces variæ

variæ ex Volhynia in Vistulam deportantur, à Leopoli 5. mil. distat.

STRIY ciuitas lignea, ad fluuium eiusdem nominis condita.

WIZNA ciuitas in planicie inter paludes ad fluuium sui nominis extructa.

SNIATIN ciuitas lignea septis circumdata, confinis Moldauiæ, cum Prud fluuius præterlabitur, à Leopoli 12. mil. distat.

COLOMIA ciuitas lignea sub monte ad Prud fluuium sita, ibidem sal decoquitur.

ROHATIN ciuitas lignea septis circundata in planicie, eam Rohatinka fluuius præterlabitur. Arcem inter stagna & paludes in colle sitam habet, à Leopoli 10. mil. distat.

DOLINIA oppidum ligneum inter colles situm.

LVBACZOW ciuitas lignea in planicie sita, castrum inter paludes stagnantes conditum.

SENATORES PRÆCIPVI HARVM terrarum.

Archiepiscopus Leopolienſis.
Palatinus Russiæ Generalis.
Leopolienſis
Halicienſis } Castellanus.
Lubaczouienſis }

Vexillum Leopolienſis terræ, Leonem fuluum coronatum petram aſcendentem in campo laſurino geſtat.

Halicienſe verò vexillum Monedulam coronatã cum expanſis alis in campo rubeo pro ſtemmate geſtat.

BELZENSIS TERRA.

BELZ ciuitas lignea, ampla in planicie ſita. Arcem ligneam lutoſis paludibus latè ſtagnantibus circumductam habet, quam nequaquam Tartarica ſagitta attingit.

SOKAL ciuitas circumſepta in planicie ad Bug fluuium ſita. Arx in colle eminenti lignea.

HRVBYESOW oppidum cum caſtro in colle ſitum.

HRODLO ciuitas ſtipitibus præacutis circumſepta, arcem in colle Bugo præterfluam habet.

GRABOWYEC ciuitas lignea in planicie ſita, arx in colle eminentiſſimo natura & oportunitate loci munitiſſima acceſſuque ardua.

THYSSOWICE ciuitas lignea, arcem in colle habet.

Sena-

Senatores præcipuos duos terra Belzenſis habet, Palatinum videlicet & Caſtellanum.

Vexillum terreſtre Griphonem album coronatum, in cãpo rubeo pro ſtẽmate geſtat.

CHELMENSIS TERRA.

CHELM ciuitas ſeptis circumdata, ſede epiſcopali clara, arx in eminentiori colle ſita, lignea, argilla oblinita 4. mil. aſpectus illius patet.

CRASNISTAW ciuitas murata ad ſtagnum ampliſſimum ſita, arx in planicie murata, quam Viepr fluuius nauigabilis præterlabitur, à Lublina 7. mil. In ea Capitaneus generalis regius reſidet.

RATNO ciuitas lignea ampla inter paludes latiſſimè ſtagnantes ſita, à Chelmiaque 24. ferè mil. pontibus ſtratis ad eam peruenitur. Arx in colle eminẽti ad Perepetum fluuium nauigabilem condita, quam Tur fluuius alia ex parte paludesque lutoſæ muniunt, acceſſuſque omni ex parte difficilis.

LYVBOWLYA ciuitas ad Bug fluuium ſita, arcem in colle eminenti habet.

Senatores duos principales epiſcopum videlicet & Caſtellanũ, terra Chelmẽſis habet.

Vexillum terreſtre Vrſo albo inter tres arbores in campo aureo gradiante inſignitur.

PREMISLIENSIS TERRA.

PREMISLIA ciuitas murata ad San fluuium nauigabilem sita, sede episcopali clara. Arx in colle in vlteriori ripa eiusdem fluuij condita, propugnaculisq; apprime munitissima. Ibidem hortus ingens regius omni genere ferarum refertus.

SAMBOR ciuitas septis circumdata ad Tyram fluuium, vna cum arce sita Hungariæ finitima.

DROHOBYCZ ciuitas stipitibus præacutis in planicie munita, salis fodinis clara.

SANOK ciuitas lignea inter colles ad San fluuium extructa, arx in colle murata.

PRZEWORSK ciuitas in colle muro circumdata, ad Mleczka fluuium sita.

KROSNO ciuitas murata Iasiolda fluuio circumdata. Vislok verò fluuius eam mediam interfluit. Ibidem medio miliari Camyeniecz arx in eminenti scopulo mutata, natura & oportunitate loci & propugnaculis munita.

SENATORES TRES PRÆCIPVOS terra Præmisliensis habet.

Episcopus } Premisliensis.
Castellanus }
Castellanus } Sanocensis.

Vexil-

Vexillum terrestre aquilam auream bicipitem coronatã in campo lasurino pro stemmate gestat.

PODOLIÆ REGIO.

PODOLIA regio amplissima Moldauiæ & Valachiæ à meridie finitima est, ab oriente verò vastissima campestria desolata, ad Tanaim fluuium paludesq; Mæotidis, & Pontum Euxinum vsque, Tartarosque Præcopenses habet. Omnium rerum ex terra nascentium fertilissima, adeò vt colonus, quamuis quomodocunque in agrum semen iniecerit, centuplum fructuum referat. Prata quoque mirum in modum luxuriantia, adeò vt bouis cornua vix è gramine appareant: terra tamen dura & petrosa nimis, adeò vt bissenos boues coloni araturi, aratro iungere cogantur. Attamen intolerabile pondus boues anhelantes testantur. Mellis siluæ passim abundantissimæ, stipitibus enim cauatis vbiq; mella rossida depromuntur. Armentis gregibusque, & feris omni generis redundans. Eam antiquitus Alani, Goti, Getæ, Cumani, Polowcij, & Roxolani incolebant. Circassorum reliquiæ adhuc extant, ad Borysthenem fluuium.

Podolia omnium feracissima.

Has præcipuas ciuitates, arcesq; hæc regiò complectitur.

CAMYENIEC ciuitas Moldauiæ finitima, diuinaq; ferè manu inter arduas cliuosasq; rupes condita, portas solummodo duas habet. Arx quoq; natura & oportunitate loci rupe petrosa, vndiq; cincta, quã vna cum ciuitate Smotricz fluuius præterlabitur, fossaq; profundissima naturali cingitur. Arx ipsa muro propugnaculisq; munita. Ciuitatẽ verò rupes altissima, saxosa, accessuq; ardua inexpugnabilem facit, quam ita suo ambitu includit, vt minimè ædium quamuis eminentiorum tecta apparent. Sæpius ab ea Tartari, Valachiq; & Turcæ cum ingenti strage & dedecore repulsi & fugati sunt. Achocimia Moldauiæ arce duobus mil. distat.

BAR ciuitas septis circumdata in planicie à Bona Ioannis Sfortiæ ducis Mediolani filia, Sigismundi regis Poloniæ condita, quam à Baro patria appellauit. Arx in colle murata, paludibus latè stagnantibus circundata.

MYEDZIBOSZ ciuitas & arx ampla lignea, inter paludes latissimè stagnantes sita, ad quam nisi pontibus peruenitur, à Tartaris sæpissime infestatur.

BRE-

BREZANIA oppidum ligneum, arcem in colle muratam habet.

TREBOWLA ciuitas sub monte altissimo sita, arcem in colle eminenti habet.

CHMIELNIK ciuitas lignea stipitibus circummunita, arx lignea in planicie ad Bog fluuium (Herodoto Hypanis dictum,) sita, à Camyeniec 20. mil.

BRASLAW ciuitas & arx lignea vallo fossaq; circummunita, eam Bog fluuius præterlabitur.

VINNICZA ciuitas lignea vnà cum arce vallo circumsepta, ad Bog fluuium sita. Hæ duæ arces præter cæteras a Tartaris Præcopensibus sæpissime infestantur, districtusque ampliſſimos qui pro Palatinatibus computantur, & vexillum peculiare bellicum cinericei coloris, stemmate magni Ducatus Lituaniæ insignitum habent.

SVINIGROD arx cum ciuitate lignea in campestribus sita, ibidem munitiones sunt plurimæ in campestribus desolatis sitæ, cõtra Tartaros latrocinantes arcendos. Tandem vltra Bog fluuium (qui Herodoto Hypanis dicitur) Circassorum & Canowciorum reliquiæ, longo tractu ad Borysthenem extant in campestribus desolatis, quæ 200. *Circass. Canowcy.*

miliaribus Polonicis nullis siluis collibúsve & munitionibus conspicua, ad Tanaim paludesque Męotidis, & Pontum Euxinum Tartarosque Præcopenses, & Crimscenses vsq; extenduntur.

Senatores Podolia præcipuos tres duntaxat habet, episcopum Camenecensem, Palatinũ Podoliæ generalem, & Castellanum Camenecensem.

Vexillum terrestre Solem stellis duodecenis, in campo albo circumdatum pro stemmate gestat.

LECTO-

LECTORI.

NE te tua opinio fallat, lector candide, me hic vniuersum regnum Poloniæ absolutè descripsisse. Ego enim hic Prouincias principales, quæ olim pro ducatibus habebantur, nunc verò in Palatinatus redactæ sunt, descripsi, ciuitatesque & arces præcipuas regias, in quibus caussæ iudiciales nobilium celebrantur enumeraui. Hæ verò prouinciæ plurimas frequentissimasq; ciuitates, arces, & oppida, tam regis quàm nobilium, magnatum, episcoporumq; complectuntur. In singulis autem terris & ciuitatibus districtualib. superius enumeratis administratores caussarum iudicialium, à rege substituuntur: vtpote Capitanei generales, qui vices regias supplent. Judex & Subiudex, Notarius, Subcamerarius, Camerarius terrestris. Hij omnes caussas

nobilium abſoluunt, exceptis capitibus criminalibúſve cauſsis, quæ ad regis edictum in comitia generalia relegantur. Sunt quoque plures alij terreſtria regiáque munia obeuntes, quos hic recenſere longum eſſet. Sunt quoque in Poloniæ regno comitatus plurimi, vtpote comitatus in TarnoW, in Gorka, in Tenczin, in Melſtin, in SidloWiecz, & id genus alij.

REGNI



REGNI POLONIÆ, MAGNIQVE DVCATVS LITVANIÆ, REGIS CVM SENATORIBVS SVIS, IN SENATV ORDO.

POLONIÆ regnum in Sarmatia Europæa vt diximus ampliſſimum, potentiſſimumque, cum alijs multis præclaris rebus, tum modo gubernationis à cæteris omnibus regnis differt, in quibus reges ſine ſenatus conſilio & equitum conſenſu, ex voto priuato legem omnibus ferunt, & niſi virtute innata regantur, in tyrannidem facilè prolabuntur. In Polonia autem vt reges non naſcuntur, ſed communibus ſenatus & equitum ſuffragijs eliguntur, ita etiam ſine auctoritate eorundem nihil decernere poſſunt, quamuis ſint potentiſſimi, & militibus voluntarijs ſuperbiſſimos quosq; reges ſuperãtes. Soli enim Poloniæ principes inuictiſſimi reperiuntur, ex ſolis voluntarijs nobilibus ducentorum millium quotieſcunque opus fuerit, exercitum fortiſſimum ex omni genere armorũ promptiſſimum ſine vllis ſtipendijs contra hoſtem educere poſſunt. Nobilitas namq; vniuerſa omnibus ſoluta vectigalibus,

bellica tantummodo munera obire pro aris & focis tenentur, quod si voluntarij milites non sufficerent, de suis proprijs gentibus trecenta millia mercenariorum conscribere possunt. Ita cùm sit potentissimus rex Poloniæ, tamen secundum legum, & senatus præscripta viuere tenetur, sicq; regnum ampliſſimũ, regio imperio, regia verò maiestas & potestas vicissim senatus & nobilium libertate temperatur, intra æquitatisq; terminos omnes ordines regni cum ipso rege continentur, quod si rex quandoque ab officio suo deflecteret, & publicas libertates suorum opprimere aspiraret, authoritate senatoria, qui ad hoc attentandum iuramento sunt obligati, prohibetur, & ita rex Poloniæ grauissimis senatorum consilijs nititur. Senatores verò ipsi, & vniuersi equites vicissim regiam maiestatem reuerentur, amant, honorant, & vitam ac possessiones priuatas vniuersas funditus pro sanitate & bono illius effundere parati sunt. Senatores autem voto regis (penes quem est summa & maxima iuris dicendi authoritas) ex præcipua & illustri totius regni nobilitate, generis & virtutum commendatione delecti, exacto fidei sacramento, in senatum eliguntur. Principes autem & præcipui regni senatores, sunt archiepiscopi, & episcopi, propter venerandam ecclesiastici ordinis maiestatem autoritatemque, & opes quibus affluunt, præstantissimas. Hij in senatu in vtrumq; regis latus circumsident, archiepiscopi autem duo sunt in vniuerso regis Poloniæ imperio, Gnesnensis regni primas, & legatus natus Romani pontificis in Sarmatia vicem tenens, qui ad vetusta superiorum temporum memoria, coronandi regis ius

ius habet. In Russia verò nigra, secundus archiepiscopus est Leopolienſis, vbi sedes Metropolitana Cracouia translata est, anno Domini 1075. in curia Lamperti Zulæ sancti Staniſlai prædecessoris. Episcopi tredecim nõ secus ac principes maximi, omni rerum copia excellẽtes, in tota Poloniæ Monarchia reperiuntur, Cracouienſis minoris, Posnaniẽsis maioris Poloniarum, Vladiſlauienſis qui & Cuiauiæ, Pomeraniæq;, Vilnenſis Lituaniæ, Plocenſis Maſſouiæ, Warmienſis, Culmenſis, Pruſſiæ, Præmiſlienſis, Lucæorienſis, Chelmẽsis, Kiouienſis Ruſſiæ, Samogitiæ, vltimus Camenecenſis. Hij ordine omnes regi assident, niſi quod Posnanienſis, cum Vladiſlauienſi, antiquam dignitatis litem teneãt, ideo alternatim locum mutant. Episcopos ex veteri priuilegio Castellanus Cracouienſis subsequitur, militarium procerum princeps, deinde Palatini quorum maior Cracouienſis & Vilnenſis, palatinos verò quidã Castellani præcipui intermixti. Tunc demum alij Castellani maiores & minores quos recenſere longum esset ordine loca sua occupant, qui non castris vt ipsa vocis Etymologia sonat, sed minoribus prouincijs senatorio iure & nomine regio præsunt, extraq; ipsam autoritatẽ dignitatemq;, (quæ est prima post Palatinos) paruum sui officij quæstum reportant, quamuis illius cui præsunt prouinciæ Domini appellantur, nihil enim præter Reipublicæ (quod verè senatorum est) commoda quærũt. Castellanos Archimarschalci Marschalciq; supremi totius regni officiarij sequuntur, qui sunt Poloniæ & Lituaniæ de vtroq; imperio bini, terrestres videlicet & Curiales. Marschalcorum officium est, curare totius aulæ

& omnium conuentionis tranquillitatem, inter proceres & aulicos regios partiri ædes vrbium, regi quocunq; eunti, baculos erectos singuli præferunt, & vt quisque officio suo apud regem fungatur prouident. In senatus consessu omnia animaduertunt, quod si supremi Marschalci abfuerint, Curiales eorum officium adimplent. Cancellarij & Vicecăcellarij Marschalcos ordine sequuntur, vtriusq; gentis qui sunt similiter bini & bina sigilla, horum officium est priuilegia, immunitates, prærogatiuas à rege alicui datas, litteras similiter regias conscribere, scriptas regi oblatas pronunciant, quibus à rege subscriptis illi sigillum affigunt. Omnes autem litteræ ac priuilegia in magni Lituaniæ Ducatus Cancellaria, Ruthenicis characterib. absoluuntur, apud Polonos verò Latinè (cuius linguæ sunt peritissimi) omnes cauſſę describuntur. Præcipua quoq; est dignitas in senatu summorum generaliumque militiæ ducum, quorum in Polonia vnus, in Lituaniæ magno Ducatu secundus, rerum potiuntur, penes hos summa omnium exercituum imperij sita est, in qua autoritate regia plenipotenter vtuntur. Hos demũ Campiductores de vtroq; imperio singuli, qui sunt campestris militię duces. Est etiam summus maioris Poloniæ præfectus siue generalis, similiter Samogitiæ, & terrarum Russiæ prefecti, quo honorum gradu non nisi principes viri, & de patria optimè meriti à rege donantur. Cooptantur quoque in senatus classem prouinciarum de vtroq; imperio officiarij, vtpote iudices qui cauſſas nobilium munere regio diiudicant, Pincernę, Succamerarij, Dapiferi, Secretarij, Vexilliferi, Scribę, Tribuni militum, Exactores, The-

Thesaurarij, & cæteri qui singuli singula officia in prouincijs assignatis exequuntur, & pariter cum iudicibus prouincialibus particularia, certis temporibus anni, assignata iudicia, qui termini siue Roki vulgo dicuntur, exercent. Ensifer quoq; regni, & vexillifer curię regię, qui curiale vexillum in bello defert, non postrema dignitate funguntur. Non etiam autoritatis frustrantur honore ipsi secretarij, scribæq; siue protonotarij regij. Insuper cubiculi, stabuli, culinæq; magistri, suis dignitatibus in senatus consultu gaudent. Ciuitatum, oppidorum, arcium, regiarum, prouinciarumq; præfecti, referendarij supplices libellos & subditorum querelas ad regem & senatum deferẽtes, summusq; regis secretarius & referendarius, salinarum fodinarum & metallorum Præfecti nõ ignobili certè dignitate potiuntur. Legati quoque prouinciarum & ciuitatum præcipuarum, ab vniuersis ordinibus de singulis prouincijs nomine totius nobilitatis electi, suas in senatu partes occupant. Equites quoque & Patricij viri iuuenes virtutibus & genere præstantes aulici, qui in aula regia seruientes in præstandis quotidianis officijs regi operam nauant, stipendiaque merentur. Insuper cubicularij siue veredarij, qui cum epistolis regijs per omnes prouincias, amandati velocissimè discurrunt. Demum stipendiarij, & satellites siue collaterones regiæ vitæ custodes, postremum autoritatis locum obtinent. Omnibus autem senatoribus sub fidei iuramento, & amore patriæ eadem est perpetua & constans tuendæ publicæ libertatis, & propagandi imperij, voluntas. In senatu cum de Republica deliberant liberè, & sæpiùs

arcerrimè ſententias dicunt, regem imprudentius regnantem obiurgant, atq; vno conſenſu ſanctiſſima maiorum inſtituta, & communis patriæ cariſſimas leges ad extremum vitæ defendunt.

CAPITANEI generales in minori Polonia 40. in maiori 30. in ducatu Maſſouiæ 12. qua officia nulla ſucceſſione, ſed ex regis gratia in benemeritos de Republ. conferuntur: hi enim prouincijs præſunt, & nobilitatem, regia authoritate, pro tribunali iudicant, omnesq; prouentus regios exigunt, & in theſaurum referunt.

REGNO Poloniæ ſaluberrima aura fauet, omniumq; rerum ex terra naſcentium fertiliſſima eſt, cuius vbertatem cæteræ regiones tranſmarinę affatim perſentiunt, ad quas frumentum grandi copia, de Polonia nauibus aduehitur. Pecoribus quoq; omnigeneris, venationibusq; abundat, ita vt Saxonia, cæteræq; gentes Germanorum, Polonicis bouibus victitent. Incolę habitum variarum diuerſarumq; nationum more geſtant, præcipuè verò, Italicum, Hiſpanicum, & Hungaricum, qui illis peculiaris eſt. Alij Germanico, Turcico, Moſchouitico, Bohemicoq; more veſtiũtur, diuerſas enim & repoſtiſſimas prouincias peragrãt, vnde varios mores in patriam inferunt. Viri ſunt excellentiſſima induſtria prędĩti, variarumque gentium idiomata callent: imprimis verò linguæ Latinæ peritiſſimi, qua vt vulgari maiori ex parte in ciuitatibus & pagis paſſim vtuntur, idq; omnibus diuitibus, ac pauperibus peculiare eſt, quod in primis pueros litteris imbuẽdos apprimeq; ad conſumptionem, ſedecim plúſve annorum in puluerib⁹ ſcholaſticis committunt, ſumptibus pro magi-

magiſtris minimè indulgendo, vnde linguam Latinam omnes ferè congruè callent, idque ea de re maximè obſeruatum crediderim, quòd vulgaribus literis vel ſcripturis, in ſacris ac profanis rebus nunquam vtantur, omnesq; leges tam ciuiles, quàm nobilium, ac villanorum, & ipſa Cancelaria regni ac caſtrenſis, Latinis literis omnia expedit, atque ideo factum eſt, vt paſſim docti omnes euaderent. Habent præterea Poloni & Lituani linguæ Latinæ inflectionem propriam & perfectiſſimam, vt Latinarum dictionum ſonum propriè ad iuſtum accẽtum expreſſionemq; ſecundum literas ipſas, quadam cum gratia & dulcedine, inflectere ac proferre queant. Qua de re Polonia omnium ferè gentiũ ſtudia viciſſe videtur, quòd rarus eſſet, qui Latinas literas non calleret, deinde Germanicum, Hungaricum, ac paſſim Italicum, & magna ex parte Gallicum, Hiſpanicumq; extra vulgare ſuum Sarmaticum idiomata neſciret. Equites in ornamentis equorum, armorum, veſtibusq; præſumtuoſis plurimùm delectantur, campeſtri prælio alacrius hoſtem quemlibet paruis & magnis copijs adoriuntur. Caſtra etiam artificioſè collocant curribus in gyrum arctè diſpoſitis, adeò vt in illis tuti non aliter atque in arce firmiſſima includuntur. Viri ſunt bellicoſi, ſtrenui, hoſtisque quamuis validiſſimi impauidi. Armatura maiori ex parte Hungarorum more vtuntur, clypeoſque, qui totum hominem equo inſidentem tegunt, & haſtas oblongas geſtant, pluresque inter eos tantæ animoſitatis reperiuntur, vt vnus alium quamuis toto exercitu ſuorum profligato, ad mortem vſque non deſeruerit, ſed vterq; ſtrenuè dimicando honeſtè occumbere, quàm turpiter

Poloni ſtudiorum amantiſſimi.

fugere mauult. Prout in Moldauia duobus fratribus germanis, Struſouiczij dictis, Polonis equitibus euenit, qui ab exercitu ſuorum aberrantibus cum quinquaginta cõmilitonibus, inſcij in multitudinem Valachiorum inciderunt, à quibus vndiq; circumuenti, in primo congreſſu vnus occubuit: alter verò ſtrenuè dimicando euaſit: ſed cædis fratris germani recordatus, in exercitum Valachiorum conuerſus, acies eorum fortiter diſuerberabat, & quãuis euadendi facultas iterum ei pateret, tamen honeſtius cum fratre occumbere, quàm euadere maluit. Melſtinius quoque, cùm Vitoldus dux Lituaniæ multitudine Tartarorum fugaretur, ex fuga audacter conuerſus, in confertiſſimas hoſtium acies ſeſe cõiecit, multisq; hoſtium trucidatis, tamdiu ſtrenuè dimicauit, donec prorſus telis confoderetur, equoque deijceretur, 1397. vt latius patet in Lituaniæ ducum deſcriptione. His etiam multi ſimiles in geſtis Polonorum reperiuntur, quos ſigillatim recenſere infiniti laboris eſſet. Id verò illic maximè non ſolùm inter fratres, ſed inter ſocios fideles reperitur, prout nuper Vilnæ in Lituania me præſente euenit, duobus adoleſcentibus, per plateam ciuitatis pergentibus intempeſta nocte, duo alij armata manu occurrerunt, vbi inter defendendum vnus aduerſarium ſuum interemit, aufugitque. Socius verò illius captus, cædisq; damnatus, in locum decollandi poſtridie ducitur, cumque iam carnifex gladio euaginato ſtaret, ille reus cædis, qui profugerat, accurrens dixit: ſinite hunc innocentem abire, ego enim hanc cædem perpetraui, itaque ille genua flectens à ſpiculatore decollatus eſt, innocens verò liberatus.

Nobiles

Nobiles humilioris fortunæ, iniurias à Magnatibus illatas non patiuntur, nam quamuis pauperrimus nobilis extiterit, amicis cognatisque ſuis collectis, quàm maximum magnatem debellare poteſt: non ſolùm enim poſſeſſiones pro neceſſitate amici exponunt, ſed etiam vitam ſuam pro eo morti varijſque periculis obijciunt, qua de re magnates in Polonia, non parui, ſibi pauperem vulgum nobilium ducunt, in Lituania econtra, Nobiles humilis fortunæ magnatum ſunt ſerui. Accidit in Polonia me præſente, quòd quidam magnæ autoritatis vir, Dominus Ioannes Luthomirski, theſaurarius regius ſupremus, capitaneus Lancicienſis, & Radomienſis, Caſtellanusque Siradienſis, quoſdam pauperes nobiles, Mikolaie Wſczi dictos iniuria affecerat, qui collecta manu conſanguineorum, cum magno comitatu profiſcentem occiderunt, in fruſtaque diſſecarunt. Cumque hic nobilis aut honore priuandus, aut capite plectendus pro prædicto facinore eſſet, honorem vitæ præferens citatus ad comitia Lublini celebrata, alacriter comparuit, ibique honore integro ex ſententia regis, decollatus eſt. Quod ſi huic genti nimiæ comeſſationes, & diuitiarum pluſquam liberales prodigæ profuſiones, inebriationes non obfuerint, omnes ferè gentes virtute innata & ingenijs heroicis ſuperarent, ſed vnus pro ſanitate alterius, (prout illis mos eſt) bibens, poculum magnum funditus exſiccat, quamuis natura interdum repugnante, ſicque hæc eorum mutua charitas, quam illi maximè in cõuiuijs celebrant, eos multoties ſanitate priuat, multisque ex nimia inebriatione infirmitatibus corripiuntur. Cùm enim vnus alteri pro ſanitate

prębibit, non solùm poculum vitreum, sed ligneum, vel figulinum, capiti illidit, tandem postridie surgens infirmitate correptus, vinum incusat, amphoræ oblitus, quam ad caput collisérat. Multi quoque inter eos præcipuè in Ducatu Massouiæ reperiuntur, qui sese alterutrum bibere vi complectant, dicentes: aut mihi præbibe, aut mecum armis decertato, interim verò alius arma quàm poculum, quem natura recusat, alacrius eligit.

Aulicorum ministrorum, seruitorumque tantas vniuersi Sarmatæ, præsertim Poloni, Massouitæ, Lituani & Rutheni, fouent turmas, vt nunquam sperares eos educari posse, qui nullũ aliud officium agunt, nisi dominum aliquò migrantem comitari, vel aliquò amandati munus iniunctum obire, à cęteris seruitiis prorsus liberi immunesq;. Mechanicum opus nobilis seruitori ingenuo, quamuis pauperrimo obire non patitur, nec demandat: quòd si aliquis minus discretus seruitori negotium minus honestum mechanicumve iniunxerit, rusticum sibi ad id muneris inueniendum oportere, se verò honesto seruitio minimè abdicaturum, respondit. Et ideo nobiles nobilibus, paresq; genere ac virtutibus, paribus plerunq; inseruiunt, cùm honesta & nobilia seruitia obeunt, contra occidentalium gentium cõsuetudines, apud quas nobiles nobilibus turpè inseruiri putant, quòd mechanica seruitia, quicquid dominus demandauerit, obire cogantur. Apud Sarmatas verò qui melius bibit pro sanitate domini, ille melior censetur minister, & postquam dominus mense accubuerit, & seruitores statim ordine seruato accumbunt, aliquandoque tres quatuorve mensas occupabunt, quibus libe-

liberaliter fercula opipara apponuntur, vt quilibet aulicorum tres seruitores sua portione educare possit, quam ipse saturatus puero à tergo stanti, in quadra lautè porrigit. Aulicus enim quilibet seruitores aliquot, & pueros habere solet, & illi seruitores, alios seruitores, pueri, pueros, ad quartum vsque ordinem, ad mensam eiusdem domini omnes cibaria sumentes, & salaria recipientes, & plerunque maiori ex parte, nisi ad mensam inseruiunt: peracto prandio vel cœna, saturati inclinatis de more gentis coram domino genubus, capitibusq; adapertis, quò volunt discurrunt, & quandoque triduo quatriduove, vel integra hebdomada dominus seruum in tabernis, vel in comitiua occupatum non videbit: ratò tamen vbi fuerit interrogatur, & si interrogatur, respondit, se pro sanitate domini hilariter bibisse, ad quem dominus subridens gratias agit, & plerunque liberaliter huiusmodi remunerantur. Quodam tempore accidit, dum quidam episcopus per thesaurarium suum aulicis & seruitoribus salaria siue stipendia, secũdum consuetudinem ad vnamquamque partem anni, persolueret, astantibusque omnibus ordine suo, quidam latrunculus (qui eadem in aula nemini seruiens versabatur, bibens & comedens quotidie ad mensam episcopi) cæteris seruitoribus salaria expetentibus se intermiscuit, quibus aduersus eum murmurantibus, quòd nemini seruiens stipẽdium expectaret, episcopus illum interrogat, cuinam inseruiret, & quid negotij obiret? Qui respondit: tibi reuerendissime domine inseruio, & id quod alij strenuus adimpleo. Quale nam sit seruitium episcopo interrogante, dixit: quotidie bis in die lautè ad mensam

tuam comedo & bibo. Cui episcopus subridens stipendium persoluit.

Nobiles legibus castrensibus, & terrestribus à regibus suis constitutis, vtuntur, ad ciuitatesque prouinciales & districtuales, quas superius enumerauimus, citantur, nomine capitanei illius regia munia obeuntis, qui arci prouinciæque præest, hosque terminos castrenses appellant. Ad terrestres verò terminos, qui rarius celebrantur, in anno sex inter quatuor vicibus, nomine regis in eandem arcem citantur, vbi à iudice terrestri vices regias adimplente iudicantur. Ciues verò in ciuitatibus imperatorijs legibus, quas Magdeburgenses appellant, vtuntur.

Conclusio. Atq; hæc nobis de regno Poloniæ breuiter dicta sufficiant: quod multis de caussis toti reipubl. Christianæ vtilissimum est, à gentibusque varijs crudelissimis Tartaris, & Turcis videlicet, munitissimum propugnaculum Germaniæ præsertim regionibus.

MAGNI

MAGNI DVCATVS LITVANIÆ CVM SVIS PROVINCIIS, PALATINATIBVS, CIVITATIBVS & *castris præcipuis, compendiosa descriptio.*

LITVANIA ab Oriente Russię, Moschouiæ duci subiectæ, contermina est, ab Occidente Podlassiæ, Massouiæ, Poloniæq;, & Prussiæ nonnihil in Septentrionem reflectẽdo adhæret, à Septentrione Liuoniæ, Samogitiæque, à Meridie Podoliæ, Woliniæque Russiæ regionibus adiacet. Porrò Lituania regio est amplissima, plurimos ducatus regionesque & prouincias diuersis nominibus appellatas, suo nomine complectens, & Vitoldi Magni Ducis temporibus, à Ponto Euxino, Tauricaque cher soneso ad sinum vsque maris Baltici, pelagumque Curlandiæ, Liuones, & Prutenos versus fines suos longo tractu extendebat. Omnis autem Magnus Ducatus Lituaniæ in Palatinatus & districtus certos, siue prouincias, vbi iudicia particularia, & terrestria, pro nobilibus exercentur, non secus, ac Polonia diuisus est. *Amplitudo Lituaniæ.*

Hij verò districtus & Palatinatus pro ducatibus (vt quondam temporibus plurimorum ducum erant) computari possunt, & vnusquisq; Palatinatus suum vexillum, quo in bello vtitur, habet. Eundem quoq; colorem & signum omnes districtus, siue prouinciæ, qui in eodem Palatinatu continentur, in vexillis suis repræsentant, nisi quòd Palatinatus vexillum maius est, cum duobus cornibus, districtuale verò minus simpliciter protensum cum vno cornu.

Lituaniain Palatinatus diuidi-tur.

Vexillum Ducatus Lituaniæ.

Primò itaque vexillum Magni Ducatus Lituaniæ peculiare & quadriangulare, ad differentiam cęterorum, sexaginta vlnas sericeæ telæ rubeæ continet, in medio insigne proprium, hominem videlicet armatum, equo albo velociter currenti, insidentem, gladiumq; super caput manu extensa tenentem gestat, desuper stemmatis pileus ducalis, ex altera verò parte vexilli pro insigni, imaginem diuæ virginis Mariæ in Sole cum puero, habet.

Vexillum supremi ducis exercitus eiusdem amplitudinis, quadriangulare quoque, coloris lasurini eodem stemmate Magni Ducatus, ex vna partium in campo rubeo, (campus hic locus stemmatis intelligitur) ex altera diui Stanislai episcopi Cracouiensis imaginem gestat.

PALATINATVS VILNENSIS.

Vilnæ descriptio.

VIlna vrbs, caput & metropolis totius Lituaniæ, intra colles ad confluxum Vilnæ, (à quo nomen habet) & Viliæ fluuiorum sita, muroq; circumducta, ipsa quoq; murata. Arces duas insigniter muratas adiunctas sibi habet, quarũ vna inferior, (hæcq; ampla & sumtuosissimè extructa) altera superior, in colle

colle eminentissimo condita, eas enim ex vna parte Vilna, ex Oriente fluens, ex altera Vilia fluuij ibidem concurrentes, præterlabuntur. Porrò Vilna, quæ nomen vrbi indidit, minor est, Vilia verò est amplior & nauigabilis, quo merces ex Vilna nauibus, Gedanum Prussiæ emporium celeberrimum, deportantur. In hac vrbe plurima templa Romanæ obedientiæ, & Ruthenorum ritus magnis sumtibus extructa. Episcopalis sedes in Basilica arcis cathedrali diuo Stanislao dicata. Metropolitanus quoque Russiæ ibidem sedem suam in Basilica Ruthenici ritus præcipua, titulo diuæ virginis Mariæ insignita retinet. Porrò in toto Lituaniæ Magno Ducatu, quinque sunt Romanæ obedientiæ episcopatus, vtpote Vilnẽsis, Samogitiensis, Kiouiensis, Lucẽsis, & Ianouiensis. Septem præterea præposituræ siue parœciæ insigniores, à Vladislao Iagielone, (qui primus Lituanos baptizauit) fundatæ & dotatæ, vtpote Vilkomeriensis, Misogoliensis, Nemenciensis, Mednicensis, Kreuensis, Obolcensis, & Haynensis. Archiepiscopus, qui suprà dictis episcopis Lituaniæ præest, Leopoli in vrbe Russiæ sedem suam habet. Ruthenici verò ritus in Lituania & Russia, Polono regi subiecta, septem sunt. Metropolitanus, siue Archiepiscopus Vilnæ, sedem suam habet. Episcopi verò, quos *Vladicas* Rutheni appellant, hi sunt Polocensis, Volodimiriensis, Lucensis, Pinscensis, Kiouiensis, Præmislienſisque, & Leopoliẽsis, qui etiam metropolitæ titulo vtitur, horum mores, habitum, religionem in Moschouiæ descriptione de religione Russiæ videbis.

Vilna fluuius.

Vilia fluuius.

Episcopi Lituaniæ Romani.

Episcopi Ruthenici.

Vilnensis Palatinatus vexillum rubeum est, & bicorne, 35. vlnas telæ sericeæ continens, ex vna parte

in campo albo Magni Ducatus insigne gestat, ex altera columnarum, antiquo gentis stemmate insignitur.

In hoc Palatinatu tres sunt ingentes districtus, siue prouinciæ, Osmianensis, Bratislauiensis, & Vilcomerienſis, horum quilibet proprium vexillum (quo nobilitas districtualis in bello vtitur) habet.

OSMIANA oppidum ligneum à Vilna 7. mil. abest, territorium ad se pertinens satis amplum habet, in quo sunt complura oppida regia & nobilium. Vexillum rubeum simile Vilnensi, sed cum vno cornu, stemmate Magni Ducatus in campo albo insignitum gestat.

VILKOMERIA oppidum ligneum ad Swienta fluuium situm. Curia est in ea iudicialis, in qua caussæ nobilium disceptantur. Arx per Crucigeros Prussienses exusta, nunc in scopulo vestigia eius apparent. Prouinciam ampliſſimam, ad 25. mil. patentem habet, in qua sunt oppida complura regia, nobilium, spiritualiumque. Vexillum quoque rubeum, stemmate Magni Ducis ex vna parte ornatum, ex altera diui Michaelis imagine insignitum defert.

BRATISLAVIA ciuitas lignea, arcem sibi adiunctam in scopulo ad lacum ampliſſimum conditam habet. Vexillo rubeo, nobilitas districtus Bratislauiensis, cum stemmate Magni Ducatus in bello vtitur. A Vilna viginti milliaribus distat. Ikaznia arx murata, & ciuitas lignea ad fluuium eiusdem nominis, à Bratislauia 2. milliaribus distat. Drisswiat arx ad lacum ampliſſimum eiusdem nominis sita, à Bratislauia 5. mil. abest.

PALA-

PALATINATVS TROKENSIS.

TRoki ciuitas lignea, muro, cuius adhuc ruinæ apparent, quondam circumdata, sed à Crucigeris Prussienſibus cum munitione deuastata. A Vilna sex milliarib. distat, arcem habet in lacu satis opportunitate loci munitam, ad quam nisi nauibus peruenitur. In ea olim sedes ducum Lituaniæ erat, postea in Vilnam translata. Est quoque aliud oppidum eiusdem nominis quatuor à Vilna milliaribus, ad Vacam fluuium, quod ad differentiam huius, nouæ Troki dicitur. In hoc Palatinatu quatuor sunt ingentes districtus, Grodnensis, Cowensis, Lidensis, & Vpitiensis.

GRODNO ciuitas lignea, arcem muratam in scopulo sitam habet, quam Nemen siue Cronon fluuius celebris & nauigabilis præterfluit, vnà cum ciuitate. Eò merces Gedanum ex regionibus Lituaniæ, nauibus deferuntur. Territorium Grodnense satis amplum est, quod pro ducatu olim habebatur. Vexillo lasurini coloris vnicorni correspondens Palatinali, stemmate Magni Ducatus insignito vtitur. *Districtus Trocensis.*

COWNO ciuitas lignea insignis, plures tamen in ea domus reperiuntur lapideæ, ad confluxum Nemenis & Viliæ fluuiorum nauigabilium sita, arcem muratam antiquitus in scopulo conditam habet. Vexillum quoque lasurini coloris in bello nobilitas districtualis gestat.

LIDA oppidum ligneum, districtuale arcem muratam, in qua iudicia nobilium celebrantur, habet, districtus Lidensis. Vexillum quoque lasurini coloris in bello gestat.

VPITA ciuitas lignea prouincialis, districtum amplissimum cum multis oppidis complectitur. Vexillo cæteris sui Palatinatus districtibus simili in bello vtitur.

Vexillum Palatinatus Trocẽsis bicorne, 35. vlnas telæ sericeæ lasurini coloris continet, stemmate Magni Ducatus in campo rubeo insignitur.

PALATINATVS MINSCENSIS.

MInsko ciuitas lignea amplissima, arx ex roboribus extructa, natura & opportunitate loci munitissima, fossa profunda circumducta, eam fluuius quidam molendinis frequens præterlabitur. Vexillũ huius Palatinatus purpurei coloris bicorne, stemmate Magni Ducatus in campo albo insignitur. Districtus quoque eius Recicensis, quem vnum complectitur, simile vexillum, sed vnicorne gestat.

KEIDANOW arx cum oppido à Vilna 25. milliaribus.

RADOSKOWICE castrum cum ciuitate. Hîc rex Poloniæ Sigismundus augustus copias armatas numerosas centum millia superantes recensuit, anno Domini 1568.

BORISSOW ciuitas lignea, arx ex roboribus extructa, munitissimeque propugnaculis, parietibus quaternis intrinsecus terra lapidibusq; impletis firmata, fluuio Beresina opportunè circumducta. A Vilna 40. milliaribus distat. Vexillo prouinciali caret, sed in ea milites præsidiarij, contra incursum Moschorũ continuò asseruantur, ad eam enim Moschus fines suos pertinere contendit.

LOHO-

LOHOISKO ciuitas cum arce lignea, à Borissow 8. mil. distat.

SWISLOCZ castrum cum oppido ad fluuium eiusdem nominis.

BOBROISKO arx cum ciuitate, ad Beresinam fluuium.

ODRVCZKO arx in colle eminenti lignea, olim pro ducatu computabatur, nuncque plures nobiles Russi titulo huius ducatus vtuntur.

NOVOGRODENSIS PALATINATVS.

NOuogrodek ciuitas ampla lignea, quondam secundis genitis principum Lituaniæ attributa erat, nunc in Palatinatum redacta est. Vexillum bicorne rubei coloris stemmate Magni Ducatus, in campo albo insignitum in bello gestat. Districtus duos Slonimensem, & Wolkouiscensem complectitur.

SLONIM ciuitas & munitio lignea, olim secũdo genitorum Magnorum Ducum Lituaniæ erat, & pro ducatu cum suo territorio cõputabatur, postea in prouinciam redacta est. Vexillo rubeo vnicorni stemmate Magni Ducatus insignito prouincialis nobilitas vtitur.

WOLKOVISKO ciuitas ampla, curia in ea iudicialis, vbi caussæ nobilium disceptantur. Vexillum quoque rubeum Slonimensi simile habet.

MSCZIBOW oppidum & arx lignea in stagno natura loci munita, planitie circumdante, à Wolkouisko 2. mil.

Oppida plurima hic Nouogrodensis tam regia,

quàm nobilium cum ſuis diſtrictibus prædictis complectitur.

PALATINATVS BRESTIENSIS.

BRestia ciuitas ampla lignea, in finibus Lituaniæ ſita, contermina Podlaſſiæ. Arcem ligneam amplam ſibi adiunctam habet, natura oportunitateque loci munitam, & duobus fluuijs, quorum vnus Mucha Wiecz, alter verò Bug vocatur, opportunè circundatàm.

Vexillum bicorne laſurini coloris, in campo rubeo, ſtemma Magni Ducatus inſignitũ geſtat, vnum duntaxat ampliſſimum, tamen diſtrictum Pinſcenſem videlicet complectitur.

PINSCO ciuitas lignea ſatis ampla, ad fluuium Perepetum ſita, qui multis oppidis Ruſſiæ prætelapſis, in Boryſthenem fluuium ampliſſimũ defertur.

Hæc ciuitas cum ſuo territorio quondam inter principatus Ruſſiæ computabatur, à Gediminoque Magno Lituaniæ duce ſubacta, ſecundo genitorum principum Lituaniæ erat, nunc in prouinciam eſt redacta. Nobilitas prouincialis vexillo laſurini coloris, ſtemmate Magni Ducatus inſignito vtitur.

Perepetus arx & ciuitas ad fluuium eiuſdem nominis ſita.

VOLINIA REGIO.

VOlinia inter cæteros Ruſſiæ principatus, gentem bellicoſiorem habet. Eſt autem regio ampliſſima, frugum omnigenarum abundans, ſyluis ferigenis, ſtagnisque piſcoſis referta, ad Magnum Ducatum Lituaniæ pertinebat, ſed nunc regno Poloniæ adiun-

adiuncta eſt. Hij verò populi à Walga fluuio ampliſſimo, qui Moſchouitas à Tartaris diſterminat, (prout in deductione Polonorum latius dictum eſt) in hanc regionem venerunt, quam à ſuo nomine, (Volgari enim à Volga dicebantur) Valgariam, poſtea ſucceſſu temporis, Voliniam nuncupauerunt. Viri ſunt ſtrenui & bellicoſi, Ruthenico idiomate, moribusque & religione vtuntur. In tres diſtrictus ſiue prouincias hæc regio diuiditur, Lucenſem, Volodimirienſem, & Cremenecenſem. Vexillum huius regionis bellicum principale bicorne eſt, purpurei coloris in campo albo ſtemmate Magni Ducatus Lituaniæ inſignitum. Prouincialia quoque vexilla eundem colorem & ſtemma referunt, niſi quòd vnicornia ſunt ſimpliciter protenſa.

Volinia denominatio.

LVCZKO ciuitas prouincialis lignea, ſede epiſcopali Ruthenorum, & Romanæ obedientiæ clara, arces muratas duas in colle eminenti habet.

WOLODIMIRIA oppidum ligneum, munitionem quoque ligneam ad paludes ſitam habet, quondam pro ducatu habebatur.

KRZEMENEC ciuitas ampla lignea, caſtrum quoq; ligneum, argilla circumlinitum habet.

Hæ autem ciuitates prouinciales, complura oppida & munitiones ad ſe pertinentes complectuntur.

CHABNO arx & oppidum ad Vſſam fluuium ſitum.

OWRVCZI caſtrum & ciuitas ampla in colle.

OLEWSKO arx & ciuitas ad Huberczia fluuiũ.

ZITHOMIR arx lignea in colle condita.

KOREC arx & ciuitas lignea, pro ducatu olim cum ſuo territorio computabatur.

KAMIENIEC munitio,in colle sita.

ZBARASZ arx & ciuitas olim sui iuris erat,cum suo territorio, & pro Ducatu nunc etiam computatur,pluresque nobiles & domini huius regionis ducum titulo à suis ciuitatibus vtuntur.

PALATINATVS KIOVIENSIS.

KIouia vetustissima, amplissimaque vrbs ligneis septis circumdata,olim totius Russiæ metropolis, ad fluuium celeberrimum Borysthenem sita, à Vilna centum viginti milliaribus Polonicis distat. Eam quondam magnificam,& planè regiam fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ,& monumenta,quæ sex milliaribus patent,indicant. Apparent adhuc hodie in vicinis montibus & collibus ecclesiarum, monasteriorumque,& ædificiorum desolatorum vestigia. Præterea cauernæ quædam subterraneæ vastissimæ,longo tractu subtus terras extensæ, quas quidem octuaginta milliaribus protendi dicunt, in his plurima antiqua sepulcra, corporaque illustrium quorundam Russiæ virorum, (quamuis antiquitus positæ) carie tantùm consumta, integra tamen apparent, præcipuè verò duorum quorundam principum cadauera, in vestibus gentili more, prout viui ambulabant, integra veluti recèns posita apparent.Sicque insepulta in specu iacent, quæ peregrinis & aduenis à monachis Ruthenici ritus ostẽduntur. Iuxta hanc vrbem, arx satis munita, ex roboribus & lapidibus, terraque ad Borysthenem constructa est. Porrò Kiouiensis tractus amplissimus est, quinquaginta milliaribus Polonicis,plusve patens,olim sui iuris principem habebat,

bebat, nuncin Palatinatus formam redacta est. A Kiouia in meridem reflectẽdo.Circassi ciuitas lignea ad Borysthenem sita occurrit, eius incolæ Circassi dicuntur, longoque tractu, iuxta Borysthenem degunt. Rutheni sunt, (alij tamen ab his,qui ad Põtum Euxinum in mõtibus habitant.) viri bellicosi & strenui, cum Tartaris Præcopensibus, sibi in vicinio adhærentibus,frequenter belligerant, in prouinciasq; eorum excurrunt, & prædas, iumenta videlicet,abigunt. distat autem ciuitas Circass à Kiouia, viginti quinque milliaribus Polonicis. Supra Circassos septem milliaribus per Borysthenem ascendendo.Kaniow oppidum viris bellicosis circumquaque habitantibus clarum occurrit, 17. milliaribus à Kiouia abest. Infra Circassos & Kaniouienses nullæ habitationes Christianorum sunt. Campestria enim desolata colonis vacua, ipsis solummodo feris domiciliũ præbentia,quadraginta milliaribus ad Oczakow vsque castrum & ciuitatem in ostijs Borysthenis sitam, patent.In Ocyakow autem ciuitate,& circumquaq; in campestribus Tartari Præcopenses degunt, ipsa verò ciuitas cum arce Turcicis præsidijs (quãuis Tartari eam incolant)tenetur,& huc vsque Lituanorum colonia, Vitoldi temporibus erat: sed ad rem, vnde digressus sum, redeo.

Circassi bel licosi.

Russi.

Kaniow.

Kiouiensis Palatinatus vexillum bellicum viride bicorne,stemmate Magni Ducatus in campo rubeo, ex alia verò parte vrso in campo albo insignitum gestat. Distrinctum vnum duntaxat Moserensem, amplissimum tamen, habet.

MOSER ciuitas prouincialis, ampla lignea, ad fluuium Perepetum condita,qui duodecim milliari-

bus supra Kiouiam hausto fluuio piscoso, *Tur* dicto, Borysthenem influit. A Kiouia triginta milliaribus Polonicis distat, à Bobransko totidem, à MohilowW viginti, ab Orsha viginti sex. Vexillo Mozerensis districtus viridi prout suus Palatinatus vtitur.

MSCZISLAVIENSIS PALATINATVS.

MSczislauia ciuitas lignea, ad fluuium Sosam dictum sita, arcem quoq; ex roboribus apprimè munitam habet. In ipsis finib. Moschouiæ iacet, ideo præsidiarij milites in ea continuò asseruantur. Vexillum huius Palatinatus crocei coloris est, Magni Ducatus stemmate in campo rubeo insignitum, distrectualibus ciuitatibus caret, plurima tamen oppida & arces complectitur, quõdam sui iuris principem habebat, sed nunc in prouinciæ formam redacta est.

Nunc castra ad Borysthenem sita breuiter recensebimus.

DAMBROWNA prima arx à Moschouiæ finibus ad Borysthenem cum oppido sita, à Smolensko decem quatuor milliaribus abest, ab Orsha quatuor.

ORSHAM in Witeblensi Palatinatu describemus.

KOPYSZ castrum cũ oppido ad Borysthenem, ab Orsha quatuor milliaribus distat.

SKLOW arx cũ ciuitate ad Borysthenem, à Kopisz duobus milliaribus distat, pro comitatu computatur. Vnde se illustris ac magnificus Dominus, Ioannes Chodkiewic comitem scribit.

MOHILOW arx cum ciuitate ad Borysthenem sita, sex milliaribus à SkloW.

BYCHOW castrum cum oppido ad Borysthenem situm, à MohilowW duodecim milliaribus.

RECZYCZA arx cum oppido ad Borysthenem sita.

STRISSIN arx cum ciuitate ad Borysthenem.

LVBETZ arx ad Borysthenem sita.

VISZEHOROD arx ad Borysthenem, à Kiouia tribus milliaribus abest.

VITEBSCIENSIS SIVE VITEBLIENSIS PALATINATVS.

VItebsk ciuitas satis ampla lignea, ad DWinam fluuium insignem & nauigabilem, quo merces omnigenæ Rigam Liuoniæ metropolim deportantur, sita. Arces duas amplissimas natura, & opportunitate loci munitissimas habet, quarum vna inferior in planitie sita, ciuitatis formam amplitudine referens dicitur. Altera superior in colle eminentiori condita, vtraque propugnaculis, & parietibus ex roboribus extructis, terraque & lapidibus impletis, supellectiliq́ue bellica tormentis & bombardis apprimè munita. Eas vnà cum ciuitate ab Oriente fluuius DWina oportunè præterlabitur, in quam sub ipsa arce ex altera parte Viczba fluuius exoneratur. Hæc arx omnium arcium finitimarum, totiusque Lituaniæ, est fortissimum propugnaculum contra incursum Moschorum, in ipsis enim finibus hostium iacet. Sæpius ab ea Moschouitæ cum suo ingenti damno fugati repulsiq́ue sunt. Quatuor in ea præfecti siue ductores militum pedestrium asseruantur, in quorũ ego numero cum patre meo Ambrosio Guagnino, quincentenariæ cohortis decem annis præfe-

ctus eram. A Vilna octuaginta milliaribus distat, quondam sui iuris principem habebat, & pro ducatu computabatur, nunc in Palatinatum redacta est. Vexillum viridi coloris bicorne, stemmate Magni Ducatus in campo albo insignitum gestat. Districtum siue prouinciam vnam duntaxat complectitur, Orshensem videlicet.

ORSHA ciuitas lignea ampla, ex vna parte stipitibus præacutis munita, ex altera Borysthene fluuio alluitur, arcem munitam muratam sibi adiunctã habet, quam ab vna parte Borysthenes, ab altera Orshicza fluuius (qui nomen ciuitati indidit) præterfluit, à Witebska 18. milliaribus abest. Vexillo viridi prouincialis suus Palatinatus in bello vtitur.

SVRAS castrum inter Dunam, Casplam, & Surascam situm, à Witebska octo milliaribus superius Orientem, ad Moschouiam versus procedendo: tandem Occidentem versus à Witebska 14. milliaribus occurrit.

VLA arx in conflictu Vlæ (à qua nomen habet) & Dunæ fluuiorum, à Moschouitis olim fundata possessáque, & à nostris sæpius, frustra tamen tentata, postea à duce Romano Sanguskowicz inopinata irruptione capta, exustáque, & à nostris restaurata.

TVROWLA castrum Moschorum ad fluuium eiusdem nominis, & Dunam munitissimè sita, à Poloczka tribus milliaribus abest.

SVSZA arx Moschorum, ad lacum eiusdem nominis, Moschouitis *Copia* dicitur.

CZASNIKI castrum & oppidum ligneum, ad Vlam fluuium situm, à Susza quatuor milliaribus abest.

SIENNO

SIENNO arx cum oppido à Czasniki sex milliaribus distat.

LEPLO arx & ciuitas bene munita, in lacu quasi peninsula condita, à Czasniki septem milliaribus abest.

CIOTCZA munitio ad lacũ eiusdem nominis.

CRASSNE arx Moschouitica, à Ciotcza vno milliari sita.

WORONIEC castrũ cum oppido ad Vsaczam fluuium situm, à Poloczka tribus milliaribus abest.

STRZYZOW munitio ad lacum ingentem sita.

PALATINATVS POlocensis.

POloczko olim ciuitas lignea amplissima, stipitibus septisque ligneis circũdata, ad DWinam fluuium condita, arcem ligneam natura & oportunitate loci munitissimam, turribus & propugnaculis firmatam habet, quam ab vna parte DWina, ab altera Polota, à qua ciuitas nomen sortitur, præterfluit. Milites in ea præsidiarij à rege Poloniæ frequenter asseruabantur, ciues & mercatores in ea ditissimi erant, sed anno Domini 1562. Ioannes Basiliades Magnus Dux Moschouiæ, eam vi tormentis bellicis admotis, strenua oppugnatione, obsidium verò indigenti & oscitãti defensione, in ditionem suam redegit, Poloniscq; præsidiarijs liberè dimissis, Lituanos & Ruthenos ciuitatis incolas, cæterosq; qui illuc velut ad asylum confugerant, in Moschouiam vinctos abduxit, prædamque dictu incredibilem auri & argenti illinc asportauit: hæc ciuitas cum arce & suo territorio, in Moschouiæ principis ditione permanet, vs-

que ad ann. 1579. mense Aug. quo tempore Steph. Bator rex Polon. strenuè (vt postea dicetur) cum toto territorio recuperauit. Habebat olim sui iuris principem, & pro Ducatu amplissimo cõputabatur, purpurei coloris stemmate Magni Ducatus insignitum in campo albo nobilitas prouincialis, quæ regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ subest, in bello gestat.

VSACZA munitio ad fluuiũ eiusdem nominis, & Dunam sita, à Poloczka tribus milliaribus distat.

DISNA arx ampla, vallo forti & inexcusso circundata, rebusque bellicis apprimè munita, Disna, & Duna fluuio opportunè circumluitur; ciuitas quoq; inter eosdem fluuios vallo stipitibusque præacutis & propugnaculis munita, à Poloczka sex, à Vilna quadraginta milliaribus distat.

DRISSA arx cum oppido circumsepto, ad fluuium eiusdem nominis & Dunam, sex milliaribus à Disna sita.

DRVHA munitio cum oppido, ad eiusdem nominis fluuium, & Dunam à Drissa sex milliaribus abest.

Ab hac arce Liuoniæ fines, & arces ad Dunã sitæ, incipiuntur, quas suo loco descripsimus. Lituaniæ quoque & Samogitiæ ditio in occidentali ripa Dunę iacet. Samogitiam itaque describendam ordiemur, quæ moribus, vitęque consuetudine, & idiomate Lituaniæ similis est, eiusdemq; principatus.

DVCATVS SAMOGITIÆ.

SAmogitia regio satis ampla, proxima Lituaniæ, à Septentrione Liuoniæ contermina est, marique Balteo siue Germanico ab Occidente, nonnihil in Septentrionem reflectendo adiacet. Prussiam quoque in vicinia habet. Nullo castro munito insignis est, ciuitates tamen in ea cum pagis tam regiæ, quàm nobilium complures sunt. Huic regioni præfectus siue capitaneus supremus, à rege Poloniæ Magno Duce Lituaniæ præponitur, neque temere is nisi grauissimas ob caussas officio mouetur, sed quoad viuit perpetuò manet. Episcopum habet Romanæ obedientiæ. Agrestis turba in humilibus casis, ijsque oblongioribus vitam ducit, in quibus ignis in medio accensus ardet, ad ignem verò, pater familias cum domesticis, seruisque sedit, iumentaque & totam supellectilem domesticam cernit. Solent enim sub eodem quo ipsi habitant tecto, sine vllo interstitio pecora habere. Maiores eorundem cornibus animalium, vrorum videlicet, pro poculis vtuntur. Audaces sunt & strenui homines, & ad bellum promti, loricis alijsque plurimis armis, præcipuè autem cuspide venatorum vtuntur. equos adeò paruos habent, vt vix credibile sit ad tantos labores eos posse sufficere, quibus foris in bello, domique in colendis agris vtuntur. Terram non ferro sed ligno procindunt, quod eò magis mirandum, cùm terra eorum tenax & non arenosa sit. Araturi ligna complura quibus vomeris loco vtuntur secum portare solent, scilicet vt vno fracto, aliud atque aliud ne quid in mora sit, in promtu habeant. Quidam ex prouinciæ præfectis quo prouinciales grauiore labore leuaret, multos ferreos vomeres fabricare fecerat, cùm autem eo, sequentibusque aliquot annis segetes quadam cæli intemperie expectationi agricolarum non responderent, vulgus agrorum suorum sterilitatem

Habitationes Samogitarum.

Mos arandi agros.

ferreo vomeri pertinaciter adscribebat, nec aliud quicquam in caussa esse putabat. Præfectus eorum vulgi seditionem timens amoto ferro, suo eos more agros colere permisit.

Samogitia syluosa. Prouincia hæc nemoribus syluisque abundat, in quibus horrendæ quandoque visiones fieri dicũtur. Mel nusquam melius nobiliusve, quodq; minus ceræ habeat, albumque sit, quàm in Samogitia reperitur. Syluæq; illic summas diuitias ferunt; stipitibus enim cauatis mella passim promuntur. Sunt etiam nunc illic inter agrestes, idololatræ complures, qui serpentes quosdam quatuor breuibus lacertarũ instar pedibus, nigro obesoque corpore *Giuoiitos* patria lingua dictos, tanquam penates domi suæ nutriunt, eosque domo lustrata certis diebus ad appositum cibum prorepentes, cum tota familia quoad saturati in locum suum reuertantur, timore quodam circumstantes venerantur. Quod si aduersi illis quid acciderit, serpentem deum domesticum malè acceptum aestimatum esse credunt.

Samogitæ idololatræ.

Miraculũ. Accidit hoc nuper in Lituania, sex à Vilna milliaribus in pago quodã iuxta ciuitatem Troki, quòd quidam Christianus ab eiusmodi serpentis cultore, aliquot aluearia apum emit, quem cùm ad verũ Christi cultum multo labore adduxisset, vtque serpentem, quem colebat, occidere persuasisset, aliquantò pòst, cùm ad visendas apes suas eò reuersus fuisset, hominem facie deformatum, ore aures tenus, miserabilem in modum diducto offendit: tanti mali caussam interrogatus, respondit se quòd serpenti deo suo domestico manus nefarias iniecisset, ad piaculum expiandum hac calamitate puniri, multoque grauiora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Est etiam quatuor à Vilna milliaribus, Lauariski villa regia, in qua à multis adhuc serpentes coluntur. Hæc quamuis nõ in Samogitia, sed in Lituania gesta sunt, pro exemplo tamen adduxi.

Ritus gentilis Samogitarum. Agrestis turba in Samogitia sacrificium quoddã, solennesque epulas gentili more sub finem mensis Octobris, collectis frugibus, quotannis celebrãt hoc modo. Ad locum conuiuio, epulisq; sacris delectum, omnes cum vxoribus, liberis & seruis conueniunt, mensam feno supersternunt, desuper panes apponunt, & ex vtraque panis parte duo ceruisiæ vasa statuunt. Postea adducunt vitulum, porcum & porcam, gallum & gallinam, & cætera domestica iumenta, ex ordine mares & femellas. Hæc mactant gentili more, ad sacrificandum hoc modo: in primis augur siue incantator quispiam, verba quædam proferens, animal verberare baculo orditur, deinde omnes qui adsunt, iumentum per caput pedesque, baculis verberant, postea tergũ, ventrem, & cætera membra concutiunt, dicentes: Hæc tibi, ô Ziemiennik deus, (sic enim illum dæmonem agrestis turba appellat) offerimus, gratiasque tibi agimus, quòd nos hoc anno incolumes, & omnibus abundantes, conseruare dignatus es, nunc verò te rogamus, vt nos quoque hoc anno præsenti fauere, tueri ab igne, ferro, peste, & inimicis quibuslibet, defendere digneris. Postea carnes iumentorum ad sacrificium mactatorum comedunt, & ab vnoquoq; ferculo, antequam comedant, portiunculam amputant, & in terram omnesq; angulos domus proijciunt, dicentes: Hæc tibi, ô Ziemiennik, nostra holocausta susci pe, & comede beni-

gnus: omnesque tunc temporis lautissimè solenniter & opiparè epulantur. Hic verò ritus gentilis & in Lituania, Russiaq; ab agrestibus, quibusdam in locis obseruatur. Mare quod Samogitiam alluit Balteum, à quibusdam Germanicum, ab alijs Prutenicum dicitur, sinus Balticus propriè nũcupatur. Interluit enim Cimbricam chersonesum, quæ Germanis *Jutland*, Latinis *Jutia* vocatur. Alluit quoque Germaniam, & omnem Pomeraniæ regionem, atque longo tractu Liuoniam, Curlandiam, regionesque quasdam Moschorum principis, Suetiam, Phinlandiam, Daniamque circumluit. Huius regionis Samogitiæ, rex Polonus, magnus Dux Lituaniæ titulo vtitur, vexillum album bicorne stemmate Magni Ducatus Lituaniæ, in campo rubeo insignitum, Samogitia in bello gestat. Incolæ regionis, omnibus ferè cum Lituanis vestiuntur habitu cinericio, moribus, regione, idiomate paucula differentia interiecta, vtuntur. Ideo nunc ad describendos mores Lituanorum orationem dirigemus.

Mare Samogiticum.

Lituania admodum syluosa est, prout & Samogitia, paludes lacusque ingentes, & amplissimos in quibusdam locis maris, formam referentes, habet. Præterea multos fluuios nauigabiles, quorum alij Orientem versus, vtpote *Bog* (Herodoto Hipanis dictus) Perepetus, Tur, SWisłocz, & Beresina, in Borysthenem vulgò *Dnepr*, dictum exonerantur. Borysthenes verò pluribus fluuijs haustis in Oriente, tandem in Meridiem decurrens, in Pontum Euxinum illabitur. Alij verò Cronon, vulgò *Niemen* dictus, Vilia, KareW, Bug, in Occidentem nonnihil in Septentrionem reflectendo decurrunt, in mareque Germanicum

Fluuij Lituaniæ.

cum iuxta Gedanum celeberrimũ emporium Prussiæ exonerantur, DzWina autem Ptolemæo Rubon ex Moschouia ortus, à Riga duobus milliaribus eidem mari commiscetur.

Animalia in Lituania omnis generis parua sunt, gens misera maximè in villis & pagis graui seruitute oppressa, nam vt quisque famulorum caterua stipatus, domum coloni alicuius ingressus, impunè quidquis facere, res ad vitæ vsum necessarias capere, absumere, crudeliter etiam colonum verberare potest. Colonis quauis de caussa, ad dominos suos absq; muneribus, aditus non patet, quod si etiam admittantur, ad præfectos & officiales relegãtur, qui nisi munera accipiant, nihil boni decernunt, & vnum quodque verbum iudicis in Lituania, aurum est. Coloni quinque dies, aliquando sex, dominis suis laborant, dies verò Lunæ priuato labori conceditur, atque vt plurimum diebus Dominicis (nulla enim diuorum festa agrestes obseruant) quoduis opus absoluunt, agriculturam exercent, segetes prataque metunt, triturant, & id genus alia. Hoc verò & in Russia peculiare est: quod si interrogaueris, quare Dominico die laboras? respondere solent, nonne & die Dominico comedere oportet? Imperatam pecuniam quotannis ter quaterq; pro defendendis regni finibus pendunt, à dominis quoque tributis adinuentitijs grauiter onerantur, pane atro & vilissimo, siligine vnà cũ spicis commolita vtuntur, molendina siue pistrina manualia, agrestes in pagis trina quinaue domi habent, eisq; ad commoliendas fruges vtuntur, dumq; hæc molendina manibus vertunt, patrio more, agrestem quendam concentum edere solent, dicentes,

Tributis Lituani onerantur.

Molendina Lituanorũ.

melior, hocque verbum frequentius ad cantilenę similitudinẽ repetunt, id verò est, tam viris quàm mulieribus peculiare, quòd de illa re, quam tunc in opere habent, cantilenas agrestes canant. Tubas quoq; ligneas oblongas habent, quas inflantes, mirũ quendam & dissonum concentum edunt, aliquandoque vnus duas insimul tubas, harmonia quadam correspondente inflat.

Omnes ferè Lituani, & Samogitæ, Liuonesq; vestitu vili cinericio, communiter vtuntur, vt cùm turmatim vulgum stantem in foro conspexeris, neminem nisi cinericia veste indutũ videbis, cothurnosq; ex tiliæ libro, vel ex pellibus iumentorum, vnà cum setis detractis conficiunt. Currus leues absque vllo ferri ministerio conficiunt, & omnia compangunt, arboreis gomphis & ligna coacta vicem ferri complent, rotasque ex vno ligno, in gyros aptas contorquent. Pinguedine vel pice nunquam linunt currus, & quando multi insimul vehuntur, mirus quidam cõcentus querulorum axium longè auditur. Versus:

Neq; linunt Rutheni querulos pinguedine currus,
Haud picis auxilium stridulus axis habet.
Auditur veniens longè crepitare Colassa,
Sic fragiles currus, Russe, vocare soles.
Nam faciunt habiles, vno vectore quadrigas
Inuectas Rutheni, quas equus vnus agit.
Nec facile inuenies ferrato hærentia clauo
Plaustra, facit ligni cuncta ministerium,
Et sine ferri iussu pangunt sua plaustra terebris,
Et lignum ligno consolidare solent.

Frumenta omnis generis, primò in calidissima

cassa, fumo exsiccant, & postea in horreo coràm extructo excutiunt.

ARANDI SEMINANDIQVE MODVS *in Russia alba Moschouiæ confini, & in Magno ducatu Lituaniæ.*

IN primis agros hoc modo prępar ant, circa festum diuorum Petri & Pauli in æstate, ad festum vsque assumtionis Mariæ, nemora, myricesque excindere solent, quam excisionem arbustorũ vulgariter *Lada* appellant, eam si nemus densum fuerit, stramine supersternunt, per hyememque sic durare patiuntur. Vere autem postea redeunte, post Paschatis festum Sole torrido aliquot diebus ingruẽte, illam prostrationem prædictam arbustorum, stramine suppositò, superstratoque succendunt, & in cinerem comburunt, vbi verò terra non combureretur, illic nihil ferè nasceretur, ideo ligna incombusta congerunt, in struemque composita, denuo succendunt, sicque in illa terra combusta, & inculta, collectis duntaxat carbonibus, & titionibus superfluis, triticum seminant primò, & supra sementem, vno equo iuncto aratro, arant & occant, in Russia videlicet. Lituani enim bobus cornibus aratrum trahentibus, arare solent, tantaque ibi fœcunditas dictu incredibilis subsequitur, vt Cererem in illis regionibus natam affirmares. Eodem modo & hordeum seminatur, metitur, & colligitur, nisi quòd crassiora nemora pro hordeo excinduntur, & pinguiorem terram, magisque triticum exigit. In huiusmodi autem agris, per annos sex vel octo fimo stercoreque, non superposito seminare solent.

Quod si arbores nimis altæ, & crassæ in ea sylua, vbi seminaturi sint, essent, vtpote pinus, fraxini, robora, & id genus aliæ, eas non succindunt, nisi frondes, ramosque circumsecant, ne Solem agro præriperent. Rusticus verò vnus, omnes arbores vna semel ascensa circumsecabit non descendendo, instrumentum enim ad id factum, quasi sedile, ad stapedæ similitudinem secũdum proportionem hominis sedentis factum, arbori fune longo appendit, sicque sedens à puero, fune alio ab arbore ad arborem, facilè transfertur, habetque ad latus alligatum lignum curuum, ad id studiò præparatum, quo arbori appropincatus, firmiter eam apprehendit, quam à vertice ad radicem vsq; circumsecat, & frondes illas eodem modo supradicto æstate redeunte, succendit, & seminat.

Siliginem postea seminant hyemalem, super hæc culta noualia, tritico vel hordeo collecto, sed duobus vicibus ad siliginem arare coguntur, quam seminare incipiunt circa festum assumtionis Mariæ, 15. Augusti, quòd si segnis agricola non absoluerit seminationem ad aliud festum natiuitatis Mariæ, in quatuor hebdomadis sequente, octauo Septembris die, tunc fructifero prouentu consueto frustratur. Hanc seminationem siliginis hyemalem appellant: vere enim redeunte, aliam æstiualem vocatam, seminant.

Mirus seminandi modus.

Est quoque alius seminandi mos nuper adinuentus, in prædicta prostratione, succisioneq; nemorum superius descriptorum, hoc modo: Duabus partibus hordei, tertiam siliginis intermiscere solent, quam commixtionem vere instante, tempore consueto semi-

seminant, eadem æstate hordeũ solummodo demetunt, siliginem verò subter hordeũ ad modum graminis paulatim densissimè crescentem per hyemem durare sinunt, quæ sequente æstate, adeò fœcundissimè, densissimeque excrescit, vt equo vix eam densitatẽ penetrare possis, & ex vno grano triginta plusve spicæ pullulare in tantam altitudinem solent, vt vir equo insidens, vix ex ea appareat. Omnes verò agros Rutheni vno equo iuncto aratro, proscindere solẽt, terra enim per se nimis facilis est.

Hic autem ordo in seminandis frumentarijs, in tota ferè Sarmatia obseruatur, primò post festum Paschæ triticum seminãt, postea siliginem æstiualem dictam, ab æstiuali semination vulgariter *Jarzyczą* appellatur, ad differentiam hyemalis siliginis, quæ vt diximus, pro festo assumtionis Mariæ seminatur ad hyemem futuram, vnde vulgariter *Ozimina* dicitur. Ex hac si æstate seminaretur, nihil prorsus nasceretur, & econtra si æstiualis ad hyemem pro hyemali seminaretur (quamuis sibi grano similes essent, & eiusdem quasi naturæ viderentur) nulli vsui esset, sed in gramen inutile verteretur.

Hanc itaque æstiualem circa festum Paschę seminant, secundũ agri possibilitatem, præparationemq; Poloni, Lituani & Rutheni nigri, cum Massouitis & Prutenis, propter Solisque beneficium, & regiones temperatiores priori seminatione, longè antecedũt, Ruthenos albos, & Moschouitas in Septentrionem degentes, qui ob intemperiem aëris posterius hijs omnibus seminare coguntur, attamen interdum eodem tempore agros demetunt. Hoc autem mirũ est, quòd siliginem seminantes æstiualem, post Paschatis

MÁSODLAT
A M. K. MÚZEUMI
SZÉCH. ...

festum interdum, aliquot elapsis hebdomadis, tamen eadem æstate, vt decet maturam quasi per octo duntaxat hebdomadas demetunt, colligunt & recondunt.

Pisa circa ferias diui Adalberti seminant, vulgariter *Groch* dicta, quam ad longum vsum exsiccata reseruant.

Auenam & hordeum post Pentecostes festum seminant, quæ vulgariter *Owies* dicitur. Hordeum *Jeczmien* appellant.

Cicer vndecim post Pascha hebdomadis elapsis ante diui Petri festum seminatur. *Tatarka* Polonis, *Grecicha* Ruthenis & Lituanis dicitur.

Rapæ circa diui Ioannis Baptistæ ferias seminantur. Et omnia eadem æstate, seminata colliguntur, triturantur, trituratáque in domibus reconduntur, ita vt granum ex penu ad seminãdum depromtum, in decem aliquando, in octo hebdomadis secundum Solis clementiam ad penu vnde exiuit, reuertitur, agricolæ suo centuplum fructum referens.

Recondendi frumẽti Polonorũ mos.

Poloni omnes, Ruthenĩ nigri, (quorum metropolis Leopolis est) Massouitæ, Silesij, Pruteni & Lituani quidam in horrea & aceruos magnos recondunt frumenta, & aliquando apud bonum patremfamilias quadringentos, sexcentosve aceruos quasi turres quadrangulares eminentes reperies, ad quindecim plusve interdum annos reconditi frumenti plenos. Sed Rutheni albi, Moschouitæque omnes, & Lituani, statim de agro in penu frumenta defalcata & triturata congerunt, & recondunt. quidam in cauernis subterraneis, in abditis syluarum studio ad id effossis, & intus bene cum corticibus arborum adaptatis,

Lituani & Moschouitæ quomodo recõdant frumenta.

aptatis, frumenta, insuper omnia victuaria, carnes porcinas salsas, & id genus leguminum ad victum pertinentium, vestesque, & præcipuam supellectilem recondere solent, præsertim belli tempore, vbi miseri coloni securi sint, ab incursu hostili frequenti, & rapinis suorum militum.

Hoc autem apud eos in vilis præcipuè obseruatur, si quis forte capite damnatus fuerit, de seipso iubente domino, supplicium sumere suisque manibus se suspendere, etiam si recusauerit minis verberibusque exagitatus cogitur. Atque hæc nobis de Lituanis sufficiant. Hic tibi lector candide sciendum restat, quod in hoc magno ducatu, qui Polono regi cum vniuersis suis prouincijs subest, plurima sunt oppida & castra tam regia quàm nobilium, ecclesiasticorumque, quæ hîc non sunt posita. Hîc enim nos solummodo prouinciales insignioresque ciuitates, & arces quæ olim pro ducatibus cum suis territorijs habebantur, descripsimus. Sunt præterea complures duces particulares in Lituania, comitatusque ex quibus Slucensis ducatus celebrior est, princeps enim illius, quamuis regi Polono Magno Lituaniæ duci subsit, & ad quæuis mandata regis exequenda paratus fuerit, rerum tamen in suo ducatu qui 30. milliaribus Polonicis in longitudinem & latitudinem patet, integrè potitur, & thesauro priuato cum Italiæ, Germaniæque quibusuis principibus magnis, facilè adæquari potest. Sunt quoque duces alij plurimi insignes, quorum respectu Magnus Ducatus Lituaniæ dicitur, ex hijs primas obtinent, illustres & magnifici domini Radiuilones, dominus Nicolaus Radiuilus, in Bierze & Dubingij dux, lumen patriæ

Supplicij sumendi modus.

Sluezko in Russia ciuitas & ducatus.

& alter Cicero Hectorque Lituaniæ, Palatinus Vilnensis, & illustris heros Nicolaus Christophorus Radiuilus, dux in Olika & Nesvvicz, comes in Schidlovviec, Mareschallus curiæ dignissimus, fraterq; suus idem dux, Dei gratia episcopus Vilnensis designatus, Georgij nomine gaudens. Ille quoque alter Scipio illustris heros dominus Ioānes Chodkie Wicus, comes in Sklow & Mess, Castellanus Vilnensis, archimareschallus Magni ducatus Lituaniæ, exercituumque imperator & gubernator Liuoniæ, ac capitaneus Samogitiæ generalis, virtutū speculum insigne, Martisq; & Mineruæ alumnus. Insuper multos alios Heroum antiquorum, quorumuis dignitatem adæquantes duces, & viros insignes Lituaniæ celeberrimus principatus fouet, quos sigillatim recensere vt difficilè ac longum, ita minus necessarium nobis videtur.

BENEVOLO LECTORI S. D. P.

Hic quoque Lector candide, leges militares in comitijs generalibus Magni Ducatus Lituaniæ solenniter constitutas, tibi vt potuimus summa cum diligentia descriptas, breuiter dedicamus. Tu verò hos nostros sudores boni consule, maiora accepturus.

ARTI-

ARTICVLI CONSTITVTIONVM BELLICARVM MAGNI DVCATVS LITVANIÆ, IN *comitijs generalibus constituti, à supremoq; & generali copiarum imperatore fortissimo, & heroe perpetua memoria dignissimo, illustri domino Gregorio Chodkie Wizio, Castellano Vilnensi confirmatæ, & militibus imperatæ.*

Omnis qui se obligauerit seruitio sacræ regiæ maiestatis, debet in eo ad tempus præscriptum perseuerare. Si verò longius seruitium militare indictum protractumq; fuerit. Miles autem seruire amplius nolens in primo quartuali non indicauerit, tunc indictum seruitium sequentis quartualis adimplere tenebitur. Articulus primus.

2 *In alterius armis nemo audeat seruire, sub pœna amissionis honoris.*

3 *Si quis è castris discesserit, seruitio non finito nobilis ille si fuerit, honoris, plebeius verò capitis pœna puniatur. Ille autem qui eiusmodi hominem occiderit, præsertim non habentem litteras à campiductore siue rotmagistro suo, iustè ab eo factum censabitur.*

4 *Lites, discordiasq; milites alterutrum seminare non audeant, sub graui pœna.*

5 *Quod si aliquis ex militibus, præcipuè verò pedestribus, arma sua stipendiaria quibus hostilis impetus arcetur, lusu alearum amiserit, vel si eques equum militiæ destinatum perluserit, tam lucrator, quam amissor vterq; suspensionis pœna puniatur.*

6 Quicunq; in campiductorem, siue rotmagistrum suum, decurionémve, vel etiam seruus in dominum suum, manu aut verbis inhonestis sese commouerit, capitis pœna plectatur.

7 Si quis in custodes castrorum impetum fecerit, vel custodiam demãdatã obire renuerit, aut ad custodiam sine voluntate campiductoris abierit, capite punatur, excepto si excubiæ ordinariæ illum præuenerint.

8 Quicunq; vulnerauerit aliquem in ductu legionum sub extensione vexilli, pœna honoris & capitis puniatur.

9 Quicunq; pedester in custodia locum suum non tenuerit, aut caussa alicuius suæ necessitatis inde discesserit, vel si in ordinatione aciei excubijsve obdormierit, vel officium iniunctum indiligenter oscitanterq; obierit, circumspectori excubiarum liberum erit talem interficere. Si autem campiductori oblatus fuerit, capitis pœna puniatur, honoreq; priuetur.

10 Si quis in custodiam campestrem destinatus, siue ex muro cum hoste collocutus fuerit, sine voluntate campiductoris, conuictus testimonio, pro huiusmodi facinore capitis pœna punitur.

11 Si aliquis miles ex thesauro sacræ regiæ maiestatis de tormentis puluerem globosve, quam de alijs bonis sacræ regiæ maiestatis aliquid in vsum suum conuertere ausus fuerit, sine quauis misericordia turpi, & vituperoso mortis genere puniatur.

12 Si quis speculatorem ab hostibus missum, in domo sua fouerit, vel de illo notitiã habuerit, talis omni misericordia semota in quatuor partes dilaniatur.

13 Quicunq; tempore necessitatis, siue conflictus à vexillo

vexillo in fugam sese dederit, aut verbo aliquo fugiendi caussam alicui præbuerit, caput & honorem amittit, similiter qui tempore periculi, non conseruerit manus cum hoste puniatur.

14 Si aliquis temerariè in terram hostilem irruerit, vel occasionẽ hostibus dederit, sine voluntate campiductoris, caput amittit.

15 Tempore nominis dati, quod Polonicè Hasto dicitur, vnusquisq; miles in ordine suo pacificè permaneat. Quod si post hoc extra ordinem comprehensus fuerit, vel si nomen indictum interroganti proferre nescierit, capitis pœna puniatur.

16 Dato signo requiei per vocem tubæ, nullos clamores, & strepitus in castris aliquis facere audeat sub graui pœna.

17 Si quis litem aliquam tempore distributionis nominum excitauerit, vel bombardam in hostem exonerauerit, capite plectatur.

18 Tabernæ & nocturnæ comessationes prohibitæ & vetitæ tunc temporis sint, sub graui pœna.

19 Nemo militum audeat aliquid violenter alicui eripere, sub pœna suspensionis. quod si aliquid acceperit præter victum, quod vnius grossi pretio constaret, sine quauis misericordia iuguletur.

20 Nemo militum victus acquirendi caussa absq; seruo campiductoris in villas audeat discurrere, neue alicui iniuria inferatur, sub pœna graui.

21 Hominem alienigenam, aduenam & ignotum nemo in seruitium militare suscipere audeat sine licentia campiductoris, sub graui pœna.

22 Seruitorem alterius commilitonis, siue decurio-

nis, nullius ad se persuasionibus & promissis allicere audeat, sub graui pœna.

23 Nemo militum equos stipendiarios currui iungat, neq; causſa necessitatis priuatæ quamuis opportunæ illis vti, vel alicui in vsum dare audeat, sine licentia campiductoris.

24 Aduehentibus victum in castra, si aliquid per vim raperetur, suspensione pœna esto.

25 Si quis in viam publicam mercandi, præripiendiq; victus causſa extra castra abierit, turpe ob lucrũ, grauiter puniatur.

26 De emptione & venditione cibi & potus, campiductor æstimationem faciat.

27 Quicunq; ante æstimationem aliquid emerit, emptor pecunijs, venditor mercibus priuetur, similiter & de eo intelligendum est, qui cariori pretio quam campiductor cõstituerit, aliquid vendere ausus fuerit.

28 Satellites a campiductore missos, ad comprehendendum malefactorem, nemo verbis inhonestis proscindere audeat, sub graui pœna. Similiter administratori iustitiæ carnifici, nemo illudere audeat, sub pœna honoris.

29 Militum præfecti sub pœna honoris tenetur indicare, quot milites in legione sua desiderarentur. Arcis verò siue ciuitatis cuius præsidia agit, incolam aut ciuem ad militiam nemo suscipere audeat, sine licentia campiductoris, sub graui pœna.

30 Unusquisque militum præfectus diligenter animaduertat, ne arcem fidei suæ concreditam ad vltimum vsq; periculum vitæ tradere præsumat, sub honoris & capitis pœna.

31 Decuriones, commilitonesq; si rotmagister, (quod absit,) per signa aliqua castrum hostibus tradere enituerit, illum captum campiductori præsentare tenentur.

32 Rotmagister, siue militum præfectus, ad reserationem, & occlusionem portarum castri, quotidie præsens tenetur adesse, neminiq; castrum tempore incongruo aperire audeat. Noctu verò omnes milites congregatos habere in arce tenetur.

33 Nemo in Castrum intromittatur, nisi certa notitia de illo haberetur, cuias sit, vel ob quam causſam venerit, & si iustam causſam dixerit solus in castrum absq; famulis intromittatur, qui absq; campiductoris licentia intromitti non possunt.

34 Quicunq; militum, maximè autem pedestrium de prædationis causſa in terram hostilem frtuolus abierit, tali pœna capitis puniatur.

35 Si alicui custodia ordinaria venerit, ille autem præsens custodi non adfuerit, capitis pœna esto.

36 Si quis custodiæ munus obiens, sequentis custodiæ adeuntem non expectando abierit temerariè, caput amittit.

37 Cui ex ordine custodiam obire contigerit, idq; muneris temerariè per ebrietatem, alearumq; lusum neglexerit, caput & honorem amittit.

38 Nemo rotmagistrum, commilitonúmve extra arcem discedant, militesq; suos ad quamuis legationem negotiorum suorum destinare non audeant, sine licentia campiductoris, maximè verò campiductore ibidem præsente, sub graui pœna.

39 Rem forte inuentam nemo apud se pernoctare sinat, sed rotmagistro, siue campiductori eam indicet, sub pœna patibuli.

40 *Quicunq; militum absq; armis ad quæstipendia accepit, ambulauerit, vinculis corrigatur.*

41 *Nemo rixas, motusq; aliquos in arce exercere audeat, sub pœna atroci, quod si quis aliquem vulnerauerit caput, & profriuola gladij extractione manum amittit.*

42 *Ad quamuis iustam emendationem arcis, maximè obsidionis tempore, nemo militum eorum qui in ea præsidia agentes manent, propter seipsos laborare detractent.*

43 *Rotmagistri & decuriones, singuli suos milites semper instruant, doceantq; quomodo vnusquisq; in acie legitimè, ordinatéq; stare, & armis suis competentibus commodè vti possit, quod si ex ordine aliquis foras excesserit, caput amittit.*

44 *Commilitones siue decuriones honestè se se obseruent erga rotmagistrum suum, non solum modo manu, verùm etiam verbis, similiter & rotmagister erga eosdem, neminem dehonestando, verberando ve, sed si quid aliquis peccauerit, in corona omnium decurionum, sociorumq; cum iudicet & puniat, rebellem verò campiductori indicet.*

45 *Quod si aliquis commilitonum sociorúmve, siue ipse vices gerens, Articulos supra scriptos, honoris & capitis pœna præmunitos iustè & legitimè non obseruauerit, eum rotmagister suus, campiductori sub fideiussione, & nobilitatis honore, ordinatè transmittat.*

Articulorum militarium magni Ducatus Lituaniæ finis esto.

PRVS-

PRVSSIÆ CVM SVIS PROVINCIIS, CIVITATIBVS OMNIVMQVE MAGISTRORVM *Crucigerorum Teutonici ordinis, iuxta seriem compendiosa descriptio.*

DE PRVSSIÆ DEDVCTIONE *doctorum opiniones.*

PRÆCLARVS ille Germanorum legatus, & orator apud multos extraneos principes celeberrimus, Æneas Syluius, qui in Prussia legationem frequenter obibat, scribit in suis Chronicis, quòd Prussia rectius & conuenientius, Vlmigauia appellanda sit, & hoc non sine caussa: nam populus qui hanc regionem primò incolebat, Vlmigauus nuncupabatur. Ioannes autem Boëmus scribit ab ortu solis in hanc regionem populos Amaxobios, Alanos, & Gothos, Venetosque, siue Vandalitas commigrasse. Matthias verò Miechouiensis, Polonorum chronographiæ scriptor lib. 2. cap. 8. refert, regem Bithyniæ Prussam nomine ab Hannibale Carthaginensi admonitum, vt Romanis bellum inferret, quod cùm ille susce pisset, malè ei cessit. Longè enim plus Romani totius orbis domini quàm Prussa rex Bithyniæ copijs valebant, quocirca ab illis adeò cum vniuerso exercitu profligatus est, vt Bithyniam regio-

Syluij de Prussiæ appellatione opinio.

Vlmigaui.

Ioannis Boemi opinio de Prussia.

Miechouitæ opinio de Prussia.

Prussia à Prussa rege Bithyniæ.

nem propriam relinquere cogeretur, & in Vlmigauiam longa peregrinatione venire, quam à suo nomine Prussiam appellauit. Commemorat, & in alio loco eorundem Chronicorum idem Miechouiensis, multos Romanos in terram istam propter atrocia bella, Romæ exorta migrasse, seque partim in Prussiam, partim Lituaniam, Liuoniamque & Samogitiam diffudisse. Erasmus verò Stella asserit in hanc regionem gentiles quosdam populos Sargatianos, Gelidanos, Alanos, Venedosque venisse, qui omnes in Vlmigauia, non diu tamen domicilium habuerunt. Sebastianus autem Brand Germanorum chronographiarum scriptor, sic de Prutenis eorumque sedibus inquit: Pruteni proximi sunt Vistulæ, siue Vandalo fluuio, qui Poloniam à Germania disterminat, hic fluit ex Silesia, Poloniaque minori & Massouia præterlapsa per Prussiam Gedanum vsque decurrit, ibique in salsum mare exoneratur.

Romani in Prussia.

Erasmi Stellæ opinio.

Sebastiani Brandopin.

Fines Prussiæ.

Ab æquinoctio itaq; Prussiam Saxonia attingit, ab Occidente Pomerania, & mare Balticum siue Germanicum, ab ortu Solis Lituaniæ, à Meridie Poloniæ regno, & Massouiæ ducatui contermina est, à Septentrione Curlandia, Liuoniaque terminatur. Regio est fertilissima frugum pecorisq; abundans, incoluerunt illam, (maximè autem iuxta Vistulam fluuium) Vlmigaui, Alani, Amaxobij, Gothique, vt testis est locupletissimus Ptolemæus. Hæ gentes, in primis immundos spiritus, & prophanas creaturas adorauerunt, vsq; ad tempora Friderici Cæsaris huius nominis secundi, cuius consensu & approbatione à Teutonici ordinis Crucigeris, qui primò Mariani

Prussæ gentales.

riani vel Pauperiani nuncupabãtur perdomiti sunt, & ad fidem Christianam conuersi, anno Domini 1216. de his fusius chronica Pontificum de ordine fratrum Teutonicorum eorumq; origine legi possunt, poterit insuper Sebastianus Francus in secunda parte Chronographiæ suæ videri.

PRISCA ANTIQVORVM PRVtenorum religio.

ANno Domini 503. gentilibus Prutenis, siue Vlmigauis rex quidam Bruteno dictus imperauit, qui cùm iustos annos ætatis consecutus esset, regium sceptrum diutius tenere resignauit, quietam vitam ducere instituens, quocirca fratrem Veijdenutum successorem sibi in regno elegit, traditoque fratri sceptro, ipse Bruteno summus sacerdos gentili ritu effectus est, nomenque ei dignitatis inditum fuit, *Kirie Kirieito*, quasi dicas proximus no-ster dominus. Huic pontifici suo Pruteni & idolis, præclaram sanè & cum maximo sumptu habitationem, sub quercu quadam erexerant, locoque Romanæ à Roma nomen indiderunt. Circa hanc quercum octo vlnarum in latitudinem, & altitudinem tela optima sericea extensa fuit, in quam habitationem nemo præter patriarcham eorum, *Kirie Kirieito* dictum, & præcipuos ministros idolorum munia obeuntes intrare poterat. Si autem aliquis inuisendi, honorandi, adorandi vel offerendi gratia ad idola venisset, tunc constituti deorum ministri telam, vt idola viderentur, à quercu semouebant. Quercus hæc tripartita fuit inter cæte-

Ab eodem Bruteno Prussiã appellatã quidam autumant.

Kirie Kirieito nomina Græcorũ ex Bithynia idioma per sonant.

Processus religionis Prussorum.

ras siluas quercinas delectissima in loco, (vbi nunc oppidum Heyligen beil, id est, sancta securis constructum est,) sita erat, ex vna parte Prutenorum deum qui *Petuno*, id est, fulmen dicebatur, habebãt: in huius laudem & honorem ignis ex quercubus construebatur, qui die nocteque perpetuò ardebat & nunquam extinguebatur, quod si negligentia ministrorum ad hoc officium præstandum deputatorum ignem extingui contingeret, capitali supplicio afficiebantur. Ex altera parte collocatum erat *Patrimpo* idolum, cuius cultus erat in serpente viuo retinendo, qui lacte vt eò commodius viueret alebatur. Tertia ex parte dęmoniacum idolum *Patelo* nomine, situm fuit, huius honor in retinendo alicuius mortui hominis capite consistebat. Habuerunt præterea alios multos deos quos adorabant, cultuque diuino prosequebantur, semper tamen inter querceta holocausta eis offerre solebant, & quot ferè res habebant, tot præsides & deos constituebant. Fuit igitur deus singularis *Wrschayto* gentiliter dictus, quem magno honore venerabantur, & pro lare siue deo domestico super omnia mobilia, iumentaque vtpote, equos, boues, oues, capras, sues, &c. eum præponebant. Alter deus fuit *Schneybrato* dictus, hunc super anseres, gallinas, anates, columbos, pauones, &c. constituebant. Tertium deum domesticum, *Gurcho* dictum habebant, is omnibus esculentis cibarijsque præponebatur.

Perum idolum.

Patrimpo idolum,

Tertium idolum Patelo.

Wrschayto idolum.

Schneybrato idolum.

Gurcho idolum.

Præterea tonitruis, lunæ, stellis, serpentibus, bubonibus, & omnibus penè creaturis, diuinum honorem deferebant. Fuit hic populus quondam barbarus & incultus, nec vllam scripturam nouerat, propterea nec fidem adhibebant, si quispiam diceret hominem, homini per litteras animum & voluntatem aperire posse. Potus illorum aqua melli commixta, & lac equinum erat, liberales valde & hospitales aduenis se exhibebant.

barus & incultus, nec vllam scripturam nouerat, propterea nec fidem adhibebant, si quispiam diceret hominem, homini per litteras animum & voluntatem aperire posse. Potus illorum aqua melli commixta, & lac equinum erat, liberales valde & hospitales aduenis se exhibebant.

DIVISIO PRVSSIÆ IN DVODECIM DUCATUS.

ANNO diuinæ incarnationis 373. Vedenuto princeps Prussiæ, (qui Bruteno fratri voluntarie sceptra deponenti successit) duodecim filios procreauit, quorum hæc nomina fuere, Saymo, Neydro, Sudo, Slauo, Natango, Barto, Galindo, Varmo, Oggo, Pomedzo, Colmo, & Lituo. Cumq; iam Vedenuto princeps, centesimum decimumsextum annum attigisset, regiones Prussiæ inter filios diuisit, Saymonemque natu maiorem summæ rerum præfecit. Atque ita Prussia in duodecim ducatus, secundum filiorum principis Vedenuti, numerum diuisa est, & vnusquisque à suo principe nomen accepit. Quos hic secundum ordinem cum sua dispositione, castrisque & ciuitatibus, annorumq; numero, quãdo videlicet à Crucigeris potissimum erectæ sint, describemus.

Nomina filiorum Vedenuti.

Prussia in duodecim ducatus diuisa.

SVDAVIA DVCATVS

I.

PRimus & præcipuus Prussiæ ducatus Sudauia olim erat, qui à Sudauo Vedenuti filio principe, suo nomen sortitus est. Hic ducatus omnes alios &

præstantia, & fertilitate antecellebat: nam quocunque tempore necessitatis, sex millia equitum, & octo millia peditum præstare valebat. In hac regione præcipui nobiles & proceres totius Prussiæ priscorum tempore sedes suas habebant, nunc autem paludibus & syluis maximis obsitus scatet, nec vllum vestigium tam insignis & nobilis regionis remanet, præter septem pagos, quos coloni possident, in Luptauensi territorio, tota enim est deuastata à Crucigeris ordinis Teutonici, non aliam ob causam, quam propter inobedientiam & infidelitatem. Distinguit Sudauiam à Sambia regione palus quidam, à ducatu verò Nadrauiensi fluuius LaWo appellatus.

SAMBIA DVCATVS II.

SAmbia nunc Szamland appellata, regio Prussiæ à principe Saymo nomen accepit. Hæc priori cùm potentia, tum fertilitate non multum cedere videtur, poterat enim eo illa 4000. equitū & 4000. peditum congregari. A Natangia regione fluuio Prægel dicto disterminatur.

Sequuntur castra & ciuitates ad Sambiensem ducatum pertinentes.

Lebenicht	vnaquæque earum condita anno Domini	1256.
Kneypach		1380.
Regiomontum cum castro & antiqua, (vt illi appellant) ciuitate.		1260.
Fischusia		1269.
Lechstet		1289.
Mulmelburgia.		1279.

Girma-

Girmauia,	Bobetia,	Tyremburgia,
Rudauia,	Lubtauia,	Bonundia,
Neuhusia,	Schaccia,	Rositta,
Wargia,	Chremetia,	Caymen.
Ceilgarbia,	Waldouia.	

His nominibus arces in Sambia olim appellabantur cum suis ciuitatibus, quæ omnes à Crucigetis bene muratæ & fossis cinctæ extiterunt, nunc quædam arces in curias iudiciales redactę sunt, quatumdam etiam magna pars, humi prostrata iacet.

NATANGIA DVCATVS. III.

NAtangia regio à principe Natango nomen ducit, quæ à Bartia regione fluuiume, Alla nominato, secernitur, à Pomesania Passaria fluuio, disterminatur. Regio est optima, arces & ciuitates plurimas, prout inferius ordine descriptæ sunt, habet.

Waldouia ciuitas	conditę iuxta nouum Dominum	1256.
Girdauia ciuitas		1326.
Cintia oppidum		1313.
Creneburga ciuitas cum arce		1253.
Heiligen beil oppidum		1301.
Fridlandia ciuitas		1312.
Schippenbeilia ciuitas		1319.
Brandēburga oppidū cum arce		1362.
Balga arx		1239.
Damnouia ciuitas		1400.

NADROVIA PROVINCIA IIII.

REgio Nadrouia à principe Nadro denominata est, eam à Natangia fluuius Pregiel disterminat, è Slauonia Nara amne distinguitur. Hæc maiori ex parte à fratribus ordinis Teutonici, propter infidelitatem incolarum deuastata est, reliquiæ eius & vestigia reperiuntur, casæ & tuguria in quibus piscatores habitant.

SLAVONIA DVCATVS V.

SLauonia regio quondam priscorum Prutenorum temporibus, pro ducatu computabatur, à principe Slauo nomine denominationem accepit, ex maiore parte à Lituanis, Crucigerisq; depopulata est, eam à Lituania Memula fluuius disterminat. Has infrascriptas munitiones & arces complectitur cum ciuitatibus & oppidis.

Ragneta	His annis incarnationis diuinæ, à Crucigeris fratribus constructæ sunt.	1253.
Tilsa		1289.
Renum		1276.
Liccouia.		1273.
Salauia.		1385.
Labia		1258.
Tapia		1255.
Vintburgia		1409.
Christouerder		1253.

Baytia

Boytia		1338.
Cestia		1185.
Norbeitia		1381.
Vonsdorfa		1391.
Angerburgia		1412.
Dringofortia		1403.

BARTONIA DVCATVS. 6.

BArtonia à Barto principe nominis etymologiam ducit; cum Lituanis, & Moschouitis terminis disceptat, à Lituania 70. stagnis & solitudine, à Galindia verò flumine quodam finitur, nunc magna ex parte à Lituanis & Crucigeris peruastata est. Arces has cũ oppidis, à Crucigeris correctas complectitur.

Nordemburga	His annis hæ munitiones, à Crucigeris erectæ sunt.	1505.
Iohansburga		1268.
Gurgburga		1259.
Insterburga		1342.
Rihteuerder		1396.
Bartouia		1365.
Rhenum		1375.

GALINDIA REGIO. 7.

HÆc regio à Galindo principe Galindia nuncupata est, cuius Massouiæ silua ingens à Meridie fines excipit, quondam tam populosa fuit, vt successu temporis, populus in ea progenitus, locum nõ haberet. Vnde præpositi regionis obstetricibus seuerè mandarunt, vt nullam fœminei sexus, post partum prolem, hac luce frui permitterent, quam rem cùm minus obseruatam animaduerterent, mamillas fœ- *Grande facinus.*

mmis ne amplius prolem educarent, amputarunt, quod facinus mulieribus summæ tristitiæ, & miseriæ causſa fuit. Erat autem in illa regione mulier quædam authoritate, nomine & potentia clara, quæ pro prophetisſa habebatur: oracula enim interrogantibus dabat. Huic cùm mulieres calamitates suas exposuerunt, prophetisſa illa, miseræ sorti fœmineæ cõdolens, dolos quibus viros circumueniret, & perpetratum facinus vlciſceretur, expiaretque, indagare, cogitareque cœpit, conuocatisque omnibus proceribus, & nobilioribus viris Galindiæ, monuit eos, vt Christianis bellum, ſine vllo armorum genere (euentus enim rerum prædicere ſolita erat) quàm celerrimè inferrent, hanc enim voluntatem deorum eſſe ſeriò affirmabat: quibus Galindæ auditis, ſine vlla mora, (certum enim eſſe credebant,) iuuenes, ſenesque valida manu inermes in Polonorum, & Maſſouiorum Christianorum prouincias, cum impetu excurrunt, nactaq; ingenti hominum, & iumentorum præda, ad ſua proficiſcuntur. Interim verò captorum Christianorum aliquot aufugiunt, continuoque reliquis Christianis nunciãt, quomodo Galindi ſine armis, in terram eruperint. Christiani re intellecta bene armati Galindos aſſecutos, maxima cruentaque ſtrage profligant, prædamque repetunt, bellumque continuantes, fugientes hoſtes in regionem vſq; eorum perſequuntur, quam armis & igne euertunt, reliquias tam matronarum, ancillarum, & iuuenum, in captiuitatem abducunt. Has ciuitates & munitiones Galindia complectitur.

Fraus mulierum.

Pruteni in Maſſoniam excurrunt.

Maſſouii Prutenos profligant.

Ortele-

Orteleburgum caſtellum
Raſtemburgum oppidum
Neyburgum arx & oppidũ
Paſſenhumia oppidum
Dreſchlouia arx & oppidũ
Lucia caſtellum
Lucemburgia oppidum
} Anni inſtaurationis eorum 1266. 1329. 1238. 1388. 1338. 1348. 1349.

VARMIA REGIO 8.

VArmia ſiue Wermelandia regio à Warmo principe, nomen ſortita eſt, à Pomeſania prouincia ſtagno, & flumine Paſſaria diſcernitur, à Natangia paruis quibuſdam fluuiis, has arces cum ciuitatibus complectitur.

Reſſel arx & ciuitas
Sreburg arx
Bichofſtein ciuitas
Wartemburga ciuitas
Allenſtein arx & ciuitas
Melſatia arx & ciuitas
Helſberga arx & ciuitas
Wermeditum arx & ciuitas
Gulſtadia ciuitas
} His annis ſunt extructæ. 1337. 1348. 1325. 1325. 1367. 1326. 1320. 1316. 1326.

HOGKERLANDIA PROuincia. 9.

HOgkerlandia ſiue Pomeſania, à principis nomine Hogo appellata eſt, eam à Natangia, Paſſaria fluuiis ſeparat, à Pomeſania duo fluuij Melſink & Draſen appellati, hasque arces cum oppidis complectitur.

Brandenburgum castrum & oppidum	His annis extructa sunt	1258.
Frauemburgum oppidum		1279.
Tolkiemit oppidum		1365.
Munhusia castellum		1365.
Scharpouia prædium		1400.

Elbingense castrum constructum anno 1237.
Ciuitas verò ipsa Elbinga celebris & populosa emporio clara instaurata est, anno 1239.

CVLMENSIS DVCATVS 10.

CVlmia regio Prussiæ, à Culmo principe denominationẽ trahit. A Polonia & Pomerania Vistula fluuio secernitur, à Pomesania flumine Ossa, à Michlouia verò & Dobrinia territoriis Drebnicz fluuio, fines suos dirimit, has ciuitates & munitiones habet.

Culmina ciuitas ampla	erectæ sunt annis hisce	1223.
Wentslauia arx		1221.
Aldusia castrum		1238.
Grandentz arx & ciuitas		1299.
Gugeleburga ciuitas		1230.
Schonse arx cum ciuitate		1305.
Strasburga arx & ciuitas		1285.
Bartonia arx		1346.
Neumarckt ciuitas		1325.
Rogosna arx		1293.
Culmense ciuitas		1251.
Torunia arx cum ciuitate ampliss̃ima, emporio clara ad Vistulam condita		1235.

Papauia

Papauia arx	hisce annis extructæ.	1375.
Frideck arx		1331.
Lipno arx		1319.
Lesna ciuitas		1328.
Golba arx & ciuitas		1300.

Luben arx cum ciuitate	hisce annis extructæ.	1233.
Reden ciuitas cũ arce		1233.
Bergelauia arx		1305.
Lautergurgia arx.		1301.

Huius ducatus titulo rex Poloniæ vtitur.

POMESANIA PROVINCIA.

POmesania à Pomesa principe, finitur ab aliis regionibus Vistula, Elbinga, Drusno, Drobnicz, Wessera, multæ in ea præclaræ arces & ciuitates, vt sequitur, habentur.

Mariemburga ciuitas ampla, anno Domini 1302. extructa est, arx verò anno 1281. à fratribus Teutonicis erecta sub magistro ordinis Hartmãno Comite Heldrouiẽsi, natura loci munitissima, valloq; fortissimo & fossa profunda circumducta, muro & propugnaculis, ac cõmeatu copioso, apprimè firmata, regis Poloniæ præsidiis tenetur.

Neutichia oppidum		1329.
Stum arx cum ciuitate		1249.
Cristburga arx & ciuitas		1258.
Preusmarck arx		1329.
Salfeld ciuitas		1328.
Merinck arx cum ciuitate		1290.
Holand arx & ciuitas		1329.

Lubstadia ciuitas	Hæ ciuitates cũ suis munitionibus his annis extructę sunt.	1302.
Osterrade arx & ciuitas		1270.
Rosenburga arx cũ ciuitate		1289.
Mariẽuerder arx cũ ciuitate		1311.
Garnesia ciuitas		1328.
Germanica Eilouia arx cum ciuitate		1337.
Lebmulia ciuitas		1337.
Hohenstein ciuitas		1301.
Schonembergia arx		1319.
Rosembergia ciuitas		1315.
Eilemburga ciuitas		1299.
Neumburga ciuitas cũ arce		1289.
Salauia ciuitas cum arce.		1306.

MICHLOVIA PROVINCIA. 12.

MIchlouia admodum angusta terra est, inter Brodnã & Drebnicz fluuios iacet. Huius caussa Poloni cum fratribus Teutonicis perpetuas rixas fouebant, nullam arcem præter vnam ciuitatẽ Strasburgam, & tres munitiones, Berklij, Dornik, & Michlouiam habet.

Pomeraniæ regionem amplissimam, longo tractu mari adiacentem, vnde & nomen habet, in Polonię regionum descriptione, latius indicabimus. De qua multa bella Poloni cum Prutenis gentilibus, & Crucigeris habebant, in hac sita est celeberrima vrbs
Dantiscum. Gedanum, siue Dantiscum appellata, à mari Germanico vno milliari abest, eam celeberrimus fluuius Vistula præterlabitur, ibidemque amplissimis ostiis in mare exoneratur. Celeberrimũ in ea totius Pomeraniæ, & Prussiæ emporium est, regi Poloniæ subiecta, anno Domini 1285. translata.

Pruteni

PRuteni gentiles barbarie indomita rigẽtes, peruersi & infideles erant, vanas creaturas quaslibet pro diis colebant, nec se ad fidẽ Christianam cõuerti patiebantur. Idiomate pprio à Liuonico nõ dissimili vtebantur, Polonis & Massouitis tributarij erant, sed frequenter nacta occasione iugum excutiebãt, ideo multa bella longo tẽpore Poloni cum eis tenuerũt. Postea an. Dom. 1211. Cõradus Massouiæ princeps ex regibus Polonorũ genus ducẽs, à Prutenis gentilibus sæpius variis excursionibus infestatus, ad imperatorẽ Fridericum huius nominis II. legatos destinauit, implorãs auxilia aduersus infideles Prutenos, qui libenter fratres ordinis Teutonici Crucigeros à Sarracenis tũc tẽporis Hierosolyma pulsos, in Prussiã 20000. misit, quibus princeps Massouiæ Culmẽsem terram in primis donauit, cum arce Dobrzinensi, hac conditione, vt tempore necessitatis subsidium sibi contra infideles Prutenos ferrent, Prussiamq; subiugatã insimul partirentur. Hîc quædam de origine Crucigerorum Teutonici ordinis subiiciemus.

Crucigeri in Prussiam veniunt.

ORIGO ET PRINCIPIVM TEVtonici ordinis.

ANno Domini 1188. cùm Balduinus rex Christian⁹ Hierosolymis regnaret, Sarraceni & barbari ex arce nomine Ptolomaida, Latinè Acona, Germanicè Acris dicta, variis excursionibus sanctã terram infestare solebant. Quamobrem rex cõtra barbaros Sarracenos auxilium petiit à Christianis. Longobardi igitur sexaginta galeras, & in his quinquaginta millia virorum, in subsidium miserunt, cum quibus multi homines probi piæ peregrinationis caussa, in terram sanctam profecti sunt. Horum nu-

Expeditio Christianorum in terram sanctã.

merus erat 500. partim ex Saxonia, partim ex aliis prouinciis Germaniæ, qui omnes in vnã nauem congregati, Aconam vsque peruenerunt, vbi per integrum annum, cum infinita multitudine Christianorum, Aconam antequam caperetur, oppugnauerũt, in oppugnatione multi Christianorum telis barbarorum læsi erant, vnde in morbum inciderunt, passimque sparsi, cùm neminem in terra aliena qui subleuaret inopiam, haberent, multi fame perierunt. Erant autem ex peregrinis præcipui, octo boni & pij viri Teutones, qui cùm viderẽt Christianos tam miserè interire, commiseratione ducti curam illorum susceperunt, diligentiaque illorum plurimi infirmi conualuerunt. Postea xenodochium, siue hospitale sub titulo beatæ virginis Mariæ, Aconæ erexerunt, primusque xenodochij præfectus, Henricus de Valpoth electus est, ex Germania oriundus: hic maximã diligentiam, in fouendis infirmis & egenis adhibuit, vltimum diem Aconæ peregit, ibidemque sepultus est, an. Domini 1190. Postea Balduinus rex, Hierosolymis templũ, & xenodochiũ, pro pauperib. & pluribus nobilibus infirmis, qui in bello Aconiensi læsi erant, extruxit, sub titulo beatæ virginis Mariæ.

Hospitale beatæ Mariæ Virginis Hierosolymis.

Tandem anno 1191. Clemens papa huius nominis III. hunc ordinem confirmauit, & intitulationem dedit fratribus Teutonicis, xenodochij Hierosolymitani beatæ virginis Mariæ. Præterea diui Augustini, regulam illis seruandam imposuit, stemmateque cum cruce nigra eos insigniuit.

1 POSTEA patriarcha Hierosolymitanus singulos fratres Teutonici ordinis à pontifice Romano confirmatos, alba chlamyde ex vtraq; parte crucem nigram

nigram habente ornauit, sicque illi habitum suum susceperunt. Fuerunt qui vestiti sunt 24. fratres laici, & 7. sacerdotes. His lorica indutis, gladio accincto, missam celebrare concessum erat, nullus barbã tondebat, & super saccum stramine impletum, regula iubente, dormiebant, sed statim hæc mira quadam metamorphosi immutata sunt.

Habitus Crucigerorum Teutonicorum.

2 SECVNDVS Henrico de Valpoth, primo magistro xenodochij Hierosolymitani, Otto de Karpen nobilis Germanus in magisterio successit, anno Domini 1200. sub imperatore Romanorum Philippo huius nominis II. & Innocentio summo pontifice, hic in humilitate, & cordis simplicitate Deo & fratribus seruiuit. Sexto anno officium absoluit; Aconæque sepultus est.

3 TERTIVS ordinis magister Hermanus Brand Olsacensis, electus est, sub pontifice Innocentio III. & Philippo II. in ordine Germanorum imperatorum XII. anno 1206. præfuit officio quatuor annis, pauperibus quantum potuit satisfecit, Aconæ sepultus est.

4 QVARTVS Hermanus à Salicen, nobilis Misnensis, Ottonis, & Friderici secundi, imperatorũ Innocentij III. & Honorij Gregorijque IX. pontificũ temporibus, anno Domini 1210. electus est. Hic omnium præclarissima priuilegia ordini à pontifice, & Friderico secundo, Cæsare consecutus est. Nam cùm simultates, & odia inter pontificem Romanum, & Fridericum Cæsarem exortæ essent. Ille huiusmodi cladem prudẽtia sua è medio sustulit, sub eo Conradus Marchio Turingensis habitum suscepit, duo millia nobiles, & auratos equites Germanos in ordi-

Poloni & Massouita Prussiam Crucigeris concedunt.

ne habuit, quos 30. continuis annis rexit, eius temporibus fratribus ordinis à Sarracenis Hierosolyma pulsis, Prussia concessa est, regnum Poloniæ, Conradi; ducis Massouiæ, & imperatoris Friderici II. concessu. Quorum 20000. in Prussiam venerunt, Prussosque Gentiles auxilio Polonorum, ex terra Culmensi eiecerunt.

5 QVINTVS magister Cõradus Turingorum & Catthorum Marchio, sub Cælestino IIII. pontifice, & Friderico II. imperatore, anno 1240. electus est, habitum Mariemburgæ, in Prussia suscepit, cum multis nobilibus adolescentibus, & viris eximiis, ac prudentibus, cum Prussis Gentilibus, multa bella gessit, magnoq; labore fines regionum ordinis dilatauit, & si quæ ruinam minarentur, illas resarciens optimè conseruauit. Postea è viuis excessit, Mariemburgæ sepultus.

6 SEXTVS ordinis magister Poppa ab Osterling, electus est Conradi IIII. imperatoris, & Innocentij IIII. pontificis temporibus, anno 1252. Multa præclara bella cum Prutenis, Liuonien sibus, & Swantopolo duce Pomeranorum gessit, postea ante Ligniciam ciuitatem cum Conrado Silesiæ duce, sanctæ Heduigis marito, à Tartaris totam ferè Sarmatiam vastantibus, interemptus est, à Christianis verò Vratislauiam delatus, ibique in Basilica diui Alberti, terræ mandatus est, huius magistri tẽpore Regiomontum constructum est.

7 SEPTIMVS magister, Ioannes Sangerhausensis officium suscepit tẽpore Wilhelmi comitis Flandriæ, Romanorum imperatoris, & Alexandri IIII. pontificis, anno 1263. Infidelium Prutenorum vires mirabiliter diminuit, ordoq; eo præsidente, plurimum profecit, Dominicanorum monasterium Toruniæ fundauit, Brandemburga quoque ciuitas cum arce eius tẽporibus ædificata est, anno Domini 1266. Tapia quoq; munitio erecta. Annis 12. præfuit, Treueris sepultus est.

8 OCTAVVS magister, Hartmannus comes Heldringensis constituitur, sub Rodolpho XXVII. imperatore, Habsburgẽsi comite, & Clemente IIII. põtifice, anno Domini 1275. vir pius & industrius extitit, Nadrauiam, Sudauiamq; regiones Prussiæ debellauit, cum cæterisq; finitimis longas acies tenuit. Eo præsidente, anno 1279. Mœnia ciuitas ædificata est. Anno verò Domini 1281. Mariemburgẽse castrum erectum est. Venetiis vltimum diem clausit, ibidemque sepultus est.

9 NONVS magister Burchardus à Swenden, sub Rodolpho Cæsare XXVII. & pontifice Ioanne XXI. electus est, anno 1283. eo præsidente fratres ordinis, cum Prussis infidelibus bellum acre larga sanguinis effusione gesserunt, eosq; in integrum ad obedientiam compulerunt. Postea 7. annis in officio expletis, magistratu se abdicauit, mortuus est Rhodiis, ibidẽq; ad Basilicam S. Ioannis sepultus.

Pruteni gẽtiles funditus debellantur.

10 DECIMVS magister, Conradus de Feuchtuangen, munus magisterij suscepit, sub Adolpho XXVIII. imperatore, & Nicolao IIII. pontifice, anno 1290. eo præsidente ordo multum profecit, 7. annis fratres in officio continuit, Pragæ Bohemiæ metropoli spiritum exhalauit, Trebniciæq; sepultus est.

11 VNDECIMVS magister Gotfridus, comes de Oloch electus est, sub Cæsare Adolpho 28. Germano-

norum imperatore, & pontifice Cæleſtino 5. anno Dom. 1297. Hic Venetia cũ multis fratribus in Pruſſiam profectus eſt. 10. annis officium geſſit. Poſtea comitiis celebratis, magiſterium reſignauit, in Germaniamq; profectus, è viuis exceſſit.

12 DVODECIMVS magiſter Sofridus de Feuchtuangen, anno 1307. creatus eſt, Alberti imperatoris Auſtriæ ducis, & Clementis pontificis temporibus. Hic ſedem Venetiis, Pruſſiæ caſtrum Mariemburgam tranſtulit: nam in terra ſancta, Venetiis, Neapoli, & in Anglia ſedes ſuas, & præclara ædificia propter quaſdã ſimultates amiſerant. Duobus annis officio præfuit, Mariemburgæ mortuus eſt.

13 DECIMVS tertius magiſter, Carolus Treuirenſis ſuſceptus eſt, ſub Henrico VII. imperatore, & Clemente V. pontifice, anno 1309. erat inſignis vir prudens, & induſtrius, anno Domini 1312. eo præſidente, Memula arx, in Curlãdia regione Pruſſię fundata eſt, ad propulſandos Lituanorum incurſus. Tandem prędictus magiſter à pontifice Romam citatus, adeò crimen obiectum auxilio Dei diluit, vt in aduerſariorum caput redundaret. Romaq; diſcedens, in itinere, Viennæ morbo oppreſſus, exſpirauit, ibiq; tumulatus eſt. Huius tempore peſtis per integrum annum tantopere graſſauit, vt omnia frumenta penuria hominum in agris manerent.

14 DECIMVS quartus, magiſter Wernerus Vrſelenſis, temporibus Cæſaris Ludouici XXXIII. & Ioannis pontificis XXII. ſuſcepit officium ſuum, anno 1322. ordini cum ſumma laude præfuit, citò pòſt interemptus eſt à fratre ordinis Ioanne Bunſdorfio, in vigilia

vigilia ſanctæ Eliſabeth, cùm ex veſpertinis precibus egrederetur.

DECIMVS quintus, magiſter Ludolphus dux Tuliſurgẽſis, ſiue Bruſuicẽſis, ſub Ludouico XXXIII. Cæſare, & Ioanne pontifice XXII. magiſterij celſitudinem ſuſcepit, anno 1325. vir pius & ſapiens extitit. Fratres ad cultum diuinum ſummopere compulit, largéque illis omnia miniſtrauit, ideo eos liberalitate obedientes ſibi effecit. Iuſtitiam magnopere adminiſtrauit. 15

DECIMVS ſextus, magiſter Dietrichus, comes Aldemburgenſis, octogenarius iam electus eſt, temporibus Ludouici XXXIII. imperatoris, & Ioannis XXII. pontificis, anno Domini 1329. eloquentia validus, authoritate grauis, iuſtitiaque rigidus extitit, gentilibus terrori fuit, templum beatæ Mariæ virginis Mariemburgæ extruxit, Toruniæ obiit, tranſlatus Mariemburgam, in templo S. Annæ ſepultus eſt. 16

DECIMVS ſeptimus, magiſter Rodolphus dux Saxoniæ, Ludouici XXXIII. imperatoris, ac Benedicti XI. pontificis tempore, in officium ſuſceptus eſt, anno Domini 1339. Hic anno Domini 1341. magnas copias conſcripſit, Neumarcouiamque oppugnauit. Interim verò Lituani Pruſſiam inuaſerunt, eamque ferè totam igne, & cædibus conſumpſerunt, multos captiuos abducentes, quæ cauſſa illi tantum mœrorem attuliſſe creditur, vt mente captus ab officioque depoſitus, præ mœrore vitam terminarit, in Marienuerderque ciuitate ſepultus eſt. 17

Lituani Pruſſiam vaſtant.

OCTODECIMVS magiſter Henricus Duſmarienſis, Clementis VI. pontificis tempore, officij dignitatem conſecutus eſt, 6. annos in regendo ordine 18.

consumpsit, cum Lituanis & Ruthenis bellum egregium, in die purificationis beatæ Mariæ gessit, auxilioque diuino 10000. inimicorum prostrauit. Eiusdem postea decessit, Mariemburgæque humatus est. Hic virginum cœnobium, Lebenich dictum, Regiomonti erexit.

Lituani prostrãtur.

19 DECIMVS nonus magister Henricus Kimpradiensis, Carolo Cæsare XXXII. & Clemente VI. imperantibus, ad dignitatẽ magisterij accessit, an. 1348. Eo præsidente ordo doctis viris abundauit, fratres in timore & amore Dei instruxit, annis 31. officio præfuit, Mariemburgæ vitam terminauit, ibidemque sepultus est.

20 VIGESIMVS magister Conradus Zolner, tẽporibus Wenceslai XXXIII. imperatoris Romani, & Vrbani VI. pontificis ad officium vocatus est, anno Domini 1379. multa egregia bella & facinora contra Gentiles, Lithuanos, & Samogitas temporibus Keystudi, Iagielonis, Vitoldi, & Suidrigelonis ducum Lituaniæ gessit. Ordinẽ in potestate octo annis tenuit, Mariemburgæ naturæ debitum persoluit.

21 VIGESIMVS primus Cõradus Valẽrodensis, Wenceslai 33. imperatoris, & Bonifacij pontificis tempore magnus magisterij oblatũ susscepit, an. 1388. vehemẽs, & iracundus extitit, totis viribus bello incumbebat, monachos, sacerdotes, & omnes ecclesiasticos furore percitus, odio persequebatur, nullumque in hora mortis ad se venire passus est. Anno 1391. fratres ordinis, armata manu, per fluuiũ Crononẽ Lituanis *Nemen* dictũ, ad arcem Caunensem, in Lituaniam nauibus, terraq; peruenerũt, ibiq; tres munitiones celerimè erexerũt, Neuuerder, Riteuerder, & Metẽburg appellatas, ex his Crucigeri Lituanis magna damna inferebant, regionem igne & ferro vastando, incolasque occidendo.

VIGESIMVS secundus magister Cõradus Iungingen, ad munus obeundũ vocatus est, Wenceslao XXXIII. imperatore, & Bonifacio põtifice præsidentibus. Hic propter morũ probitatem magnam laudem apud omnes obtinuit, pacisq; obseruantissimus erat, ideo ab ordinis fratribus eum multa pati oportebat. Annis 12. officio præfuit. Postea ex carceribus corporis liberatus Mariemburgæ in diuæ Annę templo humatus est. 22

VIGESIMVS tertius magister Vlricus de Iungingen, Cõradi frater, Ruperto 34. Cæsare, & Gregorio 12. pontifice, munia obeuntibus officiũ susscepit. An. 1404. Strenuus & bellicosus vir extitit, regulas ordinis non admodũ obseruauit, cõsanguineos odio persequebatur, illorumque arces partim eripuit, partim destruxit. Cũ Lituanis & Polonis plurima bella gessit, hunc postea Iagielo rex Poloniæ & Lituaniæ magnus dux Vitoldus, cruento prælio profligauit, vbi & ipse cum plurimis cõmendatoribus quorũ 200. recẽsentur, cecidit; dux quoq; Stetinẽsis & Olesnicensis, Kerczdorffiq; dux exercitus Crucigerorum, à Polonis capti, 5000. Crucigerorũ à Polonis cæsa sunt, Lituanorũ tamen in castris Polonorũ militantium septem millia trucidata fugataque in primo conflictu. 23

Crucigeri profligãtur.

VIGESIMVS quartus magister Henricus comes Plauensis, sub Sigismũdo XXXV. imperatore, & Ioanne XXIII. pontifice electus est. Hic volebat vlcisci iniuriam, quæ à Polonis Crucigeris illata erat, sed antequam quicquam inciperet, ab officio deiectus est, 24

ct Engelsburgæ in carceres coniectus, deinde ad Leksteg missus, vbi septimo anno in vinculis peracto, fatis concessit. sepultus Mariemburgæ.

25 VIGESIMVS quintus Michael Sterbergensis, imperatoriæ culinæ magister, Sigismundo XXXV. sceptrum tenente, & Ioanne XXIII. Romano pontifice, ordini præpositus est, anno Domini 1410. Primo anno cùm suscepisset officium Iagielo rex Poloniæ, & Vitoldus dux Lituanię, Osterrodam Helsburgensemq; episcopatum, Resenburgam, Elbingam, & Christburgam ciuitates, depopulati sunt. Argentoratum obsederunt, re tamen infecta discesserunt, nouem annis ordinis curam gessit, postea vt deponeretur, precibus obtinuit, Gedani vitã finiuit, Mariemburgæ verò sepultus est.

Poloni cum Lituanis Prussiam vastant.

26 VIGESIMVS sextus Paulus Rudolfiensis, Sigismundi XXXV. imperatoris, & Martini pontificis tẽpore, magisterij celsitudinem consecutus est, anno Domini 1419. Huius tempore prouinciæ & ciuitates Prussiæ ad regem Poloniæ Casimirum defecerunt, & iugum Crucigerorum excusserunt, officium nouem annis hic magister retinuit, mortuus tandem Mariemburgæque sepultus.

Ad Polonos Pruteni deficiunt Crucigeros spernentes.

27 VIGESIMVS septimus Conradus Erlihusius, Alberti XXXIX. Romani imperatoris tempore officium suscepit, anno 1438. Hic à bello quoad vixit abstinuit, nimio dolore ob fratrum peruersitatem cõsumptus est, Mariemburgæ mortuus ibidemque sepultus.

28 VIGESIMVS octauus Ludouicus Herlihusius sub Cæsare Friderico huius nominis III. fratres regere cœpit anno 1450. Huius tempore Prussia ab ordine desci-

Pruteni Crucigero-

desciuit, ad regemque Poloniæ Casimirum maior pars eorum defecit. Milites quoque ordinis præsidiarij, Marienburgam regi anno Domini 1457. pro summa 476000. florenorum vendiderunt, cum aliis castris & ciuitatibus. Postea rex Poloniæ capta arce Choijnicze, pacem cum Crucigeris iniit, atq; ab hoc tempore Pomerania regno Poloniæ adiuncta est, pro qua Poloni 150. annis perpetuò cum Crucigeris belligerabant.

rum iugum excutiunt. Mariẽburga vẽditur. Pomeraniæ Poloniæ adiungitur.

VIGESIMVS nonus Henricus Rheus, comes Plauensis, dignitatem magisterij assecutus est, sub Friderico huius nominis III. imperatore, anno Domini 1467. Vndecim hebdomadis officio præfuit, Regiomonti in cathedrali ecclesia terræ mandatus est. 29

TRIGESIMVS magister Henricus comes Rihterbergensis, anno 1470. officium suscepit, præsidentibus Friderico III. imperatore, & Sixto pontifice huius nominis IIII. Fuit vir rigidus, furibundusque, Theodorum episcopum Prussię captum, in vinculis fame peremit. Ordini annis 7. præfuit, Regiomonti sepultus est, huius tempore bellum sacerdotum in Germania fuit. 30

Bellum sacerdotum.

TRIGESIMVS primus Martinus Truchses Weczhausensis, sub Friderico III. imperatore, & Sixto IIII. pontifice ordini præfectus est, 12. annis præfuit, Casimiro regi Poloniæ obedientiam præstitit, Regiomonti mortuus, ibidemque sepultus est. 31

TRIGESIMVS secũdus magister Ioannes de Tiefen ex Heluetia, celebri familia oriundus, Maximiliano sceptrum tenente, & Iulio pontifice præsidente, ordinem in tutelam suscepit, anno 1489. Eodem anno Polonia regi iuramentum præstitit. Postea ei- 32

dem regi Ioanni Alberto, auxilium contra Valachos ferens, cum exercitu profligatus, ipseque peremptus est, Regiomontum delatus, ibidem terræ mãdatur.

33 TRIGESIMVS tertius Fridericus dux Saxoniæ, Turingorum, & Hermandurorum Marchio, Maximiliani imperatoris, & Iulij pontificis temporibus, anno Domini 1468. In festo diui Michaelis Regiomonti magistratum suscepit. Nunquam regi Poloniæ iuramento se obstringere voluit, qua de caussa à Polonis sæpius infestatus, in patriam suã Hermanduriã profectus, vbi 12. annis extra ordinis fines exactis mortuus est. Huius tempore Ioannes Albertus rex Poloniæ è viuis decessit, cui in regno Alexander frater germanus successit.

34 TRIGESIMVS quartus, Albertus Marchio Brandenburgensis, Casimiri regis Poloniæ nepos, Maximiliani Cæsaris, & Iulij pontificis temporibus ordini solenniter cum ingenti pompa Regiomonti præfectus est, anno Domini 1512. Sigismundo regi Poloniæ auunculo suo iuramentum præstare noluit, sed arces necessariis omnibus muniuit, vt se contra Polonorum incursum defenderet, magnum & diuturnum bellum cum rege Poloniæ habuit, in quo extraq; parte multi ceciderunt, eam ob caussam, quòd iuramento se obstringere regi noluisset.

GESTA HVIVS MAGISTRI tempore præcipua.

ANno Domini 1519. in autumno, inter Sigismundum regem Poloniæ, & magistrum Prussiæ Albertum Marchionem, bellum ortum est anno 1520. Albertus Marchio, die festo Circumcisionis Christi,

Christi, Bransbergã inopinatè occupauit. Eodem anno, Mielzak, Milimlijn, regi traditæ sunt cũ aliis plurimis ciuitatibus, castrisq;. Quadragesimali tempore mense Aprili copiæ regis Oland, ciuitatem & arcem sub magistro ceperunt, eodem anno Brandemburga arx & ciuitas à Polonis capta & depopulata est.

Anno Domini 1520. Wolfgangus dux Schonemburgensis cum exercitu ordinis decem millibus peditum, & 4000. equitum cõiungens, Gedanum oppugnauit, ex episcopique monte, (vt vulgò vocant,) ciuitati imminenti 4000. globos tormentorum bellicorum, in ciuitatem frustra tamen exonerauit, nullum enim hominem læsit, sibi verò ingẽs damnum in tormentis, & globulis intulit: nam ex muro ciuitatis tormentum vnũ præstantissimum in mille frusta concussum est, & si aliquis ex exercitu se ostenderet, in hunc quatuor vel quinque tormenta ex turribus ciuitatis exonerabantur, tantaque miseria & penuria omnium Crucigerorum milites afflicti erant, vt multis suorum desideratis, quibusdam captis, fuga sibi ab obsidione consulere cogerentur. Interea verò Poloniæ rex, in subsidium Gedanensibus 12000. equitum electorum misit, qui milites Crucigerorum à Gedani obsidione discedentes, insecuti sunt, plurimosque ex eis trucidauerunt, quosdam captiuos abduxerunt, multi etiam à Cassubiis & Pomeranis iugulati sunt. Postea regius exercitus Dirschouiam & Stargerdũ arces occupauit, Choijnicz quoque arx cum ciuitate capta est, postea cæteræ ciuitates & arces vltro se regi Poloniæ obtulerunt, & milites ordinis vnà cum Crucigeris ex Prussia sunt eiecti.

Crucigeri à Gedano fugantur.

Crucigeri ex Prussiæ eijciuntur.

Anno Domini 1525. die octaua Aprilis, Prussia quam primùm religiosi Crucigeri videlicet tenuerunt, in mundanam politiam & principatum secularem cessit. Albertus enim Marchio Brandeburgensis in ordine 34. & vltimus magister Crucigerorum, belli cum rege Poloniæ pertæsus, difficileque contra stimulum calcitrare vidēs, regem sibi per internuncios fratres & affines suos reconciliauit, Cracouiamque veniens iuramentum solenniter regi Poloniæ Sigismundo, in maiestate regia ad id fabricata, in medio foro Cracouiensi sedenti, regalibusque induto præstitit, multis principibus. Ibique prædictum Albertum Marchionem Brandenburgensem, post iuramentum solenniter præstitum, Sigismundus rex, principem sæcularem, equitemque vt vocant auratum creauit. Terrasq; omnes Prussiæ certis sub conditionibus, eidem vt feudali, clientiq;, & subdito suo concessit, vexillumque illi suum sub insigniis Polonicis dedit. Atque hic finem ordo ille vt vocant Teutonicorum Crucigerorum, in Prussia anno Domini 1526. Alberto Prussiæ duci, sororis regis Daniæ, in matrimonium data est, ex qua suscepit filiū, Albertum Fridericum modernum ducem Prussiæ, qui eriā post mortem patris, regi Poloniæ iuramentum, homagiumq; solenniter præstitit, nunc quo ordine & quibus ceremoniis hoc iuramentum præstitum sit, quoniam ipse præsens rerū spectator fui, breuiter dicam.

Magister Prussiæ instrumentum regi præstat.

Anno Domini 1569. mense Iulio in comitiis regni generalibus, Lublini celebratis, Albertus Fridericus Marchio Brandenburgensis, Alberti ducis Prussiæ prædicti filius, patri in principatu succedens, iuramentum regi Poloniæ præstitit, hoc modo. Decima nona

nona die Iulij, amplissimum suggestum (siue maiestas vt dicitur regia) rectum, sericeis & stragulis tapetisque pretiosis, in suburbio Lublinensi sumptuosè erigitur, vbi rex sessurus esset. Concursus fit ad forum immensæ hominum multitudinis, opplentur viæ omnesque plateæ, quacunque incessus erat, satagit pro se quisque vel ornatus splendido vestitu, vel armis instructus apparere: Interim maiestas regia ex arce in thronum proficiscitur, cingitur ingenti & splendida senatorum procerumque vniuersi regni corona, præcedentibus principibus viris, ac omnis ordinis consiliariis, & aulicis. Vexillumque pulcerrimum & amplissimum album, nouo duci, de more, cum insigniis donandum, Erasmus Debinski, cancellarij regni filius, preferebat: postea rex in domum quandam suggesto oppositam diuertitur, ibique ornatu regali induitur, Sandalis videlicit aureis, alba Dalmatica, & chlamyde, siue piuiali ex panno aureo confecta, & corona regia aurea, gemmis lapidibusq; pretiosis concinnè affabreque ornata, chirothecas quoque annulis gemmisque ornatas manibus imposuit. Induta maiestas regia ornamentis regalibus, de modo illa in suggestum procedit media, inter reuerendissimos dominum Iacobum Vchanski archiepiscopum Gnesnensem primatem regni, ac dominum Padnieωski episcopum Cracouiēsem, præcedentibus & subsequentibus contiguè primariis dominis, consiliariis, spiritualibusque; gladium euaginatum ancipitē dominus Andreas Zboroωski gladiator (vt dicitur) regni, præferebat; pomum aureum cruce insignitum Petrus Zboroωki Palatinus Sendomirien sis portabat; sceptrum Staniſlaus Myſko-

Mos homagiorū regni Polon.

Vestitus solennis regis Polon.

Wski, Palatinus Cracouiensis anteferebat. Cùm itaque sacra regia maiestas in solio sedit, quatuor Germani proceres Prussiæ, nomine ducis sui, supplices venerunt, & genubus flexis vnus eorum orationem facundo lepôre, ad S.R.M. recitauit: Oratione finita, regia maiestas quatuor cõsiliarios suos cum illis quatuor Germanis ad ducem Prussiæ accersendum misit. Veniens itaque illustrissimus princeps Albertus Fridericus, disertissima facundia, orationem fecit ad S.R.M. singularem fidem, supplicitatẽ & subiectionem testantem. Responsum est postea ipsi principi consiliariisque eius Latinis verbis, nomine regis, sacram R.M. tam ipsum principem, quàm omnes subditos, & optimates eius, omni fauore & gratia complecti, defendereque velle. His finitis accessit princeps ad soliũ, & pedes regios genu flexus cum summa reuerentia accepit, accepitq; de sacra regia maiestate manibus, vexillum album insignitum Aquila nigra, cum literis S. & A. colligatis in pectore, cum institutione ore regio facta his verbis: Nos Sigismundus Augustus Rex, annuentes vestris & vestrorum subditorum precibus, tradimus & concedimus illustritati tuæ, prout parenti tuo illustrissimo tradideramus, in feudum terras, ciuitates, oppida, & arces in Prussia, & ad eas illustritatem tuam inuestimus, per huius vexilli traditionẽ, ac instituimus gratia & benignitate nostra, qua illustritatem tuã vti nepotem nostrum carissimum complectimur, speramusque, quòd eius beneficentiæ nostræ, & memor, & grata, fidelisque illustritas tua sit futura. Deinde princeps Prussiæ caudam vexilli tenens, super libro Euangeliorum in hæc verba iuramentum præstitit.

Verba regis ad ducem Prussiæ.

Ego

Ego Albertus Fridericus, Marchio Brandenburgensis in Prussia, Stetinensis, Pomeraniæ, Slauorum, Cassubiorum dux, princeps Rugiæ, & Burggrauius Norimburgensis, promitto, & iuro, quòd sereniss. principi ac Domino, Domino Sigismundo Augusto Regi Poloniæ inuictissimo, Magno duci Lituaniæ, Russiæque ac omnium terrarum Prussiæ domino & hæredi, sicut meo naturali hæreditarioque domino, & eius sacræ maiestatis hæredibus, & successoribus regibus, & regno Poloniæ ero fidelis & obsequens, eiusque maiestatis ac hæredum & totius regni Poloniæ bonum procurabo, & damnum præcauebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem vassallũ feudalemq; pertinet, ita me Deus adiuuet, & hoc sanctum Dei Euangelium. Accepto huiusmodi iuramento maiestas regia, gladium ancipitem, à gladiatore regni, domino Andrea Zboro Wski accepit, nouumq; ducem ter præcinxit, inclinatum de more dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Postea ei torquem auream, regio munere non indignam imposuit. Mos omnis ordinis nobiles, qui ad equestre munus contendebant (in quorum ego numero, eodem more præcinctus fui) præcincti sunt. Quibus omnibus ex ordine solenniter peractis, ac depositis regalibus indumentis, cum toto illo comitatu, duceq; Prussiæ cum suis præcedente, in arcem rediit.

Commẽdatio Prussiæ.

Hæc autem Prussiæ regio, plerisque sinuosis flexibus est vbiq; amœna, & opportunis portubus maris Baltici, maximè commoda, vrbium illustrium, oppidorum, arciumque frequentia & opimis incolarum diuitiis, opibusque ac terræ vbertate, supra

moduni claret. Pecoris omnigeni inæstimabili copia, piscationibus, venationibusq;, & siluis fructuosissimis, aërisque temperie, cum amœnitate coniuncta prædita est, & postquã fidem Christianam Prussia suscepit, 72. arces præcipuas & 62. ciuitates principales habuit, à Crucigeris domus Teutonicæ erectas, quarum numerus nunc temporis successu, plurimum creuit; multæ enim & frequentes ciuitates ac oppida, munitionesque, tam à Polonis, quàm Crucigeris vario Marte vtrinque decertantibus extructæ sunt. Longitudo eius ex Aquilone in Austrum, à Toruniavrbe confini Massouiæ vsque ad Memulam castrum cum oppido, quinquaginta octo milliaribus extẽditur. In latitudinem verò quinquaginta milliaribus, Lituanos & Massouitas contingens patet.

Ciuitates in Prussia.

Flumina Prussiæ.

Flumina præcipua & principalia, in Prussia duodecim reperiuntur, Istula siue Vistula, quæ Silesiam, Poloniam, Massouiam, & Prussiam præterlabitur, similiter Cronon siue Nemen ex Lituania decurrens, Nogat, Elbinga, Wesera, Passaria, Alla, Prægel, Ossa, Drebnicz, Lica, Lauia. Extant quoque alia plura flumina omni genere piscium abundantia, minus tamen hominibus præcipuè externis cognita. Lacubus plurimis aliquando septem milliaribus Polonicis patentibus, piscibusque omnis generis exundantibus vndique scatet. Gummi quoq; genus lucidissimum, quod succinum siue *Glessum* vulgariter *Burstin* vocatur, in littore maris Baltici copiosè colligitur. Cùm autem Prussia vt copiosè superius descripsimus, Barbarorum colonia antiquitus fuerit, Polonorum ac Teutonicorum armis subactam, sacrisque initiatam se agnoscit, qui in eam colonias suas barbaris, penitus ferè

ferè extirpatis deduxerunt, nuncque tam Polonis, quàm Germanis equitibus, pariter ciuibus, agricolisque frequens est. Barbarorum tamen reliquiæ, ad Curlandicum lacum hucusque supersunt, qui, cum Liuonibus & Lituanis vicinis, idiomate, moribus, habituque concordant. Porrò nulla in vniuerso Poloniæ regis dominio, regio reperitur, quæ tam frequentibus ciuitatibus, arcibus, & oppidis, vt Prussia abundet.

Hæc autem Prussiæ regio amplissima, omniumq; fructuum tam ex terra, quàm aqua nascentium abundantissima, duplex est, Ducalis & Regalis: nam Dux gratia regis Poloniæ, in suis ciuitatibus & arcibus integrè rerum potitur, vt vassallus & feudalis, ac beneficiarius regni. Regiomontique, quæ est ciuitas maritima, sedem suã habet, in qua est collegiũ communis studij, ab Alberto prefato primo, ex magistro duce creato fundatum. Est autem Regius mons emporio clara, ad eam enim merces ex Septentrionis regionibus copiosè apportãtur, in hanc sedem suam magistri transtulerunt. Mariemburga nobilissima, eaque munitissima arce, ac totius Prussiæ propugnaculo, quę cùm se expugnari non pateretur, Casimiro regi Poloniæ, vt diximus, pro certa stipendiorum militibus ordinis persolutione, dedita est, in ea assiduè milites præsidiarij à rege Poloniæ asseruantur, victu & omnibus ad bellum necessariis tam apprimè prouisa, vt sex annorum obsidionem sustinere possit. Est enim regalis Prussiæ, (id est, illarum arcium & ciuitatum, quas rex electas extra ducem, armis maiorum suorum, acquisitas possidet,) caput & metropolis à Gedano septem milliaribus distat. Plurimas nobiles

Prussia duplex.

Regiomontum.

Mariemburga.

ciuitates & arces, quas superius enumerauimus, Prussia complectitur.

Episcopatus verò quatuor Catholicos, postquam fidem Christianam suscepit, Prussia habebat. Warmiensem, Culmensem, Sambiensem, & Pomesaniensem, nunc Sambiensis Warmiēsi, Pomesaniensis autem Culmensi adiuncti. Warmiensem episcopatum, qui est præcipuus reuerendissimus dominus Stanislaus Hosius Polonus, sacræ Romanæ ecclesiæ cardinalis dignissimus, singulari pietate, & vitæ sanctitate, ac doctrina cælesti & scriptis diuinis corruscans administrat, qui malleus hæreticorum indefessus, & catholicæ ecclesiæ propugnator strenuus, iure cēsendus est. Culmensem episcopatum, reuerendissimus dominus N. Costca virtutum & doctrinæ speculum insigne. Nunc de Pomerania regione amplissima dicendum nobis occurrit, quæ etiam Polonorum armis antiquitus, perdomita imperio paret: nam Boleslaus rex bellicosissimus anno Domini 1003. Russiæ principibus debellatis, strenuoque Marte contusis, perpetuum victoriæ monimentum Herculeū imitatus opus, tres ferreas columnas in Borysthene fluuio collocauit. Deinde anno Domini 1008. Saxonibus bellum intulit, & omnem illorum regionem, circa Oderam, ad Albim, & Salam fluuios, cherſonesumque Cimbricam, quæ hodie Dania appellatur, summa belli dexteritate ditioni suæ subiugauit. Vrbes earum regionum maximas, partim solo æquauit, partim suis Polonis muniuit, gentemque vniuersam Pomeranorum, barbaram & incultam, ad fidem Christianam suscipiendam, armis coëgit, & vt sempiterna memoria victoriæ felicissimæ

Episcopatus Prussia.

Gades Boleslai.

cissimæ apud posteros extaret, in Albi, & Sala, Ossaq; fluuiis, columnas æreas inclitus triumphator locauit, totam Prussiam ac Pomeraniam Christianis infestissimas, perdomuit.

DVCATVS POMERANIÆ.

POmerania regio amplissima, ab Holsatia ad Liuoniam vsque, longo tractu, iuxta mare Germanicum extenditur, vnde & nomen habet. *Pomorze* enim Slauis mari adiacentem regionem significat. In hac regione natio Slauonica, antiquitus confederat, sed nunc Germani magna ex parte eam incolūt. Has præcipuas ciuitates à mari procul sitas complectitur, Stetiniam, vnde ducatus Stetinēsis dicitur, Neugardiam, Lemburgam, Stargardiam, Bergradum, Camenetiam, Publinam, Grifenborgam, & alias cōplures. Quæ verò mari impendūt Colberg, Camin, Conslin, Gribswald, Sund, Puczka, Reuecol, Louēburg, Hechel, &c. Iulinum in hac regione vrbs erat celeberrima, nunc ruinis deformis iacet, pro hac regione Polonicum Prutenis Gentilibus, & Crucigeris longo tempore acriter decertabant, nunc titulo eius rex Poloniæ, qui in ea maiori ex parte rerū potitur, duxque Prussiæ feudalis regis Poloniæ vtuntur.

Iulinum.

GEDANVM, siue Dantiscum huius regionis metropolis, vrbs amplissima, & insignis à mari Germanico vno milliari abest, eam celeberrimus fluuius Vistula præterlabitur, ibidemque amplissimis ostiis in mare exoneratur, in ea totius Pomeraniæ & Prussię celeberrimū emporium est: ex vltramarinis enim regionibus longinquis, Anglia, Britannia, Scotia, Gallia, Hispania, Suetia, Dania, & Norwegia, naues

ad eam appellunt. Ex Lituania quoque Russia, Volinia, Poloniaq; variæ merces, fluuiis nauigabilibus in eam deferuntur, præcipuè verò siliginis, & frumenti, ingens copia ex suprà nominatis regionibus aduehitur. Regi Poloniæ subiecta est, castellanumq; à rege præfectum habet. Ex mari in vrbem perducta est fossa, qua naues maximæ intra mœnia veniunt. Burgrabius cum proconsulibus, & consulibus, regio nomine, ciuitatē administrant. Ciues omnes ferè Germani sunt, mercatoresque ditissimi, ita vt Gedanum ædificiorum pulcerrima dispositione, commerciorum varietate, maris, Vistulæque opportunitate, incolarum, & externorum incredibili multitudine, ciuium diuitiis, & instrumētorum bellicorum, ad hostes propulsandos, ac machinarum æneārum numero, cum præcipuis Europę vrbibus, meo iudicio conferenda sit. Prætorium maximo sumptu eoque regio exædificatum cum superbà turri, ædesque sacræ, cum priuatis ingenti auri pondere, artificioseè erectę, Geldaque publicum vrbis palatium, ac horologium diuinis ferè manibus elaboratum, cuius cāpanę mirabilem quendam & suauissimum concentū edunt, secundum artificis voluntatem, & temporis conuenientiam, in admirabilem omnium gentium aduenas attrahentes. Propugnaculum munitissimum in ipso maris portu extructum, frequentibus directis machinis armatis militibus custoditur.

Vexillum totius Pomeraniæ aquilam nigram in collo coronatam, gladium euaginatum manu humana tenentem, pro stemmate in campo aureo gestat similem Prussiæ, quam in eius principio expressimus.

ELBIN-

ELBINGA ciuitas insignis ad ostia Albis fluuij, in littore maris magnificentissimè, & sumptuosè extructa, splendidis ciuium opibus, & mercatorum diuitum frequentia claram, spectabilemque se reddit. Eius titulo rex Poloniæ scribens, se dominum terræ Elbingensis maximè in priuilegiis vtitur. Districtum enim amplissimum circumiacentem habet. Atque hæc de Prussia breuiter dicta sufficiant.

LIVONIÆ TOTIVS CVM SVIS PROVINCIIS, CIVITATIBVS, CASTRIS, ET COMMENDaturis, siue Palatinatibus, &c. succincta descriptio.

Addita est quoque breuis narratio, quomodo hæc regio in ius inuictissimi regis Poloniæ Sigismundi Augusti, Magni Ducis Lituaniæ cesserit, & quo pacto a Moschorum principe & Suetia rege diminuta fuerit.

LIVONIA siue Lieflandia, regio amplissima, ab Oriēte, Russiæ, Moschorum principi subiectæ, contigua est, Neruaq; fluuius nauigabilis, (in cuius vtraq; ripa, duæ arces eiusdē nominis, vni Liuonienſium, altera Moschorum sibi ex aduerso sitæ sunt,) imperium Moschouiticum, à Liuonienſi dissimitabat. Sed moder-

nus Moschorũ monarcha Ioannes Basiliades, Derpe insigni vrbe episcopali, cum sibi adiacente pro[illegible] occupata, vlterius fines suos (prout inferius dicetur) promouit. A Septentrione cũ Suetiæ regno, & Phi[illegible] landiæ ducatu fines suos, sinu maris Baltici disterminat: ab Occidente mari Balteo (quod Germanicum & Prutenicum appellatur) contermina est: à Meridie Samogitiæ & Lituaniæ, nonnihilque in Occidentem vergens, Prussiæ adhæret. Nonaginta millia[illegible] bus Germanicis in longitudinem, & quinquaginta in latitudinem, cum sinu maris Baltici adiacenti extenditur. Sed nunc bellis sæuientibus, pluribus in locis vastata, & diminuta est. Continet autem in se plurima territoria, quæ pro ducatibus computari possunt, horum singula cum suis ciuitatibus & castris succinctè describere curabo. Sed primò quomodo & quando regionis incolæ nomina Christo dederint, paucis aperiam.

Fines Liuoniæ.

Totum penè orbem terrarum, post maximum illud vniuersæ terræ diluuium, fallacium dæmonum fraude seductum, veram vnius Dei religionem, impio multorum & falsorum deorum cultu, vanaque superstitione commutasse constat. Quidam enim mortuos homines, propter merita beneficia & egregia gesta, cultu diuino venerabantur: alij malignos dæmones, ementitis miraculis, & prodigiis hominum oculis sese insinuante, adorabant: denique beluis atque serpentibus & sculptis, pictisque arte humana simulacris, gloriam veri Dei exhibebant, donec Iesu Christi, veri Dei hominisque benignitas, & Euangelij eius claritas, post multa secula, quasi lux clarissima, mundo cælitus affulgens, has terras terribilesque

lesque tenebras discussit. Sed regiones septentrionales, & omnes gentes ad Aquilonem vergentes, Christianæ religionis ignaræ, vano idolorum cultui diutius subiugatæ fuerunt: difficilis enim ad eos externis gentibus erat aditus, propter efferam barbariem, & crudelitatem populi. Romani etiam & Græci, qui primò fidem Christianam amplexi sunt, septentrionalium plagarum minus exactam notitiam habebant: vnde factum est, vt Liuonia cum cæteris, ad Aquilonem vergentibus regionibus, nouissimè omnium, sacro baptismi fonte lauata fuerit. Demum, Friderici primi ex ducibus Germaniæ, Romanorum imperatoris temporibus, mercatores rem familiarem ex Germania, per mare Balticum in Liuoniam appulerunt, & gentis barbaræ simplicissimæque animos ob mutua mercimonia commutanda pellexerunt. Erat autem hic populus miræ simplicitatis, opumque parandarum & rei familiaris iusto negligentior: melle enim expresso (quo maximè regio abundat) ceram velut alias quisquilias, & purgamenta domibus euerrebãt. Postea succedente quæstu, & mercatoribus occidentalibus, eò loci cõfluentibus, sacerdotes paulatim se illis immiscere, adiungereq́; pię peregrinationis caussa, cœperunt, vt mercatoribus, videlicet thesauros Liuonum acquirentibus, ipsi animas gentis Christo, per verbum Euangelij salutiferum lucrifacerent. Erat igitur ea tempestate, vir quidam Meinhardus nomine in Lubeca, ciuitate celeberrima, pietate & sanctimonia vitæ insignis, hicvnà cum mercatoribus conscensa naui in Liuoniam, anno partæ per Christum salutis, millesimo ducentesimo traijcit, & cõspiciens in tam insigni

Fridericus Imperator.

Germani in Liuoniam veniunt.

Meinhardus pius vir, primus in Liuoniam venit.

& præmatura messe, nullos operarios extare, continuò ibi vnius famuli conuictu contentus, etate trãsigere constituit; casamque sibi ex arbustis propter imbres arcendos construxit. Paulatim deinde hominum familiaritatem captare, & tædio superato, habita iam mutui conuictus, & contractæ notitiæ cum incolis regionis opportunitate, religionibus & rerũ diuinarũ eos admonere cœpit, sensimq; à vano idolorum cultu, ad Christianæ fidei obseruantiam adducere, auspicanteq; Deo, & pium viri religiosi conatum secundante, complures incolarum in agnitam veritatis doctrinam concesserunt, quorum crescente numero, multorumq; animis (vt fit) rei nouæ & inusitatæ religionis studio, flagrantibus, Basilica instauratur. Nec multò pòst, Meinhardus à Bremẽsi archiepiscopo, in Liuoniæ episcopum consecratur, quin messe Christi strenui operarij munus adimplés, rem Christianam multũ adauxit, & magnam gentis partem ad Christum conuertit, postea vitam cum morte feliciter commutauit. Huic ex vita decedenti Bertholdus Cistercienſium abbas succeſſit, qui contra irruentes hostes fidei Christianæ, vnà cum peregrinis militibus, qui pietatis ergò ad militiam Christo exercendam, ex Germania cõfluxerant, pugnare instituit. Vbi verò ad pugnam ventum est, equo infreni in mediam Barbarorum aciem proiectus, confoditur. Tandem crescente multorum pietate, plurimi sacræ se militiæ deuouerunt, ordinisq; fratrum Teutonicorũ habitu suscepto, ensiferos fratres sese nuncupauerunt. Sed cùm rebus gerendis superesse non possent, hostiumq; barbarorum vis vndiquaque inualesceret, Teutonicorum fratrum ordini, in Prussia se con-

Meinhardus Liuones in fide Christi instruit.

Meinhardus episcopus creatur Liuoniæ primus.

Bertoldus episcopus occiditur.

se coniunxerunt. Cùm enim audiuissent, quòd ordo Teutonicus Cruciferorum, in tota Germania profi-ceret, Volquinus præpositus eorum à quinto in ordine, magistro Prussiæ Conrado olim comite Turingensi, in ordinem Teutonicum susceptus est, anno Domini 1234. suffragiisq; eiusdem magistri Prussiæ Conradi, Gregorius summus pontifex Romanus huius nominis nonus, iussit vbique, & præcipuè apud infideles Prutenos, Liuonesque proclamari, quòd ordo fratrum à gladio in Liuonia (qui nondum confirmatus erat) Teutonico ordini in Prussia vnitus, incorporatus adscriptusque esset. Susceperunt itaque fratres à gladio Liuonienses, crucem, habitumque more fratrum Teutonicorum in Prussia. Et semper ab hoc tẽpore magistri Prussiæ à Liuonensibus magistris tributa certa, & obedientiam exigebant, vsque ad tempora Alberti Marchionis Brandenburgẽsis, magistri Prussiæ, qui anno Domini supra millesimum quingẽtesimum, decimo tertio, pecuniam, quam obedientiam accipere maluit. Itaque Liuonienses data, præscripta ingenti summa pecuniæ, in posterum ab obedientia Prutenicis magistris exhibenda, liberati sunt. Hanc tamen libertatẽ paulò pòst per insolentiam suam amiserunt: Rex enim Polonorum Sigismundus Augustus, eos in potestatem suam, prout inferius dicetur, redegit. Sed ad rem accedo. Liuonienses cruciferi, habitu fratrum Teutonicorum in Prussia assumpto, grauissimis bellorum laboribus, cum barbaris fortiter exantlatis, hactenus rerum in Liuonia potiti sunt, magistrumque sibi elegerũt, qui cum commendatoribus, seu etiam præfectis totam regionem gubernabat. Erant præ-

Ordo Teutonicorũ in Liuonia.

Volquinus primus Liuoniæ magister.

Ordo Liuonicus à Gregorio nono põtifice confirmatur.

Crucigeri Liuonienſium, Pruſſienſium tributarij, & cum illis vniti.

Liuonienſes ſe redemerunt à Pruſſienſibus.

Episcopi Liuoniæ.

ter hunc in Liuonia episcopi quinque, vtpote archiepiscopus Rigensis, Derptensis, Habselensis, Oseliæ, Curlandiæ, Reualiæque episcopi. Hi sua munia strenuè & magnificè vt principes obibant. Sed anno Domini 1558. Moschorum dux Derpta, siue Torpato, insigni vrbe episcopali potitus, episcopatū Derptensem penitus aboleuit, rex quoque Poloniæ archiepiscopatum Rigensem, cum omnibus arcibus & ciuitatibus (rerum enim in Liuonia potitur) tenet. Reualiensem episcopatum, Suecię rex vrbe Reualia cepta administrat. Oselensem episcopatum & Abselensem fratres regis Daniæ, Magnus nomine, vnà cum insula Osilia possidet.

Episcopatus Liuoniæ diuersis à multis principibus.

Ordinis Teutonici magister, vnà cum suis commẽdatoribus, plurima oppida & arces munitas possidebat, & primò quidem ordinis magister & archiepiscopus Rigensis simul, & coniunctim Rigã vrbem metropolim regionis occupabãt, monetamq; vtebantur propriam, qua adhuc incolæ regionis vtuntur, cudebat. Verùm magister præter dominiis, & possessionis consortium, arcem quoque ibi habebat. Hic iam ordine territoria arces & ciuitates, tam magistro ordinis, quàm episcopis, & commendatoribus subiectas, describere pergam. Hæc verò sunt territoria siue prouinciæ, in Liuonien si dominio, quæ pro ducatibus valent: vtpote, Leitlandia, Vikeclandia, Curlandia, Semigalia, Estlandia, Virlandia, Haria, Geuendiaque.

Prouincia Liuoniæ.

LEITLANDIA SIVE RIGENsis prouincia.

LEitlandia regio Liuoniæ, præcipuè has arces, & ciuitates regi Poloniæ subiectas habet.

RIGA

RIGA vrbs celeberrima, totius Liuoniæ metropolis, muro fortissimo, propugnaculisque & turribus densis, tormentis bellicis, apprimè munitis, valloque in excusso tribus ordinibus tormentorum, vndiquaque munita, fossis duabus, ex vtraque vallis parte circumducta, & stipitibus acutis circumsepta, rebus bellicis tormentis, & commeatu copioso, militibusque stipendiariis, pacis & belli tempore, bene prouisa. Arcem quoque bene munitam, & omnibus necessariis prouisam, sibi adiunctam habet, in qua olim magistri sedem suam habebant, eam nunc Gothardus Kietler dux Curlandiæ, regis Poloniæ feudalis, nomine regio administrat, in ciuitatem tamen ipsam, ius nullum habet. Administratorem enim siue capitaneum aliquem, ciues sibi dominari (libertatem asserentes) non patiuntur, sed obedientiam, & tributa regi Poloniæ fideliter exhibent, ipsique ciuilibus legibus vrbem administrant. Hanc vrbem fluuius Dwina amplissimus, (ex Seuera regione Russiæ, Moschouitæ duci subiecta, ortus) vnà cum arce alluit, & duobus à Riga in mare amplissimis ostiis exoneratur. Per hunc naues ex mari, de vltramarinis regionibus, vtpote Suetia, Dania, Holsatia, & cæteris repostis prouinciis appellunt. Ex Russia quoque & Lituania cineres, asseres, ligna cæsa, & leuigata, omnis generis ad naues fabricandas, frumentum quoque grandi copia, & cætera importantur. Magnumque hac in vrbe & celeberrimum est emporium, quamuis enim duobus milliaribus à mari distat, naues tamen omnigenæ, facillimè de mari, sub ipsa mœnia vrbis veniunt & redeunt.

Gothardus Kietler.

Duina fluuius.

Emporium Rigense.

Hæ verò arces, ciuitates, & præfecturæ, capitaneatusq́; in hac Leitlandiæ siue Rigensi prouincia continentur, videlicet,

DVNAMVNT arx inexpugnabilis natura, opportunitateque loci, mari adiacet, in ostiis DWinæ fluuij, duobus à Riga milliaribus sita, præsidiisq́; Polonicis munita, in ea omnes naues ex vltramarinis regionibus, ad Rigam venientes, merces indicare, teloniaque persoluere coguntur.

BLOKAVS munitio inter Rigam, & Dunamũt, ad DWinam condita, in ea quoque omnes naues excutiuntur. Hæ autem duæ arces Rigensibus maximè inuisæ sunt.

KIRCHOLM arx murata, ad DWinam fluuium, duobus milliarib. à Riga sita, in Orientẽ procedẽdo.

Hæ quoque arces DWinæ impendent.

VXVL arx desolata, curia tamen in ea, vbi præfectus manet, extructa, à Kircholm duobus milliaribus abest. Crudelem illic quondam conflictum, & hominum stragem insignem, cumulus ossium ingens congestus testatur.

LENVARD arx ab Vxul quatuor milliaribus ad DWinam sita.

ASCHERAD olim Palatinatus: arx ad DWinam munita, Moschouitæq́; ab ea aliquoties repulsi sunt, quatuor milliaribus à Lenuard abest.

NITAW Sesucgen, Georgenburk, LeWborg, Rossiten, Lucen, Luden, Neuenhul, arces muratæ absque ciuitatibus.

DVNEMBORG arx ad DWinam munitissimè sita, commendator siue palatinus, ei olim magistri nomine præsidebat.

SEGEVOLT arx & ciuitas, olim ordinis Marschalci primi, à magistro propria erat, cum cæteris ad eam pertinentibus, videlicet LeWburg, Nitaw, Georgenburg, & Choen castris.

ARIES arx, Wolmer ciuitas & castrum. Hermes arx, quatuor milliaribus à Parnawa, & Phelin.

Has suprадictas omnes arces, & ciuitates, cũ suis palatinatibus, & præfecturis, inuictissimus rex Poloniæ possidet, excepto Mariẽburga castro quod Moschouiæ princeps occupauit. Adzel autẽ & Rodempeus, à Moschouitis exustæ, & desolatæ sunt.

ARCHIEPISCOPATVS RIGENSIS.

IN eodem territorio Rigensi, rex quoque Poloniæ omnes arces, ciuitates, capitaneatus, & præfecturas, archiepiscopales possidet.

KOKENHAVS arx, & ciuitas, natura & opportunitate loci munitissima, ad DWinam fluuium sita, cæterarum archiepiscopi, arcium, principalis.

VXVL Lenuard, suprà nominatæ arces, Krewburg, Landon, Sesuegen, Schancborg, Serben, Conemburg, arx cum ciuitate, Salis, Vansel, Dalen, Iencel, Treyden.

SMILTEN arx à Moschouitis desolata, Cremon castrum olim Capituli metropolitanæ ecclesiæ Rigensis.

SANCEL arx apprimè munitissima, mari adhærens, ad archidiaconatum Rigensem quondam pertinebat. Hæ itaque omnes arces, & ciuitates enumeratæ regi Poloniæ subsunt.

Arces nobilium in prædicto archiepiscopatu hæ sunt, Nochrosen, Rosemberg, Mayan, Pierkiel,

Roppe, Nabbe, Elner, & Berſen. Earum domini, Polono regi obtemperant.

EPISCOPATVS DERPTENSIS.

DERPT, ſiue Torpatū, ſiue Derbet, inſignis vrbs epiſcopalis, & arx in colle munitiſſima, vrbi impendens. Hæc anno Domini 1558. ab exercitu Moſchorum ducis, violēta oppugnatione, cum tota circumiacenti prouincia capta eſt. Hæ verò arces ad hunc epiſcopatum pertinebant. Falcana W, caſtrum, & monaſterium inſigne, Neinhaus 18. milliaribus à Derpt ſita, Ruthenis contermina, Werbeke, Oldentorn, Kiriepe, Verpech. Nobilium arces in hoc epiſcopatu, quatuor præcipuè erant, videlicet, Olſen, Kanelicht, Raden, Cunctal, ſiue Regental, omneſque à Moſchorum duce cum epiſcopatu ſubiugatæ ſunt.

EPISCOPATVS HABSELENſis & Ozelenſis.

VIkechzlandia regio ad Habſelenſem epiſcopatum cum ſuis arcibus & ciuitatibus pertinebat, quæ quatuordecim milliaribus in longitudinē, duodecimque in latitudinem patet, mari Germanico adhæret, & has arces complectitur, quas Sueciæ rex vnà cum regione poſſidet.

HABSEL arx principalis cum ciuitate, in qua eſt eccleſia cathedralis, eam rex Suecię vi ad deditionem coegit.

LODE arx munita, quam dux Curlandiæ Gothardus Kietler à Suetenſium impetu nuper defenderat, & aliquot eis grandia tormenta ademerat, ſed poſtea ab eiſdem capta eſt.

LEHAL

LEHAL caſtrum, & ciuitas, in qua eſt inſigne virginum monaſterium, nunc præſidiis Suetenſium tenetur.

FICZKEL & Felix arces à Moſchouitis exuſtæ & deſolatæ ſunt.

VERDER arx munitiſſima ad fluuium Zundam ſita ab ipſis Cruciferis Liuoniēſibus deſtructa & demolita eſt.

OZILIA inſula in mari Germanico, aliquot à littore milliaribus ſita eſt, ad Ozelenſem epiſcopatum pertinebat, arces & ciuitates duas munitiſſimas habet, eas Cruciferi regi Daniæ prodiderunt, quas nunc Magnus eiuſdem regis Daniæ frater poſſidet, epiſcopatuſq; titulo vtitur. Harum arciū vna Arnczburg, altera Sonemburg appellatur.

CVRLANDIA REGIO.

HÆc regio in Liuonia ſita à Septentrione maris Baltici ſinu, ab Occidente verò vbi Pruſſiam cōtingit, pelago qui Curlandicus appellatur, alluitur: à Meridie Samogitiæ confinis eſt, regiq; Poloniæ ſubeſt, ſed eam Gothardus Kietler, regis gratia & benignitate tenet, tituloq; eius vtitur. Has ciuitates & arces complectitur.

VINDA arx cum ciuitate & Palatinatu, Polonis Kieſs dicitur, in ea magiſtri ſedem ſuam habuerunt, & comitia, conuentionesque celebrare ſoliti erant, nunc Polonicis præſidiis tenetur, adminiſtrantem illuſtri & magnifico Domino Ioanne Chodkie Wiez, generali Samogitiæ, & ſupremo gubernatori Liuoniæ, ac magno marſchalco magni Lituaniæ ducatus.

GOLDINGEN arx & ciuitas cũ districtu amplo.

GRVBIN, & Candaph arces cum præfecturis ditissimis.

TVCZKON, Sabel, Durbin, Asempoth, Shruden, Frauemburg, Alsangen, arces. Newburg castrũ in finibus Samogitiæ.

Episcopatus Curlandiæ septẽ arces continet, quas Magnus regis Daniæ frater possidet, episcopatusque titulum sibi vsurpat, hisque nominibus, hæ arces nominantur, Edwalen, Pilthen, Hasempot, Angermunde, Dondangen, Neinhaus, & Ambothen.

SEMIGALIA DVCATVS.

HIc ducatus Curlandiæ adhæret, à Meridie Lituaniæ contiguus est. Hasque arces continet, Soleburg, arx & præfectura, Basemborg, Doblin, Nithaw, arces cum districtibus, ciuitates nullas habent, totumq; territorium vnà cum arcibus enumeratis, Curlandiæ dux prædictus regis Poloniæ gratia & benignitate commissum tenet.

ESTLANDIA DVCATVS.

ESTlandiæ, siue Estoniæ ducatus mari Suecię à Septentrione adiacet: has arces præcipuas cum ciuitatibus & præfecturis complectitur.

Felin cum magistro capta.

FELIN arx & ciuitas munitissima, vnà cum vltimo magistro Liuoniæ Wilhelmo Furstemberg feudali regis Poloniæ, à propriis militibus stipendiariis Germanis Moschorũ duci dolosè prodita est. Ciuitas ipsa exusta, arx verò præsidiis Moschouiticis munita, vnaque cum districtu, siue Palatinatu Moschorum duci subest. Magister verò in ea captus, Moschouiam

uiam abductus, in vinculis spiritum exhalauit. Atq; hunc extremum exitum magistri Liuonienses habuere. *Exitus magistrorum Liuoniæ.*

LAIS & Talczhofen arces, à Moscho quoq; occupatæ sunt.

Taurus capta.

TARNEST, siue Taurus, arx munitissima præsidiisque Moschouiticis prouisa, à Lituanis duce exercitus illustri & magnifico Domino Nicolao Radziwil Palatino Vilnensi, pulueribus bõbardariis suppositis eiecta, & cum Moschouitis, à vi & impetu pulueris volantibus euersa est. Ego etiam huic oppugnationi cum patre meo interfui. Hac autem arce expugnata & exusta, Lituani quibusdam Moschorũ abductis, quibusdam occisis, velut Tartari, arce desolata relicta, & non occupata, nec munita, (quæ facilè instaurari potuit,) cum spoliis, tormentisque, & cẽtera supellectili bellica ablata, discesserunt, anno Domini 1561. Iulij vltima.

OPERPAL arcem exercitus regis Poloniæ exussit & desolauit.

Has aũt in hoc ducatu arces rex Poloniæ possidet.

Parnaua recuperata.

KARXHAVS, Helmeth, Rugen, Parnauam arcem insignem & munitam cum ciuitate mari adiacentem. Hæc à Sueciæ rege primùm occupata erat, sed postea à Polonis inopinatè capta in ditionem regis Poloniæ cessit.

VIRLANDIA.

TErritorium hoc Liuoniæ inter orientalem, & septentrionalem plagam positum, à Septẽtrione Baltici maris sinu terminatur, ab Oriente Nerua fluuio celebri ex lacu Peijbas emergenti, & in mare Balticum ingredienti alluitur. A Meridie Estlandiæ

ab Occasu Hariæ contermina est, & octo milliaribus in longitudinem, à Nerua fluuio ad ReWaliam vsque extenditur, hasque arces complectitur.

NERVA arx & ciuitas insignis, munitissimaq;, ad fluuium eiusdem nominis sita. Ex aduerso in altera ripa arcem à Moscho erectã Iuano W Gorod dictam habet, atq; fluuius prædictus Nerua, has arces interfluens Moschorum & Liuoniẽsium imperium olim dislimitabat.

TOLCZBVRG arx ad sinum maris Baltici inter Neruam & Reualiam ciuitates æquali distantia sita.

WESENBVRG arx & capitaneatus.

BERCHOLM olim arx episcopi Reualiensis erat. Ass quoque, & Est, duæ arces nobilium Liuoniæ vna Roberti à Gilsen, alia Bernardi de Tabe.

Has omnes arces cum suo territorio Moschorum princeps occupauit.

HARIA PROVINCIA.

HAria iuxta mare Suetiæ sita, in lõgitudinem sedecim milliaribus, & octo in latitudinem extenditur, cum Virlandiæque territorio pro ducatu computatur.

Hæ arces in ea sitæ sunt.

REVALIA vrbs celebris cum arce munitissima ad sinũ maris Baltici condita est. Sede episcopali clara, sub rege Poloniæ à Suetiæ regis exercitu occupata. Monetam Reualienses propriam quadriangularem cudunt. Reualiensis episcopus arces aliquot sibi subiectas possidebat, in ciuitatem tamen nullum ius imperiúmve habebat, sed magister ordinis eam administrabat.

BADIS

BADIS castrũ & monasterium insigne, Suetenses inopinata irruptione ceperunt.

FEGVEVR arx olim episcopi Reualiensis à Moschorum duce expugnata nunc tenetur.

GERVENLANDIA DVCATVS.

GEruenlandia regio mari adiacens, septem milliaribus in longitudinem, sex in latitudinem patet. Frumenti & cæterarum rerum ex terra nascentium feracissima, vnam arcem, Vitenstein dictã principalem, cum pagis & curiis compluribus nobilium habebat. Eam sub rege Poloniæ, Suetensium rex occupauit, *Bialykamien*, id est albus lapis Polonis dicta. In his territoriis, siue prouinciis Liuoniæ prædictis, (quæ etiam pro ducatibus computari possunt,) variæ sunt multarum gentium linguæ: plebs ipsa Liuonica tribus ferè linguis, (nõ multum tamen à se differentibus) vtitur, ad Lituanicumq; idioma, magna ex parte alludunt, barbarie & moribus incultis rigent, Lituanis & Samogitis ob vicinitatem in omnibus persimiles sunt. Vestitu vili, eoque vt plurimum cinericio, ad Germanicum habitum alludenti vtuntur, ex tiliæ libro more Lituanorum, & Ruthenorum cothurnos, connectere solent, vel ex iumentorum pellibus vnà cum setis detractis. Fœmineus sexus in pagis more gentis Cyganorum, (vel vt quidam volunt Cyrenęorum) vagabundæ vestiuntur, vestitumque quibusdã globulis plumbi, cupreis & electuariis exornant, indusia quoque circa collum præcipuè annulis, intertexturisque variis ornant.

Geruerlandia.

Bialykamien arx.

Liuonum agrestiũ habitus, mores & idioma.

Mulierum Liuonicarũ habitus.

Crinibus passis, mulieres vetulæ, & virgines omnes promiscuè incedũt, capitis ornamẽta quædam

mirè, ex globulis quibusdam, confecta ad similitudinem vnionum, gemmarúmve, varij coloris gestant, omnes ferè matronæ sagæ & incantatrices peritissimæ sunt, artibus magicis supra modum deditæ. Pane vilissimo teterrimoque, & cibariis simplicissimis, vtuntur. Frumenta omnis generis trituranda excutiendaq; perinde, vt Lituani, primò in calidissima æsa, ad id præparata fumo exsiccant, & postea in horreo coràm extructo excutiunt. In ollis figulinæ artis nusquam, nisi in lebetibus æris, cupreísve, in pagis & ciuitatibus coquunt, neque tibi ollam argileam alquo, per totam Liuoniam videre licebit. Palëis quoque frumentorum, vulgus magna ex parte cum farina siliginis mixtis vtitur. Et quãuis miserrima gens fuerit, supra modũ tamẽ callida, fallax, tumida, atrox & ad cædes patrandas prompta. Polonos, Lituanos, Ruthenos, cæterosq; extraneos regi Poloniæ militantes, (extra Germanos, quorum sub iugo olim fuerunt,) maximè inuident, eosq; depredatores, & comestores bonorum, fundiq; sui calamitatem appellãt, & vbi possunt quoscunq; milites astu circumuentos, & incautos opprimunt. Vni vel duobus viris transitus difficilis est, præcipuè si apud agrestes pernoctauerint: nam somno oppressos, magna ex parte trucidant, suffocantque. Diuersoria in hac regione rara, vel penitus nulla reperiuntur, sed ad curias, & prædia viatores diuertere, ibidemq; pernoctare solẽt. Templa quoque rarissimè, nisi in arcibus visuntur.

Victus Liuonum miserrimus.

Peruersitas Liuonum.

Ciues & nobiles in Liuonia Germani.

Ciues & nobiles omnes Germani sunt, Germanisque moribus & idiomate vtuntur. Fœmineus sexus pallia rubea, communiter capiti imposita, ad talos cum frequentissimis plicis gerit. Vittas mulieres in capitibus non gerũt, sed contricatos crines, (quos maximè nutriũt, vel ad id præparatos adaptant, (tam matronæ, quàm virgines capiti circumnectunt. Pileos siue biretos quadrangulares, more cardinalium Romanorum gestant, quædam verò palliis cum velamine velut recto, frontẽ & caput tegente vtuntur.

Matronarũ Rigensium habitus.

Sponsa cùm ad matrimonium contrahendũ deducitur, corona argentea deaurata rotunda, & in altum prominente ornatur, omnisque virginalis, & matrimonarũ chorus, rubeis palliis vestitus, longo ordine præit, & sequitur. Ceruisia ex hordeo & lupulo passim in pagis & ciuitatibus gustu amarissima, maximè differenti à cæterarum regionum ceruisia vtuntur, attamen gens illa & omnes germani regionis incolæ hunc potum suauiter præbibunt.

Siliginis & frumenti Liuonia diues est, adeò vt exteræ quoque & transmarinæ nationes Lubeca, Amsterdam, Olandia, Dania, Suetiaque eius vbertatem præsentiant, ad quas grandi copia frumenta è Liuonia deportãtur. In Liuoniam quoq; ipsam ex Russiæ, Lituaniæque regionibus, fluuio Dwina & Nerua, siligo & id genus rerum plurimum aduehitur. Pecoribus & iumentis domesticis omnis generis abũdat, lacubus, fluuiisque piscosis, & siluis ad venationem idoneis referta, in quibus habet vrsos, alces, vulpes, linces, vros, castores, & omnis generis animalia. Lepores in Liuonia mutant æstate & hyeme colorem, perinde vt Heluetiis in alpibus, hyeme sunt albi, & æstate cinericei. Inferunt & Moschouitæ pelles vrsarum albas in Liuoniam, quas ex frigidissimis septentrionalibus regionibus, maximè ex Dwina prouincia Oceano glaciali adhærenti acquirunt. Reli-

Liuonia ferax.

Religio Liuonum.

giosissima gens Liuonica post susceptã Christianam fidem, Romanæ ecclesiæ ritum ardenter obseruans erat: Domini etiam ordinis Teutonici, & ipse magister, priusquam ad Lutheranismum desciscerent, religiosa pietate diligenter, ordinis regulas, in moribusq; & habitu cultum decentem obseruabant. Diuorum delubra, pietate & pulcritudine decorabant, quæ hodie à Lituanis penè demolita & desolata videntur, ditionemq; suam ab omni incursu Barbarorũ strenuè, summa cũ laude vindicabant, omnia denique illis ex voto, (benignitate diuina propter religionis antiquæ obseruantiã prosperante,) cedebant. & Moschum barbarum potentem hostem, à finibus suis sæpissimè summa cum victoria propulsabãt, prout ex his duobus præclaris & victoriosissimis certaminibus, (quos mihi explanare Lectori haud ingratum visum est,) apparebit.

Moschus Nenhuis in Liuonia oppugnat.

Anno quo lux diuina, humana in specie cælitus mũdo affulsit, 1381. magnus Moschouiæ dux Liuonienſium castrum Nenhuis, in prouincia Derptensi acerrimè oppugnabat, cui oppugnationi ipse sua persona, cum trecentis millibus armatorum intererat. Demùm post diutinam, & acrem obsidionẽ, crebrasque irruptiones, mœnia & propugnacula diruta, labefacere inceptabant: obsessi etiam defatigati, & viribus exhausti ac destituti, diuinæ propugnationi & tutelæ humiliter sese submittunt, ipse etiã præfectus arcis nocte Veneris diem antecedente, inter omnis ante aram quandam prostratus, flagranti corde orabat, vt Deus in tam deplorato rerum statu, sibi suisque auxiliari dignaretur, felicemque grauis obsidionis liberationẽ elargiretur. Sole igitur tenebras noctis

noctis discutiente cùm Moschouitæ certam iam arcis expugnationem sibi promitterent. Præfectus ille è precibus exurgit, arcuq; arrepto, telum cum cuspide præacuta, è fenestra propugnaculi in medium exercitum Moschouiticum iaculatur, & aspirante conatibus Deo, ipsius magni principis cor lethaliter transfigit: concurrunt trepidi Moschouitæ, dominumq; exanimatum leuant, & cum magno vlulatu deplorantes funestissimum casum domini sui, relictis castris, & arrepto cadauere, in Moschouiam fuga sibi consulentes, pergunt: Liuones ex arce sese proripientes, hostes fugientes persequuntur, per agrosq; siluas, & pagos, pallantes assecutos trucidant, obruũt, telisq; transfigunt, & videntes mirabili memorabiliq; modo numinis auspicio se liberatos, arcum ad perpetuam rei memoriam, Deo dicatum, in Basilica arcis ad altare appendunt, solebatque in eo templo cultus diuinus, magna pietate & deuotione peragi, sed postea anno Domini 1551. Lutheranis dogmatibus assumptis, nullum pristinæ pietatis vestigium conspiciebatur, arcus tamen prædictus immotus ad altare pendebat, donec tandem anno Domini 1558. Ioannes Basiliades modernus dux Moschouiæ eadem arce potitus, religionem quoque Lutheranam immutauit.

Insignis Victoria Moschorũ duce occiso.

Aliud celebre, & perpetua memoria dignum prælium Liuones contra Moschouiæ ducem gesserunt, anno 1500. sub ordinis Teutonici magistro, domino Woltero à Pletenburg, qui cum Moschis enim statuisset, publica ieiunia & solennes lętanias secundum morem ecclesiæ Romanæ instituit, nondum enim eos Lutherana doctrina à Catholicismo trans-

Wolter Pletenburg magister Liuoniæ.

uersos egerat, mensęq; Septembri paulò post natiuitatem Mariæ virginis, exercitum ordinat. Rigensis quoq; archiepiscopus mille Germanos equites adducit, Torpatensis episcopus quingentos, Reualiensis & Habselensis itidem quingẽtos simul, ita vt magister Liuonicus septem haberet, Germanorum equitum millia, & quinque millia Curionum pedestrium (qui populi sunt Liuoniæ, in regione quę Curlandia dicitur.) Hoc cum exercitu magister Russiam finitimam Moschouiæ ducis inuadit; arcesque & oppida quædam expugnat, inde ipso exaltationis sanctæ crucis die, ad vrbem Pscouiam exercitum ducit, iuxta hanc sita est planicies, duorum milliarium latitudine patens, in quam cùm deuenerunt, obuiam illis procedit Moschouiticus exercitus, centum millia armatorũ (in duodecim acies distributus) continens. His adiunctæ erant Tartarorum copiæ barbarie feroces, triginta millia conficientes. Itaque Teutonicus magister, vbi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo, aduersus tantum exercitum, barbarie & armis formidabilem procedendum videt, nihil de victoriæ spe remittens, aleam belli tentare cõstituit, & animis suorum confirmatis, classicum canere iussit, Moschouitæ quoq; ex aduerso signa tollere, patrioque more tubas inflare & timpanulas, (quas paruas singuli præfectorum habere solẽt) pulsare cœperunt: magister Teutonicus globos tormẽtarios seloppetariosque, velut crebra continuaque tonitrua in Tartaros cõtorquet. Tandẽ maximo clamore, strepitu, armorũq; corruscatione, vtrinq; cõcurrunt, Tartari & Moschouitæ arcubus, & sagittis assueti, densissimo creberrimoq; telorũ iactu, æthera obumbrant, quæ tamen emissa aërem irrita, verberabant. Tartari vbi prælio, à Teutonicis fusi fugatiq; fuere, duodecim Moschorum acies, centum millia conficientes, viribus animisq; recentes succedunt. Teutones cæsis Tartaris, vbi bellum recrudescere sentiunt, quanto maiorem hostium vim prioribus, succedere vident, tanto maioribus animis in hostes irruere, & velut ab integro noua virtute resumpta, ingenti cũ fremitu cæsim, punctimq; vergente iam ad vesperam die, confligunt. Ex Moschouitis qui supererant, fuga sibi consulentes in Pscouiam se recipiunt; prælio itaque dirempto, compertum est ex Teutonicis, vnum duntaxat desideratum, complures, sed non lethaliter vulneratos, Moschouitarum verò & Tartarorum, circiter centena millia trucidata, ita vt duobus milliaribus, cadauera passim prostrata iacerent, triginta verò millia fuga elapsi sunt. Memorabilis sanè triumphus, & sempiterna memoria dignum, singularis virtutis & fortitudinis exemplum. Hac igitur clade suorum Moschorum dux Basilius Iohannes, audiens, cum summo stupore admiratus, tantum exercitum, tam exigua, turpiter cæsum, & prostratum, ad quinquaginta annos cum Teutonicis inducias confestim firmauit, Ruthenique, & Moschouitæ, ab eo tempore, Teutonicos ferreos viros appellabant.

Liuones Moschouiã inuadunt.

Conflictus Moschorum cum Teutonicis acerrimus.

Moschouitarũ cẽtum millia, Teutonicorum dũtaxat vnus occubuit.

Moschus petit fœdus à Liuonibus.

Liuones ferrei vocati à Moschis.

Ex his igitur felicissimis, & victoriosissimis duobus, Liuonorum cum Moschouitis prælijs, (quamuis multa varij euentus prælia, inter eos vtrinque eueniebant) apparet, quod Liuonienses, ordoq; Teutonicus, priusquam à Catholicismo desciscerent, manu diuina, contra quos suis incursus hostium pro-

pugnabantur, omnibusque rebus ex terra nascentibus, & cæteris fortunis, copiosè affluebant. Vbi verò Lutherana dogmata amplecti anno Domini 1527. cœperunt, pietatem & religionem auitam, cũ omnibus virtutibus vnà excusserunt. Postea variis & diuersis plagis, omnes passim grauissimè afflicti sunt, adeò vt vniuersa elemẽta in vindictã eorum conspirasse viderentur. Terra enim regionis quæ omnium frugũ & fructuũ leguminumq; feracissima erat, victum (nihil proferens) illis denegabat. Aqua etiam lacusq; olim piscosi nullos pisces dabant, Aër quõdam saluberrimus hominum saluti à Deo concessus, in venenum & contagium conuersus erat. Igne etiam & ferro Moschouitæ vniuersam Derptensem prouinciam, crudeliter vastabãt. Sed Teutonici fratres nobiles, & ciues, huius afflictionis culpam, & numinis offensam, Catholicis imputabant.

DE INTESTINO ET CIVILI LIuonensium bello, & caussa expeditionis regis Poloniæ, contra magistrum Liuonensem.

MAgister Liuoniæ, cum omnibus Teutonici ordinis fratribus & equestri ordine, post Lutheranismum susceptum archiepiscopo Rigensi collegæ suo, ob non susceptum dogma Lutheri aduersabatur. Hic autem archiepiscopus ex illustri prosapia, Marchionum Brandemburgensium genus ducebat, frater Alberti Marchionis Brandemburgensis, olim magistri Teutonici ordinis, & postea ducis in Prussia, neposq; regis Poloniæ. Ma-

Magister itaq; comitijs generalibus celebratis, concluſit & constituit archiepiscopum bello appetendum esse, in quod totus ordo & nobiles cum omnium suffragijs consenserunt. Episcopus quoque Torpatensis Hermanus, vt erat inconstantis animi, facilè ad oppugnandum archiepiscopum indutus est. Reualiensis etiam & Habselensis episcopi, magistrum metuentes, facilè in castra eius concesserunt, & ita vniuersa Liuonia in Rigensem archiepiscopum, hostiliter cõspirauit. Anno itaq; 1557. paulò post natalem diui Ioannis Baptistæ, ordinis Teutonici magister, Wilhelmus Furstemberg, exercitum cum commẽdatoribus coscribit, tres quoq; episcopi prædicti, copias suas eidem coniungunt. Sicq; instructissimo exercitu, & magno cum apparatu, Rigensem prouinciam hostiliter inuadunt. Archiepiscopus Rigensis tametsi defensionem meditaretur, & magnam nobilium partem sibi adiunctam haberet, infirmior tamen erat, & viribus impar, vt tanti exercitus vim sustinere & propulsare neutiquam posset. In arcem itaq; Cokenhusen natura loci munitissimam, in edita rupe cõstructam, cum suis profugit. Magisterverò eum cum vniuerso exercitu ibidem, graui obsidione oppugnabat, tormentis machinisque bellicis muros fatigans. Sed neque tormentorum crebra tonitrua, neq; validos hostium impetus muros labefacere poterant, sola fames & inedia obsessos ad deditionem compulit, octauo itaq; obsidionis die portis adapertis archiepiscopo iubente, hostibus sese dederunt. Ordinis Teutonici magister archiepiscopum, nõ vt vnius prouinciæ & vrbis Rigensis consortem, non vt claræ

prosapiæ Brandenburgensium Marchionum principem, non vt prę̃sulem & primatem, sed veluti barbarum hostem tractat, contumelijs & probris ludificatur, omnibusque oppidis, arcibus & pagis mulctatum, carceri mancipauit, totoque anno vinctum detinuit.

Rex Polonię Sigismundus Augustus, vbi id ordinis marschalco, (quem magister bonis omnibus spoliatum, eò quòd bellum contra archiepiscopum suscipiendum dissuadebat expulerat) resciisset, tanti principis nepotis suis, seruilem captiuitatem ægrè tulit, reiq; indignitate commotus, episcopum quendam in Liuoniam ad magistrum ordinis, hac in caussa destinauit. Qui cum multis rationibus, deliberando archiepiscopo nomine regis, coram magistro ageret, magister neque exarcerandi archiepiscopi, nec componendorum dissidiorum spem præbuit. Itaque legatus re infecta ad regem reuertitur. Rex Poloniæ, vt operam suam irritam cognouit, ordinis magistro, omnibusque eius auxiliatijs, bellum denunciat, quo nuncio accepto, confestim magister ingentem thesaurum, in Germaniam ad exercitum ibidem conscribendum, mittit, adductaque sunt aliquot millia equitum, & sex vexilla peditum Germanorum in Liuoniam. Rex Poloniæ haud diu moram trahens, infestis signis in Liuoniam contendit, equitum simul & peditum armatorum virorumque electissimorum, centena millia, cum tormentis, amplissimaq; bellica supellectili procedũt, ordinis magister vniuersos quos habebat præfectos & commendatores regi opponit, episcopi quoque tres, Derptensis, Reualiensis, & Habselensis, copias suas

Legatus regis Poloniæ in Liuoniã.

Caussa belli Liuonici.

Rex Polon. armata manu in Liuoniam cõtendit.

suas eidem coniungunt. Itaq; ordinis magister tunc temporis habebat Germanorum equitum septem millia & sex peditum vexilla, bene armati. Præterea enim agrestium aliquot millia Liuonorum, sed magister Polonorum validissima lectissimaque manu conspecta, victoriæ spem prorsus abiecit, legatumque ad regem qui præsens in armis erat otius destinauit, prælium deprecando, & pacem humillimè efflagitando. Rex clementer & benignè respondit, nisi viduas, pupillos, orphanos, & inopes, innocentesque colonos misereretur, nullo pactó pacem se cum magistro initurum, sed vt magister ordinis agnoscat, (inquit) me sanguinis aut belli sitientem non esse, ipse si pacem expetit, huc ad nos intra octodecim horarum spacium accedat, principemq; & archiepiscopum Rigensem vnà adducat, dein pacis & concordiæ rationem inibimus. Teutonicus magister hoc responso accepto, confestim archiepiscopum qui non longè aberat, custodia liberari, & è vinculis educi iubet: ambo itaque trecenti equitibus inermibus stipati, ad regem veniunt. Ibi cùm vltro citroque de pace ageretur, tandem concluditur, vt magister ordinis archiepiscopũ in pristinum statum restitueret, omneque damnum & detrimentum eidem illatum resarciret. Præterea regi Poloniæ stipendia in milites erogata persolueret. Graues hæ erant ordini Teutonico pacis conditiones, attamen magister metu grauioris periculi vrgente consensit, & secundum pacta omnia præstitit. Postea archiepiscopo prædicto, è viuis decedente, rex omnes arces ciuitatesque, pagos, & curias, ad archiepiscopatum pertinentes, iure propinquitatis

Magister Liuoniæ pacem efflagitat.

Pax sub cõditionibus magistro Liuoniæ conceditur.

in Liuonia occupauit. Magistro quoq; prædicto, à Moschouitis in arce Felin per proditionem militum suorũ capto, & in Moschouia in vinculis mortuo, tota Liuonia cum suis prouincijs in ius regis Poloniæ cessit. Atq; hic vltimus Magister ordinis, Wilhelmus Furstemberg, magisterium Teutonicorumq; fratrum Crucigerorum in Liuonia, ordinem terminauit, absoluit, finemq; extremum imposuit.

TABVLA ET SVMMA ARCIVM CASTRORVMQVE LIVONIÆ CVIVS DOMINIO SINgulæ subsint, exceptis curijs, prædijs, & præfecturis.

Regis Poloniæ arces in Liuonia & ciuitates:

1. Dunamunt.
2. Blokhaus.
3. Riga.
4. Katxhaus.
5. Helmet.
6. Rugen.
7. Parnaua.
8. Ermes.
9. Burtnich.
10. Wolmer.
11. Aries.
12. Segenuol.
13. Neuenhul.
14. Kircholm.
15. Vxul.
16. Lenuard.
17. Aschерad.
18. Kokenhaus.
19. Zelborg.
20. Kreczborg.
21. Dunenborg.
22. Rodenpeus.
23. NitaW.
24. Sesuegen.
25. Georgenborg.
26. LeWborg.
27. Sossiten.
28. Ludsen.
29. Luden.
30. Landon.
31. Schanczborg.
32. Filac vel Marienhausen.
33. Rodenpeus.
34. Serben.
35. Konnenburg.
36. Smilten.
37. Lemzel.
38. Treiden.
39. Cremon.
40. Sancel.
41. Dalen.
42. Wansel.
43. Salis.
44. Nochrosen.
45. Rossenbek.
46. Maian.
47. Pierkiel.
48. Roppe.
49. Nabbe.
50. Erle.
51. Bersen.

Ducis Curlandiæ feudalis & vassalli regis Poloniæ arces:

1. Seleborg
2. Bassenburg.
3. Doblin.
4. MittaW.
5. NeWburg.
6. Frauenburg.
7. Schroden.
8. Hasenpot.
9. Durbin.
10. Hrubrin.
11. Alfangen.
12. Winda.
13. Goldingen.
14. Sabel.
15. CandaW.
16. Tuczkum.

Ducis Moschouiæ castra:

1. Derp.
2. FalkenaW.
3. Werpech.
4. Kirempe.
5. Ollentorn.
6. NeWhaus.
7. Odenpel.
8. Holsen.
9. Kanelicht.
10. Raden.
11. Lais.
12. Operpal.
13. Felin.
14. Tarnect.
15. Talckofen.
16. Fegfeor.
17. Nerua.
18. IWangorod.
19. NeWburg.
20. Tolsburg.
21. Wessenberg.
22. Bercholm.
23. Ass.
24. Est.
25. Cunctal.

Regi Swecię arces.	1. Reuel.	Magni fratris regis Daniæ arces.	1. Arnsborg.
	2. Wittenstein.		2. Sonemburg.
	3. Badis.		3. Lode.
	4. Hapsel.		4. Pilten.
	5. Leal.		5. Edualen.
	6. Ficzkel.		6. Hasempor.
	7. Verder.		7. Angermude.
	8. Fœlix.		8. Dendangen.
			9. Newdaus.
			10. Samboten.

OMNIVM REGIONVM MOSCHOVIÆ MONARCHÆ SVBIECTARVM, TARTARORVMQVE

campestrium, arcium, ciuitatum præcipuarum, morum deniq; gentis, religionis, & consuetudinis vitæ, sufficiens, & vera descriptio.

Adiuncta præterea gesta præcipua, tyrannisque ingens moderni Monarchæ Moschouiæ, Ioannis Basiliadis, nuper perpetrata, vera fide descripta.

CAN-

CANDIDO LECTORI ALEXANder Guagninus Veronensis, peditum in arce Vitebska finitima Moschouiæ præfectus. S. D.

MOschouiam terminosque eius quibus intercluſa ſit, candide lector deſcripturus, primùm vnde nomen traxerit, operæpretium mihi dicendum eſſe cenſeo. Hæc autem eſt, quædam regio in mediterraneo Ruſſiæ, (vt dicitur) Albæ, ad Septentrionem, Orientemque porrecta, à qua cæteræ omnes Ruſſiæ circumiacentes regiones, (quamuis varijs & diuerſis nominibus appellatæ,) Moſchouiæ nomen ſortiuntur, incolæque earundem vulgò Moſchouitæ appellantur, & ipſe Monarcha Ruſſiæ regionum Moſchouiæ, magnus Dux nuncupatur. Porrò parua & obſcura initio gens Ruſſorum fuerunt, Moſchouiæ, ſed iam nunc acceſſione plurimorum principatuum Ruſſiæ, partim ſucceſſionibus iuſtis adiunctorum, partim vi vel fraude ſubactorum, præterea finitimorum gentium, regionibus expugnatis, & occupatis, maxima incrementa cepit, adeò vt pro imperio ampliſſimo computari poſſit. Hic itaque, qua potuimus diligentia, Moſchouiæ imperium, cum ſuis regionibus, (doctorum virorum coſmographorumque, & peregrinorum diuerſorum lucubrationibus adhibitis, propriaque experientia, & præſentia noſtra magnam partem rerum aſſecuti,) ducatibus, prouincijs, caſtris, oppidis, & vrbibus præcipuis, fontibus, lacubus, fluminibusque, quibus hæc regio vbique ſcatet, mores denique, religionem, habitum, & vitæ conſuetudinem, titulique

ipsius principis quo gaudet, normam & rationem descripsimus. Gesta etiam præcipua, siue potius tyrannidem hisce temporibus, ab eodem principe, paruo temporis interuallo editam, & crudeliter perpetratam, bona fide subiecimus. Tartarorum præterea Campestrium, in Hordas, (vt dicitur) siue regiones quasdam, diuisorum situm, mores, & viuendi modum exaranimus. Tu interim Lector beneuole hanc nostram qualemcunque operam, boni consule, nosque redama & vale.

ARMA MAGNI DVCIS MOSCHOVIÆ.

DE MOSCHOVIA REGIONE, VRbeq; eiusdem nominis præcipua.

Caput I.

Moschouia denominatio.

MoskWa fluuius.

MOSCHOVIA, *MoskWa vulgò dicta*, vrbs amplissima, caput & metropolis totius Russiæ albæ, Magno Moschorum Duci subiectæ, vnà cùm regione, siue ducatu, à fluuio gentili MoskWa, dicto, præterlabente, nomen sortita est. Hic autem fluuius in TWerensi regione, iuxta oppidum Olesco dictum, fontes suos habet, indeque octuaginta, verst (quorum quinque in Polonico miliari clauduntur,) emensis, ad Moschouiam ciuitatem decurrit, qua præterlapsa receptis aliquot fluuijs Orientem versus fertur, in regioneq; Rezanensi, Occæ fluuio commiscetur.

Occa fluui.

Ciui-

Moschouia ciuitas.

Ciuitas Moschouia Orientem versus, multum porrecta est, tota lignea, satisque ampla, quæ procul spectãtibus amplior, quam re ipsa sit, apparet. Nam horti areæq; in qualibet domo, & plateæ spaciosæ, magnã ciuitati amplitudinem, dilatationemq; præbent. Insuper omnium opificum, igne vtentium, extra ciuitatem longo ordine, ædes protensæ amplas plateas, (inter quas sunt prata, & agri) habentes. Hocq; modo ciuitas ingens, & supra modum ampla videtur. Deniq; transfluuium, Basilius pater moderni principis, pro satellitibus suis, cæterisq; extraneis, Polonis videlicet, Germanis & Lituanis, (qui à natura Bacchum sequuntur) oppidum NeleWki dictum, quod cognomen ab infundendis poculis habet, extruxit. Illic verò omnibus extraneis militibus, & aduenis satellitibusque principis, inebriandi vario potus genere, facultas concessa est, quod Moschouitis graui sub pœna prohibetur. Exceptis aliquot diebus in anno, videlicet tempore natiuitatis, & resurrectionis Dominicę, pro festo Pẽtecostes, & in quibusdã solennioribus festis diuorum, præcipuè verò Nicolai, quem diuino ferè cultu prosequuntur, & beatæ virginis Mariæ, Petri & Ioannis festis, interea verò velut vinculis emissi, Bacchum, & non festũ illius diui (cuius diem tũc temporis celebrant) aduenisse gratulantur, & sacris nondũ peractis, velut sues vario potus genere obruti, temulenti ebrijq; idemtidem vociferantes, seq; velut obsessi, mutuò cædentes, & contumelijs varijs afficientes vagantur. Si autem huic genti quotidie, inebriandi facultas concessa esset, sese mutuis cædibus funditus exterminarent. Ebrij etenim mentem, rationemque

Moschouitis inebriari prohibitum

Moschouita certa habẽt tempora inebriandi.

velut bruta animalia, prorsus amittunt, & in se vicissim cultellis, pugionibus, & id genus fraudulentis telis, sæuiunt. Sed ad rem redeo. Huius vrbis prædictæ tam vasta magnitudo facit, vt nullo certo termino, muro fossa, propugnaculisve muniri possit, plateæ tamen, quibusdam in locis, trabibus transuersim positis obstruuntur; adhibitisque custodibus ad primam noctis facem, ita obstruantur, vt nemini aditus in eam pateat. Tamque ad modum lutosa & cœnosa est, vt in plateis pontes passim, necessariò extructi sint, nunc tamen vallo de terra, vt audiui, circumducitur.

Arces muratæ duæ amplissimæ, insimul ciuitatis formam referentes; quarum vna Kitaigorod, altera Bolsigorod, gentiliter appellatur, quas ab vna parte Moskwa fluuius, ab altera Neglinna, in qua molendina plurima sunt, præterfluit: ecclesiæ diuorum lapideæ, & ligneæ, ædesq; nobilium & magnatum, in ea frequentes sunt. Vltra Neglin, nam verò, in agro *Nerbat* dicto, ab arce ad sagittæ iactū, modernus princeps Ioannes Basiliades, curiam amplissimam anno Domini 1565. extruxit, quæ *Oprzcżna*, id est, seorsiua habitatio dicitur, vbi ipse princeps cum satellitum suorum, virorum ex robustissimis delectorū, numerosa manu moratur, quos ille ad tutelam sui, perinde vt Turca Ianiczaros fouet, vigintique ferè millia superant; ex hijs maior pars sclopetariorum, cum bombardis longioribus; reliqui cum frameis arcubusque & lanceis loricis armati incedunt. Nuperque eos Modernus princeps adinuenit, pro explenda sua tyrannide, prout infe-

Cæterùm vrbem ipsam Moskwam, cum vtraque arce Tartari Præcopenses, funditus exusserunt, anno Domini 1571. mense Maio ipso die ascensionis Dominicæ, vbi ingens & innumerabilis multitudo populi, in vrbe & arce flamma fumoque suffocati, & combusta est, paucis fuga elapsis, & vna duntaxat arx Kitaigorod vix defensa est; magnamque captiuitatem Tartari inde abduxerunt. Sed ad rem redeo. *Moschouia à Tartaris exusta.*

Omnes merces, quæcunque ab extraneis in Moschouiam afferuntur, continuo apud telonij præfectos profiteri, ac indicare coguntur, quæ hora constituta conspiciuntur, & æstimantur, æstimatas verò nemo nec emere, nec vendere audet, nisi prius fuerint magno Duci ostensæ. Quò fit vt mercatores interdum diutius quàm conuenit, cùm suo damno, detineantur. Quando verò ex Lituania in Moschouiam legati, à rege Poloniæ proficiscuntur, tum omnes cuiuscunque nationis mercatores, in legatorum fidem, & clientelam suscepti, in Moschouiam sine telonijs ire possunt, & victum sufficientem, ex thesauro magni Moschouiæ Ducis habent. Hæ autem præcipuæ sunt merces, quæ ex Lituania, Russia, & Polonia, & à cæterarum regionum mercatoribus in Moschouiam importãtur, pannum omnis generis, atque coloris; item sericum, vestesque sericeas, & auro siue argento intertextas, lapides pretiosi, aurum filatum, gemmæ, & id genus alia metalla pretiosa. Insuper, piper, crocus, zingiber & cætera. Interdumque viles quasdam res suo tempore illuc important, ex quibus aliquando lucrum affe-

Mercatores, modus & mercandi in Moschouia.

Merces quales in Moschouiam importãtur.

tunt. Sæpe etiam euenit vt rei alicuius desiderio, o-

mnes Moschouitæ teneantur, quam qui mercatorum primus attulerit, plus iusto in ea lucratur. Deinc̃ plures mercatores earundem rerum, magnam copiam aduexerint, tanta nonnunquam vilitas earum cõsequitur, vt is qui res suas primò magno vendiderat, easdem rursus vilescente pretio redimat, magnoq; suo commodo in patriam reducat. Merces verò quæ inde asportantur sunt pelles variorum animalium diuersæ, cera quoque & id genus mercimoniorum. In Tartariam autem sellę equorum, frena, vestes, corrigiã, arma autem & ferrum non nisi furtim apportantur, cultellos tamen, secures, acus, specula, marsupia, & id genus alia ducere licitum est. Hæc autem gens Moschouitica, circa mercimonia fallacissimè versãtur, præcipuè verò cum extraneis; nam dum aliquid vendunt, rem minoris constantem dimidio pretio (quod & Lituanis nunc peculiare est) in fraudem emptoris auctam æstimant, & quamprimum iurare incipiunt, aut obtestari, scias illico dolum ibi latere, animo enim fallendi ac decipiendi iurant. Sed externi quoq; in rerum permutatione, hoc maximè obseruant, vt dum Moschi pelles alioqui vili pretio cõstantes, plurimi æstimant; illi vicissim illorum exemplo merces suas parui constantes, carius indicant, sicq; ars deluditur arte. Pelium magna est apud eos diuersitas; Zebellinorum enim nigredo, longitudo & densitas pilorum, maturitatem significat. Hęq; pretium augent. In Vstigensi, aut & Diwnensi, Petzoræq; prouincijs, præstantiores reperiuntur. Madauricæ pelles, ex diuersis partibus afferuntur. Ex Swetiæ verò regno optimæ aduehuntur; circa Moschouiam verò maior est eorum

eorum copia. Hermellinorum etiam pelliculæ, ex pluribus pariter locis inuersæ, in fasciculis afferuntur; habentq; signa quædam circa caput & caudam, ex quibus cognoscuntur, an congruo, vel incõgruo tempore sint captæ. Castorum quoque, & vulpium nigrarum pelles, in magno pretio sunt.

Prouincia ipsa Moschouitica, nec lata nimis nec fertilis est, cuius fertilitati ager vbiq; arenosus plurimũ obest. Accidit ad hæc immoderata asperaq; nimis, aëris intemperies, nam ob hyemis rigorem, sata ad maturitatem peruenire non possunt, etenim tam intensa ibi nõnunquam sunt frigora, vt quemadmodum apud nos æstatis tempore, præ nimio sõlis ardore, sic ibi præ frigore asperrimo, terra in hiatum disrumpatur. Insuper etiam aqua in aëre effusa, sputumq; ex ore proiectum, antequã terram attingat cõgelatur; rami etiam fructiferarũ arborum rigore hyemis, aliquando prorsus pereunt. Homines quoq; gelu cõcreti, mortui sub dio, in vehiculis frequenter reperiuntur: quin & vrsi etiam syluestres, fame stimulati, relictis syluis per vicinas villas passim discurrunt, & in domos colonorum irruunt, quorum impetum atq; vim cùm rustica turba fugit, frigore aspero foris miserè perit. Atq; tanto nimio frigori, æstus quoq; torridus quãdoq; respõdet, vt aliquando stagna & flumina æstu, nimioq; ardore solis, prorsus exsiccarentur. Prata quoq; & cætera frumenta veluti flamma aliquando exuruntur. Hic autem nimius æstus solis, per septem dies tantùm, non plus durare solet. Hæc prouincia melle ferisq; caret, leporibus tantùm exceptis, quibus supra modũ abundat. Frumento oleribusq; communibus affluit,

Moschouia ipsa sterilis & frigida.

ceraſa in tota regione nunquam reperiũtur, aliarũ arborum quamuis fructus habeant, verũ inſuaues. Huius regionis cælum adeò ſalubre eſt, vt ibi vltra Tanais fontes, præſertim Septentrionem, ac etiam Orientem, magna ex parte verſus, nulla peſtis vnquam ſæuierit; habent tamen interdum, inteſtinorum, & capitis omniumq; membrorũ morbũ quendam, peſti haud diſſimilem, quẽ nos febrim calidam ſiue acutam appellamus; eorum verò idiomate hic morbus, *Ognyowa*, quaſi ignitus dicitur, quòd homines velut ignis calefaciat, vt quemadmodũ vicina domo igne ardente, & alia domus ſibi adhærẽs, eodem igne inflammatur: ſic quoq; hoc morbo infecti velut peſte, cęteros niſi caueantur inficiunt, hoc morbo qui corripiuntur pauci ſani euadunt. Hac gens Moſchouitica, cęteris omnibus Ruthenis, aſtutior, & fallacior eſt. Si autem cum externis aliquando cõmercia habent, tunc ſe non Moſchouitas quò maiorem fidem obtineant, ſed aduenas, *id eſt*, Nouogardenſes, vel Pleſcouienſes eſſe ſimulant.

Moſchouia peſtilentia expers.

Moneta in toto Moſchorum ducis imperio, eſt quadruplex, Moſchouitica, Nouogardenſis, Twerenſis, & Pleskouienſis. Moſchouiticus nũmus non rotũdus eſt, ſed oblongus & ouali quodã modo formę ſimilis, idiomate eorum *Dzienga* dicitur. Duplici autem modo cuduntur; primus in vna parte hominis nudi equo inſidentis, & draconem haſta feriẽtis, imaginem habet, in altera verò parte nomen magni Ducis exprimitur. Secundus ex vtraq; parte literis, nomẽ magni Ducis & titulum exprimẽtibus inſignitur. Horum autẽ ſexaginta, vnũ ducatũ ſiue aureum Vngaricalem valent. Nouogrodẽſis nummus

Moneta Moſchouitica.

mus in vna parte principis, in ſolio ſedentis imaginẽ, hominisque ex aduerſo ſeſe inclinantis, habet; ex altera parte ſcriptura inſignitur, vocaturque *Newogrodka*, & Moſchouiticum nummum valore in duplo ſuperat. Twerenſis nummus vtrinque ſcripturam habet, valore Moſchouiticum refert. Pſkouiẽſis in vna parte caput bouis coronatum, in altera verò ſcripturam habet. Eſt quoque in Moſchouia cuprea ſiue ærea moneta, quæ propter pauperes tãtùm cuditur, & *Pula* vulgò vocatur, horum 40. *dengam* Moſchouiticam efficiunt. Omnis autem moneta Moſchouitica, ex puro & bono argento cuditur, & omnes ferè aurifabri in Moſchouia, Nouogradia, Tweria, & Pſkouia nummos cudunt, & quicunque affert maſſas argenteas, puras, nummos ab aurifabro tranſmutare volens, tum nummi & argentũ appenduntur, atque æqua lance librantur: mercedem autem laboris exiguam aurifabri reportant. Porrò in omni imperio Moſchi, aurum & argẽtum nuſquam reperitur, niſi adductitio, & importatorio; omnes earum regionum incolæ, & ipſe princeps vtuntur. Quã de re Magnus Dux, aurum & argentum, graui ſub pœna, ex ſuis regionibus efferre prohibet, atque ideo permutationem rerum facere, & alia, vt pelles, quibus abundant, aut quid aliud eiuſmodi pro alijs rebus dare iubet, quo argentum & aurum in ſuis regionibus obtineat, atque ideo hunc principem auri & argenti ditiſſimum eſſe dicunt. Vix autem cẽtum anni elapſi ſunt, cùm Moſchouitæ moneta argentea, præſertim apud illos, cuſa vtuntur. Primùm etenim cùm argẽtum ab externis ad eos importari cœptum eſt, tum fundebantur portiunculæ oblongæ argen-

Moneta Nouogrodenſium.

Moneta Twerenſis. Pſkouenſis moneta.

Pula.

Argenti & auri Moſcho uia ſterilis.

Argẽti Moſchus dines.

teæ ſine imagine & ſcriptura, valoris vnius Rubli: Rubl autem Dengas Moſchouiticas 100. totidemque groſſos Polonicales habet. Ante vſum verò monetæ aſpreolorum aliorumque animalium pellibus vtebantur, ijsque vitæ neceſſaria ceu pecunia comparabantur.

Monetam quoque auream Moſchorum princeps non cudit, ſed Hungaricis aureis & Rhenanis adiectitijs abundat.

Moſchouia quæ eſt caput & metropolis cæterarum regionum & ciuitatum Moſchouiæ Duci ſubiectarum, loco principali deſcripta, reliquas prouincias & ciuitates præcipuas, in Moſchi imperio ſitas deſcribere contendemus, ordine primùm Orientem verſus ſeruato, tandem ad Meridiem, & Occidentem, atque Septentrionem procedendo in Orientem æquinoctialem deueniemus.

DVCATVS VOLODIMIRIÆ.

VOlodimiria ciuitas magna, cum ſuo ducatu, cuius titulum princeps Moſchouiæ ſibi vendicat, primùm occurrit, quæ caſtrum ligneum ſibi coniunctum habet, diſtatque 36. milliaribus Polonicis à Moſchouia, Orientem verſus. Huius prouinciæ ager adeò fertilis eſt, vt ex vno tritici modio, ſæpe 20. modij, interdum 25. proueniant. Hæc Volodimiria à tempore Volodimiri, Monarchæ totius Ruſſiæ qui eam condidit, & à nomine ſuo appellauit, totius Ruſſiæ metropolis erat, ad Ioannem vſque Danielis filium, magnum Moſchouiæ ducem, qui inde ſedem in Moſchouiam tranſtulit.

DVCA-

DVCATVS NOVOGRODIÆ INFERIORIS.

A Volodimiria in Orientem vlterius procedendo, Nouogrodiæ inferioris ducatus occurrit, qui Volodimiriæ fertilitate, rerumque copia ex altera naſcentium æquatur. In hoc ducatu eſt ciuitas ampla & lignea, Nouogradia inferior dicta, à qua & regio ipſa nomen accepit. Sita autem eſt ad Volgæ & Occæ fluuiorum celeberrimorum confluxum: Caſtrum quoque huic ciuitati adhæret, quod Baſilius dux Moſchouiæ ex lapide in ſcopulo conſtruxit, diſtat verò Nouogrodia inferior à Moſchouia 100. milliaribus Polonicis.

Hæc autem ciuitas terminũ religionis Chriſtianæ facit. Nam licèt princeps Moſchouiæ vltra Nouogrodiam hanc, caſtrum quod Sura à fluuio eiuſdẽ nominis appellatur, habeat, tamen intermixtæ ſunt gentes quæ Cæremiſſi appellantur. Hi autem non Chriſtianum ſed Mahometi dogma amplectuntur. Sunt ibi quoq; aliæ gentes, Mordwa dictæ, Cęremiſſis intermixtæ. Huius ducatus Nouogrodiæ inferioris princeps Moſchouiæ titulo vtitur.

Terminus religionis Chriſtianæ.

Cæremiſſi.

Mahometani.

Mordwa populi.

DVCATVS RHEZANENSIS.

A Nouogrodiæ inferioris ducatu, ad Occidentem nonnihil reflectendo, Rhezam prouincia inter Occam & Tanaim fluuios ſita eſt. Hic Principatus cæteris omnibus Moſchouiæ prouincijs, fertilior eſt, in quo ſingula grana frumenti binas pluresve ſpicas proferre ſolent, quarum culmi tam densè accreſcunt, vt nec equi facilè tranſire, nec coturnices inde euolare poſſint, mellis, piſcium, auium, fera-

rumque ibi magna copia, ac arborum fructus, longe Moschouiæ fructibus nobiliores. Gens audacissima bellicosissimaque.

Occa fluuius.

Ciuitas lignea in hac prouincia eiusdem nominis, ad ripam Occæ fluuij sita est, & non procul ab hac ciuitate Occa fluuius insulam facit, quæ *Strup* dicitur.

Strup insula.

magnus Ducatus olim circa hanc insulam erat, cuius princeps nemini obtemperabat, sed nunc hic ducatus funditus extinctus est. Hic etiam ducatus Rhezanensis titulum magni Moschouiæ Ducis angebat.

Rhezan ciuitas.

Corsira.

CORSIRA in ripa Occæ fluminis, oppidum ligneum à Rhezan 28. milliarib. distans, habebat olim dominum sui iuris, sed nunc in ditionem magni Moschouiæ Ducis redactum est.

Tulla arx & fluuius.

TVLLA oppidum ligneum, 40. ferè milliaribus Polonicis à Rhezã distat, à Moschouia verò in Meridiem 36. estque hoc vltimum oppidum ad Campestria deserta, in quo Basilius Ioannis, castrum ex lapide constructum, quod fluuius eiusdem nominis præterlabitur. Vppa verò alius fluuius ab Ortu castrum alluit, Tullæque fluuio iunctus Occæ, supra Vorotinã 20. ferè milliaribus commiscetur. Hoc autem oppidum Tulla cum suo territorio ad Basilij vsque tempora, patris moderni ducis Moschouiæ, Ioannis Baliadis proprium principem hæreditarium habebat.

Vppa fluuius.

Tulla olim ducatus.

ODOIOW castrum ad Tullæ & Vppæ fluuiorum ostia, vbi in Occam exonerantur, situ est. Tardem à castro prædicto, nonnihil in Meridiem rectendo Mszenek locus palustrosus est, in quo olim arx eiusdem nominis (cuius etiam nunc ruinæ apparent) condita erat. Circa hanc arcem quidam homines in tuguriolis habitant, qui à Tartaris infestari, in illam

Mszenek olim arx.

illam aream palustrosam quasi ad asylum confugere solent. Distat autem Mszenek à Moschouia 60. miliaribus Polonicis, à fontibus verò Occæ fluuij, ad partem sinistram reflectendo 18. milliaribus. Hæcq; oppida Occa fluuius præterlabitur: Vorotiniã, Collugam, Cerpachum, Corsiram, Columnam, Rhezaniam, Cazigorodiam, Muriniamque. Et inde cursu ad Septentrionem nonnihil reflexo, infra Nouogrodiam inferiorem in Volgam exoneratur. Syluis vtrinq; ripæ huius fluminis claudũtur, quæ aspreolis, hermellis, castoribusq; & melle plurimùm abundat.

Ciuitates ad Occam conditæ.

Campi etiam omnes quos præterfluit irrigatione eius, fertilissimi sunt. Piscium copiam qui cæteris fluminibus Moschouiæ præferuntur, habet. Oriuntur quoque ex huius Occæ fontibus alij duo fluuij, Sem videlicet & Sosna; Semque rectà in Meridiem, & nonnihil tandem in Orientem cursum dirigens, Seuerensem ducatum præterfluit; oppidumque Potiuolo alluens in Disnam fluuiũ illabitur, iuxta Czernigow oppidum. Desna autem infra Kijouiam in Borysthenem exoneratur. Porrò Sosna cursu in Orientem directo per Campestria Tartarorum in Tanaim fluuium defertur.

Sem & Sosna fluuij.

COLVGA oppidum, & castrũ ligneum, ad Occam fluuium 36. milliaribus Polonicis à Moschouia abest, ibi quotannis præsidia contra incursiones Tartarorum statuere solet magnus Dux Moschouiæ.

VOROTINENSIS DVCATVS.

DVcatus Vorotinensis, tribus à Colluga mil. cum ciuitate & castro eiusdem nominis ad Occam fluuium sito, distat.

DE TANAIS FLVVII fontibus.

TAnais fluuij fontes (qui Europam ab Asia diſterminat) quidam ſub Riphæis montibus falſa opinione ducti ponebant. Hic autem in Rhezania Ruſſiæ regione magno Moſchouiæ Duci ſubiecta, oritur ex lacu quodã Iwano Wo Iezioro gentili lingua dicto, qui in latitudinem ad 500. Werſt ſecundum diſtantias Moſchouiticas, quæ 100. milliaria Polonica efficiunt, extenditur. Ex hoc autem lacu alius fluuius magnus, minor tamen Tanai emergit, *Schad* dictus, qui in Occidentem curſu directo, Huppaque fluuio hauſto, Occam influit. Tanais autem quam Moſchi *Don* appellant, ex eodem lacu ortus, rectà in Orientem fluit, atque inter Cazan & Aſtrahan Tartarorum regna (quæ Moſchorum dux, anno Domini 1554. ſuæ ditioni ſubegit) ſex vel ſeptem milliaribus à Volga fluuio, curſu nonnihil Septentrionem verſus incuruato, labitur; demum in Meridiem curſu ſinuoſo reflectens, in paludes Mæotidis exoneratur, ad cuius oſtia Azoph ciuitas Turcis tributaria ſita eſt. Azoph autem quinque dierum nauigatione abeſt à mo Tauricæ, quæ nunc *Præcop* vocatur, diſtat. In ea multarum ex diuerſis partibus orbis gentium, celeberrimum eſt emporium. In his autem partibus præcipuè circa paludes Mæotidis, non milliaria, ſed dierum itinera obſeruantur.

Fontes Tanais Moſchouitis Don.

Schad fluuius.

Tanais oſtia.

Azoph ciuitas.

Tanais minor. Eſt etiam alter Tanais minor, qui in Seuerienſi ducatu fontes ſuos habet, (vnde Dunecz Seuerſki vocatur) & ſupra Azoph, in Tanaim magnum, exoneratur. Circa oſtia autem huius minoris Tanais, quatuor dietis ab Azoph ciuitate, in montibus quos ſanctos

ſanctos appellant, dicunt ſtatuas imagineśque quaſdam antiquitatis ſigna, extare.

Columnas etiam Alexandri Magni Macedonum regis, in his partibus quidam poſuére. At nũc nullum veſtigium earum apparere, illi qui ea loca ſæpius peragrarunt, perhibent, atque ideo nihil certi de ruinis & ſitu earum aſſequi datur.

Alexandri Magni columnæ.

Hæc igitur de Tanais fluuio breuiter dicta ſufficiant. Nunc rurſus ad deſcribendas cæteras Moſchorum ducis prouincias pergam, atq; à Moſchouia Meridiem verſus, dextrorſum procedendo, Seuerienſem ducatum attingam.

DE MAGNO SEVERIENSI ducatu.

SEuerienſis ducatus eſt ingens, & rebus omnibus affluẽs, cuius latitudo à Boryſthene vſq; ad Mſcenek caſtrum dirutũ, ſupradictum extẽditur, vaſtosq; & deſertos paſſim campos poſſidet. Primò duces Seuerienſes ſui iuris erant, ſed poſtea magnis Lituaniæ Ducibus permultos annos parebant. Tãdem quoq;, (cùm magnus Ducatus Iagielone baptizato ad Polonos peruenit) regibus Poloniæ tributa perſoluebãt. Deinde à Caſimiro rege Polo. magnoq; Duce Lituaniæ, Iagielonis filio, ad Ioannem, magnum Moſchorum ducem, defecerunt. Sedes autem huius principatus in Nouogrodek ſita erat. Sed tãdem hi principes (prout alijs multis Moſchouiæ duci ſubiectis cõtigit) perfidiæ innocenter accuſati, à Baſilio patre moderni principis Ioannis Baſiliadis, principatu exuti ſunt. Hi autem Seuerienſes principes, genus ſuum à Demetrio magno duce Moſchouiæ, duxerunt.

Arces & ciuitates in hoc ducatu complures sunt, inter quas Nouogrod, Sieuierski dictus, Starodub, Potiuolu, Czernigow, & Bransko, celebriores. Syluæ hermelis, aſpreolis, melleque plurimùm redundant, agros quoque hæc regio fertiliſſimos habet.

NOVOGROD Sieuierski dictus, ciuitas & arx lignea, in qua olim ſedes ducum Seuerienſium erat, diſtat à Potiuolu & Starodub ciuitatibus, ab vna 18. ab altera 14. milliaribus, ad hanc ciuitatem, à Moſchouia dextrorſum Meridiem verſus per Colugam, Vorotiniam, Serensko, & Bransko 150. milliaribus peruenitur.

CZERNIGOW arx & oppidum 30. milliaribus à Kiouia diſtat.

POTIVOLVM arx & ciuitas lignea, à Moſchouia 140. milliaribus Polonicis, à Kiouia verò 60. diſtat. Hæc vltra ſyluam magnam, quæ 24. milliaribus in latitudinem protenditur, ſita eſt. Huius ducatus titulo Magnus Dux Moſcho. vtitur, & Seuerienſem ſe imperatorem appellat.

DVCATVS SMOLENſcenſis.

SMolensko ciuitas ingens, & inſignis, ad Boryſthenem fluuium ſita, arcem ex roboribus edificatam in vlteriori fluminis ripa habet, in qua plurima ædificia lignea in formam ciuitatis extructa ſunt. Hanc ex vna parte Boryſthenes fluuius alluit, ex altera verò foſſis profundis, ſtipitibusque acutis munitur; in medio autem arcis templum diuæ Virginis, in ſcopulo conditum eſt. Hanc ciuitatem & arcem Baſilius magnus Moſchouiæ dux, ſæpius & grauiſſimè oppugnabat, nunquam tamen vi eam capere potuit, donec Michael Glinski, ex principum Ruſſiæ nobili ſtemmate & familia ortus, qui quondam ſummam rerũ apud Alexandrum regem Poloniæ, in magno ducatu tenebat, ad prædictum Baſilium (ſeditione in Lituania excitata, regnante Sigiſmundo rege Poloniæ) profugit, & arcem Smolensko denuo cum ingentibus Moſchorum copijs, acerrimè obſedit, quam tormentis bellicis obſtinatè, ſed fruſtra oppugnabat, & cùm eam vi capere nõ poſſet, præfectis militum largitionibus corruptis, per deditionem arce cum ciuitate potitus eſt, atque ab hoc tempore in poteſtate Magni Ducis Moſchouiæ perſeuerat.

Boryſthenes fluuius.

Michael Glinski profugit occiſo videlicet Zabrzezinſcio propè Grodnam, Palatino Trocenſi.

Smolenska proditione capta.

Ciuitas ipſa in vallo ſita eſt, collibus vndique & ſyluis vaſtiſſimis, quibus pellium diuerſarum multitudo prouenit, cingitur: diſtat autem Smolensko à Moſchouia 80. milliaribus Polonicis.

DROHOBVS à Moſchouia 72. mill. à Smolensko 18. diſtat, ad Boryſthenem cum oppido eiuſdem nominis ſita eſt.

HVGRA fluuius profundus & lutoſus, non longè à Drohobus in ſylua quadam oritur, & inter Colugam, & Vorotiniam Occam influit. Hic autem fluuius Moſchorum & Lituanorum dominiũ quondam diſtimitabat.

Antiquus limes Lituanorum.

WYEZMA caſtrum & oppidum ligneum, ad fluuium eiuſdem nominis extructum eſt, qui haud procul inde in Boryſthenem ingreditur, diſtatque à Moſchouia 46. milliaribus, à Moſaysko 26. à Drohobus 18. Sed quia hîc frequenter Boryſthenis fluuij præclari mentio intercidit, pauca de fontibus eius ſubijciam.

Borysthenes fluuius Ruthenis Dnepr.

BORYSTHENES, fluuius iuxta pagum quendam, *Dnepersko* dictum, fontes suos habet, vnde ab incolis Moschouitis,& cætetis Ruthenis, *Dnepr* siue *Dneper* appellatur. Sic autem cursum suum Borysthenes dirigit: Primùm Wiezman Meridiem versus alluit, indeque cursu in Orientem verso, Drohobus, Smolensko, Orssa DubroWna,& MohiloW præterlabitur. Inde tandem in Meridiem tendens, Kiouiam Russiæ olim metropolim, Circassos,& tandem per Campestria deserta fluens OczakoW, castrum & ciuitatem Tartarorum Prȩcopensium, 40. milliaribus à Circas, attingit; indeque in Pontum Euxinum exoneratur, cuius tam vasta ostia sunt, vt procul spectantibus maris formam præferant. An autem *Dnepr* fluuius prædictus, à Latinis congruo nomine Borysthenes appellatur, absurdum mihi videtur: nam hic à fontibus suis Dnepersko dictis, *Dnepr* vulgò à Moschis, Ruthenis, Lituanis, Polonis,& cęteris omnibus Sauromatis vocatur. Vocabulum quoque Dnepr, à Borysthene multum discrepat, sed mihi videtur Berezinam fluuium (qui BorisoW arcem & alias plures alluens in fluuium supradictum Dnepr exoneratur) Borysthenem antiquitus appellatum esse. Nam id vocabuli sonus,& ipsa congruentia vocis indicet.

Berezina fluuius.

MOZAYSKO castrum & oppidum ligneum, à Moschouia octodecim milliaribus Meridiem versus distat, à Wiezma 26. ibi Princeps nonnunquam oratores diuersorum principum excipere solet, venationemque ibidem quotannis exercet. Nam ibi supra modum leporum præcipuè alborum, magna copia est, Olgerdus ille,& Vitoldus magni duces Lituaniæ (quibus non exstitit ex Lituaniæ ducibus bellicosior alter) fines Lituaniæ 6. milliaribus vltra Mozayssko posuerant.

Vetus limes Lituaniæ.

BYELSKIA DVCATVS.

BYelskia principatus Russiæ, quondam sui iuris principem habebat, qui magnis Ducibus Lituaniæ Iagielonis filijs (à quibus Basilius princeps Byelskiæ, ad Basilium ducem Moschouiæ defecit, ducatumque totum illi subdidit) tributarius erat. In hoc principatu Biela ciuitas cum castro ad fluuium Obseha in vastis syluis sita est, itaque à Moschouia 60. milliaribus Polonicis, à Smolensko verò 36. Hunc ducatum Moschouiæ dux titulo suo adscribit, & se ducem Bayelski appellat.

RSCHOVIÆ DVCATVS.

IN territorio Rschouiensi ciuitas & arx lignea eiusdem nominis, RsheWa appellata, ad Volgæ ripam sita est. Distat autem à Moschouia Occidentem versus 23. mill. vltra hanc ciuitatem aliquot millia. Occidentem versus procedendo, est sylua WolkoWskiles dicta, in qua est palus WronoW appellata, ex hac palude fluuius quidam emergit, qui 2. milliaribus Polonicis emensis, in lacum quendam, Volgo dictum, influit, vnde rursus aquarum multitudine adauctus, egreditur, Volgaque à lacu ex quo oritur, vocatur. Hic fluuius multis fluminibus in se receptis, totam Moschorum principis ditionem; Item Cazanense & Astrachanense regnum, nonnullaque Tartarorum deserta campestria perfluit, & tandem 70. ostijs in mare Caspiũ (Ruthenis ChWalinskoie mare dictum) exoneratur. Hunc fluuium

Volga fluuius celebris.

Moschouiæ Volgam, à Volgo lacu, ex quo emergit, appellant. Tartaris verò Edel, Ptolemæo & Græcis *Rha* dicitur. Hic ducatus Rschouiæ, in quo prædictus fluuius fontes suos habet, latissimè extenditur, ab hocq; dux Moschouiæ titulum sibi vsurpat, & ducem Rschouiæ se appellat.

WOLOCZK ciuitas & arx lignea, occidentem æquinoctialem versus 24. mil. à Moschouia distat, à Mozaysko 12. à TWeria 20. Leporibus albis hęc prouincia abundat, ibique Magnus Dux sæpe venationem exercere solet.

WYELIKYELVKI, arx & ciuitas magna lignea, à Moschouia 140. milliaribus, à Nouogrodia magna 60. à Polosczko 36. distat, eam Louat fluuius præterfluit, indeque Septentrionem versus fluens, in Ilmen lacum iuxta Nouogrodiam magnam ingreditur.

TOROPYECZ arx & ciuitas, à Wyelikie Luki decem & octo milliaribus distat, ad cõfinia Lituaniæ ducatum Smolenscienſem attingens, sita.

Seueria à Lituanis defecit.

Hæc autem arx Toropyecz cum cæteris sibi adiacentibus, videlicet Drohobus, Biela, & Brensko, cum bona Seueriẽsis ducatus parte, vno tempore per deditionem in Magni Ducis Moschouiæ potestatem Ioannis Basilij deuenerunt, sub Alexandro rege Poloniæ, magnoque Duce Lituaniæ, prout latius in descriptione regni Polonici dictum est.

DVCATVS TWERENSIS.

TWerensis ducatus, cuius titulum magnus Dux Moschouiæ sibi vsurpat, amplissima olim ditio erat, vna ex magnis Russiæ principatibus, ad Volgam fluuium

fluuium sita, 36. mil. distat à Moschouia. In ea est ciuitas occidentem æstiualem versus, TWer dicta, quam Volga fluuius interlabitur. In altera autem Volgæ ripa castrum ligneum sibi coniunctum habet, ex cuius opposito TWercza fluuius Volgam influit. Hæc ciuitas monetam argenteam propriam habet, quæ valore Moschouiticæ æquatur. *TWerensis moneta.*

TERSAK oppidum 10. mil. Polonicis à TWeria abest. Huius olim pars dimidia Nouogrodiensi, altera TWerensi ducatui subiacebat. Porrò hic ducatus TWerensis à Ioanne Basilij, Moschouię principe, auo moderni ducis occupatus est. *TWerensis ducatus.*

DVCATVS PSKOVIENSIS.

PSkouia principatus, olim amplissima sui iuris ditio erat, sed à Ioanne Basilij, anno Domini 1509. occupatus est. *Pskouia capta.*

In eo est ciuitas celebris totius regionis metropolis, Peskouia, gentiliter *Pskow* dicta, ad lacum Pskowa dictum, sita, ex quo eiusdem nominis fluuius emergit, ac mediam ciuitatem interfluit, indeque sex milliaribus emensis in lacum Czuczko, vel Czudzin dictum ingreditur. Sola autem Pskouia in toto Moschi imperio muro cincta est, quæ in quatuor partes diuiditur, & earum singulæ suis mœnibus clauduntur. Distatque hæc ciuitas Occidentem versus à Nouogrodia magna 36. mill. à Wyelikie Luki, & à Regia Liuoniæ metropoli 60. Facilis ex Pskouia in mare Balticum esset nauigatio, sed scopuli quidam non longè ab IWanoW Gorod, & Nerua castris, in finibus Liuoniæ impedimento sunt, vbi 2. mil. emensis Nerua fluuius pluribus fluuijs haustis in mare exoneratur. Hanc ciuitatem anno suprà dicto

Pskouia proditione sacerdotum capta.

Moschouiæ dux proditione sacerdotum occupauit, ciuibusq; in Moschouiam abductis, & in eorum locum Moschouitis substitutis libertatem Pskouiensium, quam strenuè multis annis propugnabãt, prorsus diminuit, eiusque titulum sibi vsurpat.

DVCATVS NOVOGRODIÆ magnæ.

NOuogrodiæ magnæ principatus amplissimus olim ex totius Russiæ ducatibus erat; cuius imperium Rurik Varegus sorte sibi oblatum, in primis administrabat, & tandem post eum successores eius latissimè ad Græciam vsque imperium suum extendebant. Et tunc temporis amplissimam ditionem in quinque partes distributam habebat. Imperiumq; suum Orientem, Meridiem, & Septẽtrionem versus, magna ex parte extendens, Lituaniam, Phinlãdiam, Suetiam & NordWegiam ipsam attingebat.

Rurik Nouogrodiæ princeps.

Est autem in hoc principatu ciuitas ingens & ampla, Nouogrodia magna appellata gentiliter NouogrodWielki dicitur; eam WolchoW fluuius nauigabilis interfluit, qui ex Ilmen lacu duobus Werst supra ciuitatem emergens in alium locum, (Nouogrodia magna interlapsa) Ladoga dictum, exoneratur: triginta sex Polonicis milliaribus emensis.

WolchoW fluuius.

Ilmen lacus.

Porrò Ilmen lacus supra Nouogrodiam duobus Werst situs, in longitudinem decem & octo milliaribus Polonicis, in latitudinem verò duodecim patet, duosque præter alios celebriores fluuios excipit, LoWat, & Scholona dictos, vnum verò emittit Volcho dictum, qui Nouogrodiam interfluit. Distat autem Nouogrodia occidentem æstiualem versus, à

Moschouia centum viginti milliaribus, à Pskouia triginta sex, ab IWanoW Gorod, & Wyelikie Luki quadraginta. In hac ciuitate erat olim quoddam idolum *Perun* appellatũ, hoc in loco, quo nunc est monasterium, Perunski monaster, ab idolo eodem dictum. Hoc idolum à Nouogrodensibus præcipuè cultu latriæ adorabatur: habebat autem formam hominis lapidem ignitum, manu tenentis, similem fulmini. Nam *Perun* Ruthenis, & Polonis fulmen significat. In huius laudem & honorem ignis ex quercubus, qui perpetuò die nocteq; arderet, construebatur. Quod si negligentia ministrorum, ad hoc officium obeundum designatorũ, ignem extingui contingeret, tunc capitis pœna plectebantur.

Perun idolum.

Ignis perpetuus sacrosanctus.

Currente anno Domini 1470. cùm Theophilus archiepiscopus Nouogrodiæ, sua autoritate totam ditionem Nouogrodiensem gubernaret, regi Poloniæ Casimiro, tunc temporis magno Duci Lituaniæ persoluens, Ioannes Basilij Moschorum dux Nouogrodiensem principatum, graui acerrimoque bello per septem perpetuos annos pressit, ipsamque ciuitatem Nouogrodiam sæpius obstinatè oppugnabat. Tandem anno Domini 1477. ad fluuium Scholona dictum, Nouogrodenses bello superatiuit, eosque ad deditionem ciuitatis & totius regionis compulit, & locum tenentem suum illis constituit. Cùm autem nondum absolutum se imperium in Nouogardienses habere intellexisset, auxilio præmata manu venit, sub prætextu religionis conseruãdæ, quasi ciues quosdam à Ruthenico ritu, ad Romanam Ecclesiam deficere volentes, cohibere pro-

Nouogrodẽses superati bello, tributo Ioannis Basilij subacti.

posuisset, hacq; simulatione Nouogrodiam ingressus, incolas ad miserrimam seruitutem redegit, ciues, mercatoresque omnes, bonis omnibus (parte vnicuique quarta relicta) spoliauit, ipsumque archiepiscopum prouentibus omniq; auro & argento priuauit, & alium episcopum, (parua duntaxat reddituum portione illi concessa,) in locum eius constituit.

RVSSA, oppidulum vetustissimum, olim antiqua Russia dictum, à Nouogrodia 12. mil. distat, quod fluuius salsus præterfluit, quem incolæ fossa ampla in modum lacus coërcent, indeque aquam per canales vnusquisque ad suas ædes deducunt, & ex ea sal coquunt.

Sal coctum.

IWANOW Gorod arx, quam Ioannes Basiliades Moschouiæ dux, à quo & nomen accepit ad ripam Neruæ fluuij ex lapidibus sectis extruxit, distat à Nouogrodia magna 40. milliaribus, à Pskouia totidem. Iuxta hanc arcem est ciuitas lignea Nerua, à fluuio appellata, vbi Nouogrodenses & Pskouienses merces suas deponere solent. Est ibi quoque ex aduerso in altera ripa Liuonienſium castrum & ciuitas, quod etiam ab eodem fluuio Nerua appellatur, atque hæc duo castra Nerua fluuius interfluens, Moschouiæ olim imperium à Liuonienſi dissimitabat: sed nunc Ioannes Basiliades modernus princeps Moschouiæ, Nerua arce Liuonienſium cum cæteris potitus, vlterius fines suos promouit. Nerua autem fluuius ex lacu Czudzko dicto, oritur, duobusque in se receptis fluuijs, PskoWa, & Vielika Reka dictis, ex Meridie venientibus, IWanoW Gorod, & Neruam ciuitatem interfluit, indeque in mare Liuonicum exoneratur. Hoc fluuio ex Moschouia merces in mare deportantur,

Limes Liuonici & Moschouitici imperij.

Nerua fluuius nauigabilis.

tantur, præcipuè ex Pskouiæ & Nouogrodię magnæ regionibus.

IAMMA castrum, 12. mil. ab IWanoW Gorod, & Nerua situm est, ad Plussæ fluuij ostia Septentrionem versus. Deinde spacio 4. mil. à Iamma, castrum & ciuitas Coporogia dicta, ad fluuium eiusdem nominis occurrit. Hinc Septentrionem versus 25. mill. per Oressek, & Correllam ciuitates, ad fluuium Polna peruenitur, qui imperium Moschorū à Phinlandia Suetiæ regi subiecta dissimitat.

VODZKA REGIO.

HÆc regio à Nouogrodia magna, triginta milliaribus distans, inter Occidentem & Septentrionem sita est, cuius incolæ proprium idioma habent, aliquantulum à Ruthenico differens, in eam animalia cuiuscunque generis si aliunde inducta fuerint, colorem suum in albedinem mutare perhibentur.

Animalia colorem mutant.

CORRELLA PROuincia.

HÆc prouincia suum proprium idioma habet, à Nouogrodia Septentrionem versus, sexaginta milliaribus Polonicis distat, cuius incolæ Moschorum duci, & Suetensium regi, propter vtriusque vicinitatem tributa pendunt. Huius prouinciæ fines ad mare vsque glaciale protenduntur.

SOLOWKI insula Septentrionem versus, inter DWinam & Correllam prouincias, octo milliaribus Polonicis à terra in mari sita est, Moschouię duci subiecta. Estque ibi monasterium Ruthenicum insigne, in quod mulieribus ingressus graui sub pœna prohi-

betur. Distat autem hæc insula à Moschouia trecentis milliaribus, à Bielleiezioro 200. millia. Polonicis. Sal ibi copiosius decoquitur. Solem illic in æstiuali solstitio perpetuò, duabus tantùm horis exceptis, splendere affirmant.

DWINA PROVINCIA.

HÆc prouincia in ipso Septentrione sita est, Nouogardensiumq; olim ditionis erat, & à fluuio præterlabente DWina dicto, nomen sortita est. Fluuius autem ipse ab Iug, & Suchana fluuiorum duorũ confluxu DWinæ nomen accepit. DWina enim Ruthenis binos significat. Hic fluuius postquam Iug & Suchana confluxerunt, DWinæ nomine assumto, emensis cẽtum milliaribus, Oceanum septentrionalem, qui Suetiam & NordWegiam alluit, sex ostijs ingreditur. Numerantur autem à Moschouia ciuitate trecenta milliaria Polonica ad ostia eius. Hæc prouincia quamuis centum milliaribus pateat, præter Colmogoram tamen castrũ, & DWinam ciuitatem, quæ in medio regionis sita est, castrumque Pinegain ipsis DWinæ ostijs conditum, oppidis & castris prorsus vacua est. Pagis tamen compluribus abundat, quia propter terræ sterilitatem magno tractu, longè lateq; ab inuicem distant. Incolæ verò ex piscibus fere risque omnis generis victum, ex pellibus verò amictum acquirunt; panis enim vsum prorsus ignorant. In maritimis huius regionis locis, vrsi albi maiori ex parte in mari degentes reperiuntur, quorum pelles cum cæteris varij generis animalium pellibus, incolæ magno Duci pro tributo dant, atq; ita in Moschouiam sæpius deferuntur. Regio ipsa tota salsifera est, ex qua

ex qua cæterarum regionum circumadiacentium incolæ sal habere solent.

VSTIVGA REGIO.

ADwina ex Septentrione in Meridiem procedẽdo Vstiug ciuitas & arx, à qua & regio nomen accepit, occurrit, ad fluuium Suchana condita, distatque à Wolochda ciuitate centum mil. à Bieleiezioro centum quadraginta. Dicitur autem Vstiug, ab Vstiæ, quod ostium Latinis sonat, & Iug fluuio ex Meridie in Septentrionem currente, ad cuius ostia primò sita erat, sed postea propter loci opportunitatem, ad dimidium milliare supra ostia eius, vbi in Suchanam ingreditur, translata est, & antiquo nomine Vstiug hucvsque appellatur. Hæc regio olim Nouogardensibus tributaria erat, in qua nullus propemodum panis vsus habetur. Quapropter incolæ ex piscibus & feris victum quæritant. Idioma proprium quamuis Ruthenico magis vtantur, habent. Sal ex DWina regione supradicta eis aduehitur. Omnis generis ferarum pellibus abundant, præcipuè vulpinis nigris, quæ interdum Zebellinis æquiparantur. Zebellinorum pelles illic nec multæ, nec admodum bonæ reperiuntur.

Vstiug denominatio.

VOLOCHDA PROuincia.

HÆc prouincia inter Orientem & Septẽtrionem sita est, habetq; ciuitatem eiusdem nominis & arcem, natura loci munitissimã, in qua magnus Dux Moschouię thesauri sui partem tempore necessitatis cõdere solet. Abest autem à Iaroslaw 50. milliaribus

Wolochda fluuius & ciuitas.

Polonicis, à Bieleiezioro 40. eam fluuius Wolochda in Septentrionem ex Occidente fluens, præterlabitur, à quo ciuitas ipsa & prouincia denominata est. In hac regione viatores certâ itineris rationem, propter crebras paludes, & fluuiorum anfractus obseruare non possunt: tota enim palustrosa & syluestris est, & quò vlterius progreditur, eò plures & inuiæ paludes, fluuijque occurrunt, quondam sub Nouogardiæ magnæ ditione erat.

Waga fluuius, piscibus omnis generis abundans, inter Bieleiezioro & Wolochdam in paludibus, densissimisque syluis oritur, ac in DWinam fluuium illabitur. Accolæ autem huius fluuij panis vsum penitus ignorant, ferisque venatione partim victitant; pellibus vulpinis nigris & coloris cinerei abundant.

BIELEIEZIORO DVCATVS.

Bieleiezioro, quasi dicas albus lacus, est regio ampla, vna ex ducatibus Russiæ, in Septentrione sita iuxta lacum ingentem, à quo nomen ipsa regio & arx, ciuitasque traxit. Huius ducatus titulo magnus Dux Moschouiæ vtitur. Hic autem lacus 15. mil. Polonicis in longitudinem, totidemque in latitudinem stagnat, & triginta sex fluuios excipit, vnú verò dumtaxat Sosna emittit, qui 15. mil. supra IaroslaW, & 4. mil. infra Mologam ciuitates emensis, fluuio Volgæ celebri commiscetur. In hoc lacu est arx natura loci munitissima, inexpugnabilisq;, in qua princeps Moschouiæ thesaurum suum recõdere solet, illicq; tempore necessitatis hostibus vrgentibus, velut ad asylum quoddam confugit. Abest autem Bieleiezioro à Moschouia 100. mil. à Nouogardia magna totidem. Regio penè tota palustrosa syluosaq; est, ideo viatoribus difficilem transitum præbet, & haud cõmodè ad eam, nisi stratis pontibus, concretisq; glacie aquis peruenitur. Huius loci incolæ proprio idiomate vtuntur, sed nunc ferè omnes Ruthenicè loquuntur. A lacu Bieleiezioro ad sagittæ iactum est, alius lacus sulphur copiosè proferens, quod fluuius quidã ex eo emergens, ceu spumas supranatãtes secum defert. In hoc ducatu Sinaus Varegus sorte sibi è Ruthenis cõcesso, primus consederat, cuius etiam fratres vnus in Pskouia Truuor nomine, alter in Nouogradia magna Ruriczk dictus, (de quibus suprà) imperabant.

Thesauros Moschus in albo lacu recondit.

Sulphureus lacus.

Tres duces Russiæ antiqui.

IAROSLAVIÆ DVCATVS.

IaroslaW ciuitas & arx lignea ampla, ad Volgã fluuium sita, 46. mill. à Moschouia distat. Regio ei adiacens fertilissima est, præsertim ea parte qua ad Volgam vergit. Hæc olim secundo genitis magnorum Ducum Moschouiæ attributa erat, quos Ioannes Basiliades Moschouiæ monarcha, principatu expulsos in seruitutem redegit, ex quorum progenie adhuc supersunt, qui Knesi (id est duces) IaroslaWsci dicuntur, sed paruam in regione redituum partem retinent. Ipse enim dux Moschouiæ & titulum & ducatum sibi vendicat.

ROSTHOVIÆ DVCATVS.

Hic ducatus inter præcipuos & antiquiores Russiæ principatus, post Nouogardiam magnam olim habebatur, & secundo genitis magnorum ducum Russiæ, attributus erat; quorum posteri per Io-

annem Basilij, auum moderni ducis Ioānis Basiliadis eo exuti sunt. In hoc ducatu est ciuitas & arx lignea, *Rostow ciuitas.* Rostow dicta, regionis caput, in qua archiepiscopus sedem suam habet, à Moschouia 34. mil. distat. Sita autem est ad lacum quendā, ex quo Cotorea fluuius emergit, & Iaroslauia ciuitate præterlapsa in Volgam illabitur. Huius ducatus titulo Moschouiæ dux vtitur, nouissimumq; huius regionis hæredem, ex progenie ducum Russiæ, anno Domini 1565. Ioannes Basiliades Moschouię dux, tyrannicè trucidauit, progeniemq; eius funditus deleuit.

Vglitz ciuitas cum castro, ad Volgam fluuium condita, distat à Moschouia 24. mil. à Iaroslauia triginta.

Chlopigrod ciuitas duobus milliaribus *Nūdinæ celeberrimæ.* distat ab Vglitz, in ea celeberrimæ frequenter fiunt nundinæ, ad quas Suetenses, Liuonienses, Rutheni, Lituani, Tartari, & aliæ quamplurimæ gentes confluunt, omnes verò tantùm permutatione rerum vtuntur.

Pereaslaw ciuitas & castrum, ad lacum quendam à Septentrione in Orientem reflectendo sita est, à Moschouia 24. à Rostow decem milliaribus distat. Iuxta hanc est lacus quidam, ex quo sal copiosè decoquitur.

SVSDALIENSIS DVCATVS.

Dvcatus Susdali, cum eiusdem nominis castro & ciuitate, in qua sedes episcopalis est, Rostouiæ & Volodimiriæ adiacet, inter præcipuos olim Russiæ principatus numerabatur, ac reliquarum Russiæ partium metropolis erat. Hunc Ducatum secundo geniti

geniti ducum Moschouiæ iure hæreditario possidebant, quorum tandem posteri per Ioannem Basilij, auum moderni ducis Moschouiæ, eo expulsi & spoliati sunt.

Castromowgorod, ciuitas cum castro, in confluxu Costromæ & Volgæ fluuiorum sita est, viginti milliaribus à Iaroslauia orientem æstiualem versus distat.

Galicz prouincia cum ciuitate & castro eiusdem nominis ex Moschouia in Orientem, per Castromowgorod euntibus occurrit. In ea propter crebras paludes, fluuios, & syluas densissimas ratio vera itinerum obseruari non potest.

VIATHKA REGIO.

Hæc regio ab eiusdem nominis fluuio denominata est, in cuius littore hæ ciuitates sitæ sunt. Chilinoua, Orlo, Cotelnicz, & Sloboda. Orlo 4. mil. infra Chilinouam sita est, deinde 6. mil. Occidentem versus procedendo, Sloboda & Cotelnicz ciuitates, ad Rheczicza fluuium sitæ, qui ex Oriente fluens in Viatkam influit, occurrunt. Hæc regio in orientem æstiualem porrecta, 150. mil. à Moschouia distat. Tota ferè palustris & sterilis est, melle, feris, piscibus, aspreolisq; abundans, in ea Ceremissæ populi passim vagantes latrocinantur. Hæc olim sub Tartarorum imperio erat, sed monarcha Moschouię Basilius, Tartaris expulsis eam sibi subiugauit, tituloq; eius (ducem se Viathkiæ appellans) vtitur. Attamen Tartari vltra, citraque, Viathkam fluuium, adhuc in campestribus habitant, maximè verò in ostijs Viathkæ, vbi *fluuius.* *Viathka* in Camam fluuium ingentem exoneratur.

PERMIA REGIO.

PErmia magna & ampla regio, à Moschouia 150. mill. distat. In ea est ciuitas eiusdem nominis, ad Vischoram fluuium sita, qui 10. mill. inde emensis in Camam fluuium exoneratur. Incolæ huius regionis pane rarissimè vtuntur, & ceruina plerunque carne, aliarumque ferarum victitant. Idioma proprium, ut cæteras quoque à Ruthenicis differentes habent, quas *Litera Permiorum.* Stephanus episcopus (qui eos ad fidem Christi rebelles conuertit) adinuenit, q. postea apud Ruthenos catalogo Sanctorum adscriptus est. Quendam verò episcopum, Stephani huius antecessorem, Permiani, cùm eos ad fidem Christi conuertere nitebatur, excoriauerunt. Supersunt adhuc plurimi ex ijs idololatræ, passim in syluis degentes. Hyeme per niues tracheis itinera faciunt, quas vel canes vel cerui albi, (quos in hunc vsum pro iumentis habent) trahere *Narta.* solent. Pedites autem in nartis (quemadmodum in plurimis Russiæ locis mos est) celeriter per niuem iter conficiunt. Hæ autem nartæ sunt ligneæ quædam, & oblongæ soleæ duorum triumve cubitorum longitudine, quibus in pedes inductis baculo oblongo cum cuspide suffulti, celerrimè feruntur, adeò vt *Mirabilis cursus in nartis.* nullo modo equi quamuis agilissimi cursu insequi possint; nam equo currenti asperitas niuis, montes, cæteraque viæ obstacula, impedimento sunt: in nartarum autem instrumentis currentes, colles, truncos, foueasque, facillimè transiliunt; hocque modo feras omnis generis apprehendere & capere telis *Tumen regnum.* transfigendo solent. Huic regioni Tumen regnum, cuius Princeps Tartarus, conterminum est.

SIBIOR

SIBIOR PROVINCIA.

HÆc prouincia ad Camam fluuium inter Permiam & Viatkam regiones sita est, quæ castris & ciuitatibus vacua prorsus est. In ea laijczk *Laijczk fluuius.* fluuius ingens oritur, qui Tartarorum campestribus præterlapsis, in Caspium mare influit. Incolæ eius proprio idiomate vtuntur, panis vsum nesciunt, sed ferina carne victitant. Mercimonia ex aspreolorum pellibus (qui apud eos præstantissimi reperiuntur) exercent, pro tributoque easdem magno Moschouiæ Duci pendunt.

Regio ipsa tota ferè palustris & syluestris est, & propter Tartarorum vicinitatem magna ex parte deserta dicitur.

IVGRA REGIO.

IVgra siue Iuhra regio, cuius incolæ Iuhri vel Iugrici appellantur, ad Oceanum septentrionalem sita est, ex ea Hũgaros sterilitate regionis caussata olim *Hungarorũ ortus.* prodijsse, & Pannoniam occupasse ferunt, aiuntque eos patrijs locis egressos, primò ad paludes Mæotidis consedisse, deinde ad Danubium fluuium Pannoniam versus concessisse, à suique denominatione Pannoniam Iuhariam, deinde Vngariam nominasse, & *Hungariæ denominatio.* duce Attila multas prouincias Asiæ & Europæ debellasse. Hinc ergo Moschouitæ plurimùm gloriantur, dicentes subditos suos quondam Germaniæ, Italiæ, Græciæque fines vastasse, totoque mundo terribiles esse. Indigenæ huius regionis, vectigal magno Moschorum Principi soluunt, eodemque idiomate cum Vngaris vtuntur.

PETZORA REGIO.

PEtzora magni Ducis Moſchorum ditio, longo tractu in ſeptentrionalem & orientalem plagam fines ſuos iuxta mare glaciale extendit. Denominata eſt à fluuio eiuſdem nominis, *Petzora* dicto, qui à Meridie fluens in Oceanum glacialem, iuxta oppidum & caſtrum Puſteozierо dictum, ſex amplis oſtijs exoneratur. Circa hunc fluuium ſunt montes rupesque in altum prominentes, *Ziemnoi Poias* Ruthenis, id eſt cingulus terræ dicti, quorum vertices ob continuos ventorum flatus, nudi abſque gramine ſunt, niuibus frequenter rigentes. Creſcunt autem illic arbores cedri, circa quas nigerrimi Zebelli reperiuntur, aues etiam rapaces varij generis in his montibus nidificant, præcipuè verò falcones albi ad venandas aues promtiſſimi, qui inde in Moſchouiam afferuntur, eiſque magnus Dux in venatione vti ſolet. Atq; in principis Moſchouiæ imperio hij montes, quos veteres Rhiphæos ſiue Hyperboreos (varijs in locis ſitum eorum ponentes) vocabant, exiſtunt. Hij autem montes perpetuis niuibus gelu concretis albent, difficilémq; tranſitum iter carpentibus præbent. Tantæ enim altitudinis dicuntur, vt quidam Moſchorum principe ad id deſtinati, decem ſeptem dies in aſcendendo quodam monte tranſigerint, attamen nequaquam verticem montis attingere potuerunt. Qui autem ex Moſchouia ad Petzoram proficiſcere volunt, per Vſtiugam & DWinam prouincias tranſeuntes, rectà in Permiam regionem, quæ à Moſchouia ducentis quinquaginta milliaribus diſtat, perueniunt, indeéque vſitato magis itinere Petzoram attingunt. Incolæ huius regionis ſimpliciſſimi

Petzora fluuius.

Montes cingulus terræ.

Arbores cedri.

Iter in Petzoram.

Incolæ Petzoræ.

ciſſimi ſunt, idioma proprium habent, panis apud eos nullus vſus habetur. Anno Domini ſupra millesimum quingenteſimum decimo octauo, Ruthenico ritu ſacro baptiſmi fonte abluti ſunt. Pelles ferarum varias magno Moſchorum Duci pro tributo pendunt. In oſtijs Petzoræ fluuij eſt caſtrum & oppidum Puſteiezioro dictum, vltra quod in littore Oceani ſeptentrionalis variæ gentes ſunt, quæ communiter Ruthenis *Samogedz* (id eſt ſeipſos comedentes) appellantur. Hæ gentes in Moſchouiam non veniunt, aliorum enim hominum cœtum, vitæque ſocietatem maximè refugiunt. Auium diuerſarumque ferarum copia ſupra modum abundant, vtpote Zebellibus, caſtoribus, hermelis, aſpreolis, vrſibus albis, lupis, leporibus, & id genus alijs animalibus. Præterea in Oceano eis adiacenti piſces diuerſi generis & equi marini creſcunt, in eodem Oceano varia magnaque animalia dicuntur eſſe, inter alia autem belua quædam magnitudine bouis, quam Moſchouitæ *Mors* appellant. Hæc belua in mari, aliquando verò in terra degit; boatus terrificos edit; breues inſtar Caſtoris pedes habet; pectore prominenti latoq;, dentibus ſuperioribus in longum prominentibus; dumque Oceano relicto in terram prædæ capiendæ gratia exire cupit, tum dentibus (quos longos habet) per promontoria mari impendentia affixa, vertices montium aſcendit: tandem poſterioribus pedibus, dentibus admotis, ſumma cum celeritate in terram delabitur, omniaque obuia aliquando per decem vel amplius milliaria deuorans, mactansque graſſatur, & tandem in Oceanum reuertitur; multoties autem ab incolis ſuperiora

Gẽs ſeipſam mutuò comedens.

Mors belua.

montium occupantibus, telis & lapidibus, priusquam montes ascendat, prohibetur, hocque modo frequenter opprimitur. Ex harum autem beluarum dentibus, Moschouitæ, Turcæ, Tartariqúe, manubria pugionum, cultellorumque; præstantiores etiam framearum subtiliter conficiunt, solùm autem propter dentes capiuntur, magno enim pretio, apud Turcas & Tartaros veneunt. Ad eundem Petzoram fluuium, est castrum & oppidum Papinowgorod dictum, huius accolæ Papini dicuntur, diuersumque à Ruthenico idioma habent, & Duci Moschorum tributa soluunt.

Dētes Mors belua.

Papini gēs.

OBDORIA REGIO.

OBdoria à fluuio præterlabente Obbi dicto denominationem accepit, qui ex lacu quodam amplissimo Kitaijsko nominato emergit, ab Orienteque in Septentrionem fluens, sex ostijs in Oceanum septentrionalem exoneratur, ad oppidum autem Obbi dictum, est tam vastæ amplitudinis, vt sedecim milliarium Polonicorum, octuaginta autem Werst Moschouiticarum in latitudinem pateat; vixque duobus diebus nauigio, quamvis ventis velaimpellentibus tranatur; sicque abundat piscibus, vt nauigantium remigijs premantur. Huic quoque fluuio Vogulici & Hugritzchi populi accolunt, multa ibi varijque generis animalia capiuntur, quibus regionis incolæ (panis enim vsum nesciunt) victitant, pellibusque Moschorum Principi tributa persoluunt.

Obbi fluuius amplissimus.

Vogulici gens.

DE

DE IDOLO AUREÆ anus.

IN hac Obdoriæ regione, ad ostia Obdi fluuij, est quoddam antiquissimum idolum de lapide excisum, quod Moschouitis *Zolota Baba*, id est aurea anus dicitur. Est autem similitudo mulieris veculæ, infantem in gremio tenentis, & alterum iuxta se infantem habentis, quem nepotem illius esse incolæ dicunt. Hoc idolum ab Obdorianis Iuhriscis & Vohuliscis, alijsque conterminis gentibus cultu latriæ veneratur, præstantissimasque & maximi precij pelles Zebellinas idolo offerunt, vnà cum reliquarum ferarum preciosis pellibus: ceruos quoque selectiores ad sacrificium peragendum mactant, quorū sanguine os, oculus, & reliqua simulacri membra perungunt. Intestina autem cruda sacrificij deuorant, & inter sacrificandum sacerdos idolum cōsulit, quid ipsis faciendum, quóve migrandum sit. Ipsum autem (dictu mirum) certa consulētibus responsa dare, certosque rerum euentus prædicere solet. Dicuntur etiam in montibus vicinis huic idolo, sonitus boatusque quidam audiri, qui perpetuò sonitum in modum clangoris tubarum edunt. Hoc autem nihil aliud esse dicerem, nisi instrumenta quædam illic antiquitus posita, vel canales subterraneos, sic natura ipsa effectos, qui ventorum perpetuò flatu sonum, boatumque & clangorem continuò efficiunt.

Similitudo idoli.

Sacrificiū.

Boatus quidam.

Ab Obbi fluuio à parte sinistra ascendendo, Calami populi dicti in campestribus degentes occurrunt Moschorum Ducis tributarij.

Calami gens.

Infra Obbi fluuij ostia & aurea anum sunt com-

Fluuij. plures ingentes fluuij, Irtiſchæ, Bereſwa, Soſa, Tachnim, Danadim, & cæteri multi ex montibus cingulus terræ dictis emergentes. Horum fluuiorum accolæ ad Auream anum vſq;, & Oceanum ſeptentrionalem habitantes, magno Moſchorum Duci tributa perſoluere dicuntur.

CONDORA REGIO.

HÆc regio ad Oceanum ſeptentrionalem ſita, Obdoræ regioni vicina eſt, tota ferè ſyluis fluminibusque obſita, eius indigenæ proprio idiomate vtuntur, & Aureæ anus idolum cum Obdorianis colunt, ferarum carnibus, quibus omnis generis copiosè affluunt, pro cibo vtuntur, pelles verò varias Moſchorum Principi pro tributo pendunt; regio ciuitatibus, caſtris, pagisque prorſus vacua eſt. Huius titulo Moſchorum Dux, (Ducem ſe appellans Condoriæ) vtitur.

LVCOMORIA REGIO.

Gruſtintzi & Serponowtzi populi. LVcomoria regio longo tractu iuxta mare Septentrionale extenditur, ab incolisque ſine vllis ædibus in ſyluis & campis habitatur. Huic regioni confines ſunt Gruſtintzi, & Serponowtzi populi à caſtro Gruſtina ad lacum Kitaijsko ſito, dicti, vbi Obbi fluuius ſupradictus fontes ſuos habet. Ab hoc lacu homines nigri, communis ſermonis expertes, ad Gruſtinam arcem venire ſolent, ſecum adferentes varias merces, præcipuè autem vniones, gemmas, lapidesque precioſos, quas Gruſtinſi & Serponowtzi, rerum transmutatione facta ab eis mercantur. Hæ autem gentes Lucomoriæ, item Gruſtintzi,

ſtintzi, & Sperponowtzi, & quæcunque infra Obbi fluuium, & lacum Kiſtaijsko dictum, iuxtaque flumina Soſa, Bereſwa, Danadim, & Tachmin habitantes, ad Oceanum glacialem vſque magno Moſchorum Duci, vectigales dicuntur. Porrò de quibuſdam populis in Lucomoria habitantibus, portentoſum & dictu incredibile quiddam refertur, quaſi illi quotannis vigeſimaſeptima menſis Nouembris die, velut hirundines & ranæ, præ intenſo frigore brumali moriantur; poſtea redeunte vere, vigeſimaquarta Aprilis die, eos denuò reuiuiſcere aiunt. Hi autem hoc modo commercia cum Gruſtentzijs & Sperponowtzijs populis ſibi vicinis habere dicuntur, cùm iam futuram mortem ſibi imminere ſentiunt, tunc merces ſuas certis in locis deponunt, quas Gruſtintzi & Sperponowtzi ſuis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reuiuiſcentes, illas merces, ſi æqua commutatione ſibi placuerint, pro ſuis accipiunt: ſin minus iuſtæ fuerint, à Gruſtintzijs & Serponowtzijs ſuas repetunt, vnde lites & bella hac de cauſſa inter eos ſæpiſſimè oriri dicuntur. Ex Lucomoriæ montibus Coſſin fluuius dictus, ingens oritur, qui Lucomoria præterlapſa, in magnum fluuium Tachmin dictum, exoneratur. In Tachmin autem fluuio piſces quidam naſci dicuntur, qui capite, oculis, naſo, ore, manibus, pedibusque hominem referunt, ſed abſque vllæ vocis expreſſione. Aiunt quoque vltra hunc fluuium prodigioſæ formæ homines habitare, quorum alij ferarum more pilis rigent, alij caninis cum capitibus in ſpeluncis ſubterraneis victitant.

Mirabile quiddam.

Mirus mercādi modus.

Coſſin fluuius.

Piſcis mirabilis.

Gens mirabilis.

LOPPIA REGIO.

A Lucomoria vlterius ad Oceanum glacialem procedendo Loppi populi, barbarie & feritate rigentes in campestribus & syluis degentes occurrunt. Hi nusquam certas sedes habent, sed vnoloco feris piscibusque, quibus victitant (panis enim vsum nesciunt) de pastis aliò commigrant. Tuguriola sua, in quibus habitant, corticibus arborum, cetis tibusque tegunt, vestibus ex diuersis feratum pellibus Zebellinis, hermelinis, ceruinis, & id genus aliis insimul consutis vtuntur, eorumque huiusmodi vestitus interdum in Moschouiam à mercatoribus defertur, pileis etiam & caligis ex ceruinis pellibus confectis vtuntur. Tributi autem loco pelles & pisces, quorum copia affluunt, magno Moschorum Duci pendunt. Idioma suum proprium habent, quod ab alijs non intelligitur, ideo apud exteros propemodum muti esse videtur. Sagittarij autem omnes sunt peritissimi, adeò, vt si quas in venatione præstantiores feras nanciscantur, eas (vt pelles eorum integræ & intactæ sint) missa sagitta in nasum oculos ve interficiunt. Hi etiam feras in nartis hyeme per niues insequuntur, insecutasq; sagittis conficiunt, mercatores ad se ex varijs regionibus quæstus gratia venientes, libenter excipiunt, quos in tuguriolis suis cum vxoribus relinquunt, ipsi verò interim venatum abeunt; reuersi, si vxores hospitum concubitu consuetudineque lætiores & hilariores inuenerint, munere aliquo hospitem donant, sin minus, turpiter conuitijs lacessitum expellunt.

Victus, Gestitus, habitatioq; Loppiorum.

Loppi sagittarij optimi.

Hospitum acceptio.

Monetæ pecuniariæ nullus apud eos vsus, sed cõ mercatoribus aduẽtitijs rerum permutatione vtuntur, &

tur, & pro panno crasso vilosóque, item pro securibus, acubus, cochlearibus, cultris, poculis, speculis, & id genus alijs rebus, pelles ferarũ varij generis mercatoribus dant. Regio quam inhabitant frigidissima est, solem ibi æstiualis solstitij tempore, quadraginta diebus perpetuò splendere (tribus noctis horis exceptis) perhibẽt, quibus Sol velut quadam caligine obducitur, vt radij illius non appareãt, nihilominus tamen laborãtes ab opere suo excludũtur. In his quoq; partib. montes in altũ eminentissimi dicuntur esse, qui ad Æthnæ (montis in Sicilia) similitudinem, flammas semper eructant, in quib. Salamandræ, animalia quædam, lacertarum similitudine, quæ in igne non secus ac pisces in aquis viuunt, crescere perhibentur.

Montes ignei.

Salamandræ.

Vltra Oceanum etiam glacialem regionem quãdam, Engroneland dictam, quasi incognitam aiunt esse, hæc tum ob altos montes, qui perpetuis semper niuibus rigent, tum etiam ob perpetuã glaciem mari innatãtem (quæ periculosam nauigationem facit) à commercio conuersationeq; cæterarum gentium aliena seiunctaq; est, ideo incognita dicitur.

Engroneland regio.

Moschouitæ se plurimùm iactant, quòd princeps eorum ex hac quoque remotissima & ferè vltima orbis regione tributa exigat. Hoc quamuis verisimile non sit, tolerari tamen aliquo modo potest, cùm alios vicinos principes, qui ab ipsis tributa exigerent, non habeant.

Atque hic finis regionum septentrionalium, glacialique mari adjacentium (quæ Moschorum principis sunt tributariæ) esto. Nunc ad cæteras regiones describendas Meridiem Orientemque versus sitas, Moschouitis confines reuertar.

CEREMISSI POPVLI.

CEremissi, Mordouotes, & Vachines, inter Viac-
kam & Volochdam prouincias, quarum suprà
mentionem fecimus, longè lateq; in vastis syluis, sine
vllis ædibus habitant. Proprium idioma habent, Ma-
hometisq; sectam amplectũtur, quidam etiam gen-
tiliter, nullam Dei notitiam habẽtes, viuunt. Omnes
autem furtis & latrocinijs intenti, & carminibus ma-
gicis exorcismisq; maximè dediti sunt. Aduersus sa-
gittarum telorumq; iactus intrepidi. Ferina carne &
melle (cuius aluearijs abundant) magna ex parte vi-
ctitant. Pane enim rarò vtuntur. Omnes tam viri
quàm feminæ cursu velocissimi sunt, sagittarijsq; pe-
ritissimi; arcum nunquã de manibus deponunt, quo
adeò oblectãtur, vt etiam filijs cibum obstinatissimè
prohibeant, nisi prius signum præsignatum ex arcu
sagitta ferirent. Artificium laborq; eorum feras ve-
nari, & sagittis figere, quorum carne vescuntur, pel-
libusq; vestiũtur, ac easdem pro tributo magno Duci
Moschorum pendunt. Inter venandum autem, nar-
tarum instrumento pedibus inducto, (cuius in Per-
miæ descriptione suprà memorauimus) vtuntur, in
quo agilissimè velocissimeq; feras insequendo ferũ-
tur. Quia verò harum nartarũ instrumento veloci-
simi cursus, omnes ferè Septentrionales gẽtes, & ip-
Moschouitæ, Rutheniq; communiter vtuntur, ima-
ginem vsus earum subijciemus. Sunt autem longæ
quædam ligneæ soleæ, longitudinem triũ cubitorum
adæquantes, in anteriori parte in modum trahar-
erectæ, quidam verò hoc instrumentum ad suæ pro-
portionis staturam in longitudinem cõficiunt, quo
in vtramque pedem inducto velocissimè feruntur.

Ceremissi sagittarij excellentes.

Nartarum vsus.

MORD

MORDWA POPVLI.

ANouogrodia inferiore, quam superius descri-
psimus Orientem, & Meridiem versus, vastę in-
gentesque occurrunt syluæ, quas MordWa po-
puli sic dicti, magno iuxta Volgã fluuium insignem
tractu, inhabitant. Idioma proprium habent, in pa-
gis passim degunt, agriculturamque exercent. Mel-
le, diuersisque animalium pellibus preciosis abun-
dant. Homines sunt duri & bellicosi, Tartarosque
latrocinantes, (quos in vicinio habent) à finibus suis
fortiter propulsant, omnes ferè pedites incedunt,
arcubus oblongis vtuntur, sagittandique peritia pol-
lent, feras præstantiores, vt pellibus eorum integris
& intactis potirentur, in nasum sagitta missa interfi-
ciunt. Eorum quidam Mahometi sectam ample-
ctuntur, quidam verò in idololatria perseuerant. Ve-
ctigal annuum magno Moschorum Principi pelli-
bus diuersarum ferarum soluunt. Mulieres eorum
decoris caussa vngues nigro colore artificialiter infi-
ciunt, apertoque capite & crinibus passis semper in-
cedunt. His aliæ gentes Ceremissi intermixtæ sunt,
qui ad differentiam Ceremissorum septentrionali-
um, de quibus suprà superiores Ceremissi, siue mon-
tani, à collibus quos inhabitant, appellantur. Hîc de
vicinis conterminisque Moschouitico imperio, Tar-
taris Cazanensibus, cæterisque campestribus in hor-
das distributis nobis dicendum esset: sed ne ordo rei
interrumperetur, de moribus, religione, & vitæ con-
suetudine Moschouitarum, pauca subijcienda no-
bis, non abs re videntur. His autem absolutis, Tarta-
rorum fines, gentisque mores breuiter attingemus.

MordWa gens bellicosa.

DE RELIGIONE MOSCHOVItarum, omniumq; Ruthenorum.

Caput II.

Rutheni Christiani.

RVtheni omnes postquam semel fidem Christianam Græcorum ritu, anno restitutæ per Christum salutis 924. susceperunt, sub Olha Ducissa & Volodimiro filio eius monarcha Russiæ, in eam ad hunc vsque diem vnanimiter fortiterque perseuerant. Quamuis quidam proceres Russiæ Polonorum subiectæ, doctrinam Lutheranam & Zuinglianam sequantur, sed vulgus omne, maiorque pars magnatum, & nobilium, fidem antiquitus Græcorum ritu susceptam, firmiter retinent. Sic quoque omnes regiones Russiæ, quæ alba dicitur, Moschorum principi subiectæ, Christianæ fidei, quam à Græcis susceperunt, vestigijs firmiter vnanimiterque insistunt. Vnus autem totius Russiæ metropolitanus olim erat Moschorum, Lituanorumque ducibus, regique Polonorum tributarius, qui sedem suam primò in Kiouia Russiæ Lituanorum metropoli ciuitate residebat, tandem in Volodimiriam, postremò in Moschouiam translata est. Cùm autem metropolitanus Moschouiæ septimo vnoquoque anno Russiam Lituanis subiacentem, caussa exigendarum pecuniarum inuiseret, ablataq; magna pecuniarum summa discederet, Vitoldus magnus Lituaniæ Dux, re considerata, prouincijs suis, ne thesauris exhaurirentur, consulere volens, episcopis, abbatibusq; Russiæ conuocatis, iudicio eorum metropolitam in sua Russia electo qui sedem suam Vilnæ (quæ est Lituaniæ metropolis) habet, in Basilica diuæ virginis, quæ Ruthenis, Precista, id est castissima dicitur. Hic autem metropolita

Metropolitanus Russiæ.

Metropolitanus Russiæ in Liuonia eligitur.

tarò Vilnæ commoratur. Est verò episcopus Vilnensis præcipuus, secundum ordinem ecclesiæ Romanæ, ipsa enim Vilna Romanum ritum sequitur: sed media pars Ruthenorum eam incolit, pluresque ecclesiæ in ea Ruthenicæ quàm Romanæ conspiciuntur. Porrò omnes metropolitæ Ruthenorum à patriarcha Constãtinopolitano autoritatem suam habent, & primò omnium episcoporum, abbatum, & totius ordinis spiritualis iudicio, & consensu metropolita eligebatur, sed nũc hanc autoritatem magnus Dux Moschouitarum sibi assciuit, suoq; iudicio metropolitam in Moschouia constituit.

A sancto Andrea apostolo Rutheni se fidẽ Christianam susscepisse iactant, adhuc ante Olham, & Volodimirum, quem ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Borysthenis fluuij, gentiliter *Dnepr* dicta, appulisse annales eorum testantur, & inde ad Kiouiam, tunc temporis metropolim Russiæ, aduerso fluuio peruenisse, atque ibi omnem terram Russiæ benedixisse, & baptizasse, signumq; crucis eum illic cõstituisse. Ex Kiouia tandem aiunt eum ad fontes Borysthenis Dneprisko dictos, peruenisse. Indeque in Nouogrodiã magnam, deinde per mare Germanicũ Romã vsq; nauigasse. Postremò in Peloponeso Græciæ, sub Ago huius nominis rege, propter Christum crucifixum fuisse. Archiepiscopi in toto imperio Moschorum duo sunt, vnus in Nouogardia magna, qui habet prærogatiuam infulam albam bicornem nostrorũ episcoporum more gestandi. Secundus in Rostouia. Episcopi sunt multi, videlicet Permiæ, Susdaliæ, Twerensis, Columniæ, Cernigouiæ, Rhesanensis, Smolenstẽsis, Pleskouiensis, &c. Vestes eorũ sunt

S. Andreas in Russia esse dicitur.

Archiepiscopi Moschouiæ & episcopi. Vestitus episcoporum.

Vestitus episcoporum.

sicut aliorum monachorũ, nigræ, nisi quòd aliquando sericeas ferũt, & præsertim pallium nigrum, quod habet à pectore tres fimbrias albas, ad similitudinem riuuli fluentis inflexas, quod significat, ex cordibus eorum riuulos doctrinæ fidei, & bonorum exemplorũ scatere. Metropolita autem, archiepiscopi, & episcopi, abbates, monachi, carnibus perpetuò abstinent. Prouentus necessarios ex prædijs & alijs extraordinarijs accidentibus & beneficijs habent. Arces verò vel ciuitates, & omnes administrationes seculares eis ademtæ sunt. Sed metropolita Russiæ Polono regi subiectæ, & alij episcopi villas ciuitatesque possident.

Monachi.

Abbates qui Igonomei, priores qui Archimendritæ dicuntur, & omnes monachi durissimas molestissimasq; leges, & regulas præscriptas habent, nullo solatij genere recreari eis conceditur. Omnes non solùm Principis, sed cæterorum nobilium mandatis parent: plures eorum ex monasterijs in eremum se conferunt, ibique in arctis tuguriolis, aut soli, aut cum socijs manent, victum de radicibus arborum, & varijs terræ herbis acquirunt.

Sacerdotũ regula.

In sacerdotij gradus hi tantùm promouentur, qui diu apud ecclesias seruierunt. In diaconum autem nemo consecratur, nisi vxorem habuerit, vnde interdum & matrimonio copulantur, & in diaconatum consecrantur. Præterea qui virgini stuprum aliquando obtulerit, aut vxorem suam primo concubitu vitiatam animaduerterit, in diaconatum non ordinatur. Mortua vxore sacerdos à sacris prorsus suspenditur, nisi monasterium ingressus iuxta regulam viuat, officijs etiam diuinis peragendis si castè viduus

duus vixerit, velut minister cum cæteris ecclesiæ ministris choro interesse potest. Si autem viduus sacerdos aliam vxorem (quod eis liberum est) duxerit, is munere sacerdotali priuatur, nihilque commune cum clero habet. Nullus sacerdotum monachorumve horas canonicas dicit, nisi habeat imaginem alicuius diui præsentem, quam etiam nemo nisi cum magna veneratione attingit. Qui autem eam in publicum profert, manu eam in altum extollit, quam omnes prætereuntes cruce se signantes, inclinando plurimùm venerãtur. Libros euangelij maxima veneratione prosequuntur, neq; eos manibus tangũt, nisi prius caput multoties inclinando, cruce se munierint. Omnes sacerdotes ex cõtributione quadam certa sustentantur. Assignantur etiam eis domunculæ cum agris & pratis, vnde victum suis vel famulorum manibus, more agricolarum acquirunt.

Sacerdotes Romanos confundunt, qui cælibem vitam ducere sese iuramento obstringunt, cùm sancta synodus quæ fuit in Gangra, scribat in quarto canone: Qui spernit sacerdotem secundum legem vxorem habentem, dicens quòd non liceat de manibus eius sacramentũ sumere, anathema sit, id eadem synodus dicit; Omnis sacerdos & diaconus proprijam vxorem dimittens, sacerdotio priuetur.

Habitu haud dissimili à secularibus vestiuntur, solummodo pileolum nigrum rotũdum, quo rasuram tegunt, gestant. Commam ad brachia protẽsam nutriunt, omnes baculos *Posoch* dictos, quibus innituntur, cum manubrijs incuruatis gestant.

Rutheni secundũ calẽdarium suum, plurima festa diuorum, non his diebus quibus Romani, celebrant.

Festa Ruthenorum.

Trinitatis festum celebrant feria secunda Pentecostes, in octaua autem Pentecostes festũ omnium sanctorum obeunt. Festum verò corporis Christi more Romanæ ecclesiæ non venerantur. Viri præstantiores peractis sacris, ebrietate & comessationibus festos dies consumunt. Ciues artifices q; diuinis peragendis interesse solent, quibus peractis laboribus domesticis, cæteris q; negocijs incumbunt, dicentes seriari & à labore abstinere, dominorum esse.

Nicolaum sanctum inter cæteros diuos præcipuè venerantur, eum q; diuino ferè cultu prosequuntur, templaque præcipua nomini eius dicata erigunt, de cuius plurimis miraculis frequenter prædicant.

Habent etiam in catalogo sanctorum Romanos quosdam pontifices, quos inter sanctos venerantur. Cæteros verò qui post eorum schisma fuerunt (quàdo à Romanis disiuncti sunt) execrantur, & pro hæreticis grauissimis eos habent, eosque schismaticos appellant.

Concilium sub Adriano papa.

In septimo enim generali cõcilio, quod sub Adriano papa celebratum est, conclusum esse dicunt, vt ea quæ in præcedentibus synodis constituta concluſaq; fuerint, in posterum quoque solida rata, acceptaque & perpetua teneantur, nec posthac cuiquã sub graui anathematis pœna aliud concilium celebrare aut accedere licere. In his autem septem concilijs hos pontifices Romanos fuisse constat, quos Rutheni interfectos venerantur, dignosque cathedra sancti Petri dicunt, ideo quòd secum sentirent. in prima synodo papam Syluestrum, in secunda Damasum, in tertia Celestinum, in quarta Leonem, in quinta Vigilium, in sexta Orphanium, in septimã Adrianum, omniaq; concilia & synodos, post hos septem prædictos synodos celebrata, maledicta, peruersa, & hæresi turpiter deprauata esse dicunt. Erat quidem metropolitanus Russiæ Isidorus nomine, qui sedem suam in Kiouia retinebat, is ad cõcilium Florentium, quod celebratum est sub Eugenio papa, venerat, vbi ecclesias Ruthenicas, abiectis Græcorum ritibus, cum Romana ecclesia vniuerat, tandem in Russiam reuersus, cùm propositum suum & rem iam concluſam Ruthenis proponeret, illosque ex verbo Dei ad vnitatem & concordiam fidei instrueret: captus omnibusq; bonis spoliatus, in carceres coniectus est.

Isidorus metropolitanus.

Doctores quorum dogmata Rutheni sequuntur, sunt hi: Basilius magnus, Gregorius Nazianzenus, & Ioãnes Chrysostomus, quem illi Zloto vsti, id est aureum os habentem, appellunt. Gregorij etiam pontificis Romani libros de moralibus scriptos habent.

Doctores Ruthenorum.

Sacrũ siue missã Sclauonica lingua apud illos peragitur, intermixtis etiam aliquando cantionib. Græcis, epistola & euangelium, quo magis à populo percipiatur, extra chorum in medio ecclesiæ astanti populo clara voce recitantur. Concionatoribus carent, satis enim esse putant sacris interfuisse, ac euangelij epistolarumque verbaque vernacula lingua recitat sacrificulus audiuisse, concionariq; in suis ecclesijs obstinatissimè prohibent, dicunt enim se hoc modo varias hæreses, & diuersas de fide opiniones effugere, quæ ex concionibus & subtilibus argumentis, sophisticisque quæstionibus oriuntur.

Sacrum.

Concionatoribus abstinent.

Panem ad sacrificandum hoc modo sacrificant: vnus eorum præparatum panem ad sacrificãdum in patena super capite, per minorem portã de sacrario

Consecratio panis.

egressus portat, alter verò coopertum calicem vino repletum, cæteris diaconis vel sacerdotibus imagines sanctorum, Petri, Pauli, Nicolai, vel Michaelis archangeli, magna populi circumstantis acclamatione & veneratione præferunt, quidam ex circumstantibus acclamant vulgari oratione, Domine miserere, alij fronte terram gentili more percutiunt, quidam se signo crucis frequentius caput inclinando munierunt, varia denique veneratione ac cultu circumlata signa venerantur. Postea finito circuitu per mediam chori portam sacerdotes in sacrarium ingrediuntur, sacrumque peragunt. Quoties se signo crucis muniunt, id manu dextra sic faciunt, vt frontem primùm, deinde pectus, mox dextram, ac demum sinistram pectoris partem punctis in formam crucis rangant. Quod si quis aliter se signo crucis munierit, hunc velut hæreticum obiurgant.

Gloriantur Rutheni se solos cum Græcis veros Christianos esse, Romanos verò & alios Christianos damnant & execrantur, tanquam primitiuæ ecclesiæ desertores, & septem sanctarum synodorum præuaricatores.

Baptismi sacramento Rutheni hoc modo vtuntur: nato infante sacerdos statim accersitur, qui antefores puerperæ habitationis, certas orationes dicere solet, infantique nomine imposito domum reuertitur. Postea puer in templum defertur, hocque modo baptizatur, in aquam immersus, chrismate quod in hebdomada, feria sexta Pascham præcedente, consecratum est, vngitur, deinde myrrha; postea capillos infanti sacerdos abscindit, eosque ceræ intricatos in ecclesia certo loco deponit. Sal autem & salinam Roma-

Romano more, cum puluere mixtam, inter baptizandum non adhibent, aquam verò baptismatis pro singulis infantibus consecrant, & continuò post baptismum in foueam ad id præparatam, eam effundunt. Fideiussores verò vel susceptores infantis, quoties circa baptismum sacerdoti interroganti, an Diabolo infans renunciaret, correspondent, toties in terram expuunt.

Confirmationis seu inunctionis sacramentum maximè abhorrent, hocque argumento vanam & damnabilem cõfirmationem esse ap,pbant, quòd in synodis omnibus ferè dictum sit, præcipuè verò in Nicena, confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, cùm autem vnum sit baptisma, vnum etiam esse chrisma, & virtutem eandem sacerdotis & episcopi circa sacramenta distribuenda, dicunt esse.

Opinio de animabus.

Purgatorium Græci & Rutheni negant, sed dicunt vnumquenque secundum opera sua, post mortem locum designatum habere, vbi diem iudicij extremi expectaret, pios quidem cum Angelis placidis in lucidis & amœnissimis Elisij viridiferis campis recumbere; impijs autem in obscuris, cæcis, nigrisque caligine obductis voraginibus, cum Angelis terribilibus destinatam esse mansionem, ad expectandam iudicij diem, vnde illæ animæ quæ in locis amœnissimis & splendidis, cum angelis placidis, benignisque collocatæ sunt, gratiam Dei sibi futuram cognoscunt, assidueque iudicium extremum fieri petunt. Aliæ contrà condẽnationem sibi imminere, & pœnas terribiles in caliginosis voraginibus sitæ præsagiunt, idque eò maximè allegant, quòd animæ post

mortem in cælum ſtatim non aſcendunt, neq; in infernum. Quibus enim illud verbum à Chriſto in nouiſſimo die diceretur: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum cælorum, &c. cùm iam omnes antea in cælo ſint: & cõtrà, ite maledicti in ignem æternum, cùm iam olim in inferno condemnati fuerint. Neq; etiam animam à corpore ſeparatam pœnis obnoxiam eſſe credunt, nam cùm anima ſe vitijs cum corpore ſimul contaminauerit, cum corpore etiam expiandam putant, quod ego Theologis diſcutiendũ relinquo. Funebre autem ſacrum pro defunctis ideo faciunt, quòd ijs ſuffragijs tolerabiliorem animabus locum impetrari ſperãt, vbi facilius extremum diem iudicij expectare poſſint. Imò etiam cùm aliquis magnæ autoritatis vir moritur, tunc Metropolitanus ue epiſcopus, epiſtolam ad ſanctum Petrum ſcribit, ſigillo ſuo & manu ſubſcriptione munitam, quam ſuper pectus defuncti ponit, dans teſtimoniũ de bonis pijsque operibus eius; vtque in cælum facilius poſt diem iudicij admitteretur, & Chriſtianæ religionis Catholicæ agnoſcatur, ſubſcribunt. Præterea a greſte vulgus circa mortuorum ſepulturam, varijs ceremonijs, & ſuperſtitioſis plerunque vtitur. Sepulturæ eorum in ſyluis, & vbi agris tumulos aggeſtis lapidibus muniunt, ſignumq; crucis ſuper imponũt. Loca pro ſepeliendis defunctis non cõſecrant, ajũt enim corporibus baptizatis, ſacramentisque Chriſti dicatis, & conſecratis, terram ipſam, & non corpora terra conſecrari.

Matthæi 25.

Mortuorũ ceremonie.

Spiritum quoque ſanctum à Patre tãtùm, & non à Filio procedere confitentur, ac Romanos dicentes credo in Spiritum ſanctum, qui à Patre & Filio procedit, confundunt, eosq; conformes hæreſi Macedoniæ & Arianæ dicunt, hac de cauſſa, quòd duo principia, duasq; voluntates de Spiritu ſancto, & duas virtutes adducerent, & honori Spiritus ſancti detraherent. Hic autem Rutheni non intelligunt vnam eſſe diuinitatis voluntatem, poteſtatem gloriam, & honorem. Sicq; ſecundum concilium Nicenum, contra Arium & Conſtantinopolitanum, contra Macedonium celebratum dicunt: Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Dominum verum & viuificantem, à Patre procedentem, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur.

IEIVNANDI MOS
apud Ruthenos.

RVtheni in ieiunio, prout in cæteris ceremonijs, à Romanis diſcrepant, quatuorque ieiunia magna, quibus carnibus abſtinent, habent. Primùm in quadrageſima ſeptem integris hebdomadis ab eſu carnium abſtinent. In prima aũt hebdomada, quam nos vltimam Bacchanalium dicimus, illi lactarijs & butyraceis cibis vtuntur, eamq; Maſina, quaſi butyraceam appellãt, reliquis verò ſeptem integris ſeptimanis ad Paſcha vſque etiam piſcibus abſtinent, oleribus, cauliculis, raphano, fungisq; cõtenti. Quidam etiam deuotiores Dominicis tantùm & Sabbatiuis diebus (quibus ieiunare peccatum putant) cibum ſumunt, reliquis diebus niſi fruſtulo panis in meridie confortati ab omni cibo abſtinent. Alij die Dominico, feria tertia, quinta & ſeptima, cibis coctis veſcuntur, reliquis fruſtulo panis, cum aqua fermentata ſumto, totis diebus inediam tolerant.

Ieiunium Petri.

Secundò ieiunant post octauam Pentecostes vsq; ad ferias Petri & Pauli apostolorum, appellantque hoc ieiunium diui Petri.

Ieiunium diuæ Virginis.

Tertiò à prima Augusti vsque ad assumtionem beatissimæ virginis Mariæ, ieiunio se macerãt. Quartò sex septimanis in aduentu Domini carnem & butyrum abhorrent, vocaturque hoc ieiunium Philippi, inchoatur enim sub festum Philippi secundũ Rubthenicum calendarium. Omnibus verò diebus sabbatiuis (exceptis temporibus ieiunij) carne vescuntur. Sed feria quarta & feria sexta grande peccatum carnibus vti credunt, ita, vt si Petri & Pauli, assumtionisque Mariæ festum feria quarta vel sexta contigerit, tum ea quoq; die carnibus nõ vesci peccatum putant, Romanosq; hac de caussa maximè redarguunt, argumento Clementis pontificis Romani id comprobantes, qui dicit in statutis Apostolorum canone LXIIII. Si ecclesiasticus die Sabbato vel Dominico ieiunans inuentus fuerit, exceptis ieiunij Sabbatis ab ecclesia præscriptis, sacerdotio degradetur, si autem secularis homo fuerit, excommunicetur, & ab ecclesia seiungatur. Nullius sancti vigiliam ieiunio venerantur, præter sancti Ioannis Baptistæ, quam vigesima nona Augusti die (ex præscripto calendarij sui) celebrant.

Ieiunium Philippi.

Monachi grauioribus ieiunijs præ cæteris onerãtur, qui aqua fermentata cum frustulo panis semel in die sumta, contenti esse coguntur.

CONFITENDI MOS.

CIrca Paschatis festum Rutheni præcipuè confiteri solent, hoc modo: Confessor vnà cum confitente in medio templi stat, magna cordis cum deuotione, contritioneque ad imaginem alicuius diui vultu reuerenter conuerso, postea confitenti secundum peccati grauitatem iniuncta pœnitentia, ante ipsam imaginem confessor & confitens magna cum deuotione reuerenter sese inclinant, signoque crucis frequentius frontem pectusque & brachia mutuentes, alto cum gemitu cõsuetam orationem proferunt: Iesu Christe Fili Dei viui miserere nostri. Quosdam etiam qui grauius aliquid deliquerint, aqua sacrata abluunt, quam in Epiphania Domini toto fluuio vel stagno (secundum morem) consecrato hauriunt, & pro abstergẽdis noxialibus delictis, per integrum annum in templo reseruant. Quibusdam verò pro pœnitentia ieiunia & breues facilesq; orationes iniunguntur. Dominicam enim orationem perpauci ex vulgo sciunt, dicuntque orationem Dominicam scire, dominorum & sacerdotum, qui nullis laboribus occupantur, opus esse. Confessionem etiam quamuis ex præscripto habeãt, eam tamen ad dominos pertinere, agrestes dicũt, sibi autem in Deum, & filium eius Iesum Christum, & Spiritum sanctum simpliciter credere, satis esse. Hacque oratione omnes Rutheni promiscuè & peculiariter vtuntur: Iesu Christe Fili Dei viui miserere nobis.

Aquæ consecratio.

SACROSANCTÆ EVCHARISTIÆ VSVS.

SAcramento Eucharistiæ Rutheni sub vtraq; specie vtuntur, aliud autem pro infirmis, & aliud pro communicantibus, secundum consuetudinem habent. Pro infirmis sacramentum in hebdomada

magna ante Pascha, die Iouis consecratum, in vase mundo per integrum annum seruatur. Dum autem id sacerdos pro infirmo daturus est, tum parum vini & aquæ tepidæ addit, portiunculamq; bene humectatam ægroto cochleari de calice porrigit. Si autem puer infirmus fuerit, adeò vt non possit de pane immere, tunc infunditur ei gutta vini consecrati in os de calice. Pro communicantibus verò secundum consuetudinem, sacramentum dum sacrum liturgia peragitur, cõsecratur, quod sacerdos cochleari ex calice in portiunculas minutas redactum, & vino commixtum, communicantibus distribuit. Præceptum communicandi tempus ante festum Paschæ, (vel quotiescunque aliquis voluerit modò confessus sit) habent. Pueros qui septem annos transgerint, ad sacramẽtum admittunt, dicuntq; hominem septennio transacto contra Deum peccare incipere.

Duplex apud Ruthenos Eucharistia.

Porrò omnes Rutheni pane fermentato, & non azymo (prout Romanæ ecclesiæ mos est) vtuntur, idque hac ratione approbant, quia Iudæi in memoriam liberationis suæ ex Ægypto, secundum mandatum diuinum azymis vtuntur, se verò semel Christianos factos nunquam in labore Ægyptiorum fuisse; ideo de huiusmodi Iudæorum azymis, Sabbato & circũcisione obseruandis, se liberos esse dicunt, si enim aliquis sequatur vnum ex illis (Paulo attestãte) totam legem adimplere tenetur. Eundemque Apostolum dicentem: Fratres, ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quia Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixit, &c. de pane fermentato & non azymo dixisse intelligunt. Eo enim tempore nec azyma nec Pascha esse, cùm Dominus cœnaret,

Nõ azymis Ruthẽni, sed fermentato pane vtuntur.

cœnaret, dicunt. Idque hoc argumento maximè approbant, quia Iudæorum pascha stando fit, & comeditur secundũ legis præscriptum, hoc autem in cœna Christi non erat (vt Euangelista dicit) recumbentibus eis duodecim, &c.

Item & discipulus recubuit super pectus ipsius in cœna, &c. Quod etiam Christus dicit ibidem: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, non de Iudæorum Pascha eum dixisse sentiũt, quod antea semper comedebat cum Apostolis. Neq; azyma Christum Apostolis dedisse, sed panem fermentatum credunt, cùm dicit: ecce panis quem ego do vobis. Similiter ad Iudam: cui ego dabo panem intinctum, ipse traditurus est me.

Romanos autem in azymis communicantes cõfundunt, dicẽtes eos Iudaicos ritus obseruare, in hæresiq; Iuliani Apolinaris Laodicẽsis, & Pauli Syrij Samosatensis, Machometi, Eutychij, & Diasterij amabulare, qui erant in sexta synodo deprauatissimi hæretici, & spiritu diabolico repleti.

Mulieres autem apud Ruthenos panem ad sacrificandum Proskura dictum cõficere solent. Seligunt autem ad id mulieres prouectæ ætatis, quæ mensibus patiendis amplius non sunt obnoxiæ, præcipuè verò viduæ sacerdotum relictæ, id muneris obire solent.

DE MATRIMONIO.

ITa Rutheni matrimonium contrahunt, vt quartum cõsanguinitatis gradum non attingant. Terciam ducere vxorem viro vix concedunt, & non admodum legitimum matrimonium esse putãt. Quartam verò nec concedunt, neque etiam Christianum

esse iudicant. Pro adulterio non computãr, si vir habens vxorem cum soluta concubuerit, excepta vxore alterius.

DIVORTIA inter se frequenter celebrant episcopis permittentibus, literasq; repudij dantibus.

Quidam etiam agrestiũ, quibus ad episcopos propter longam itineris distantiam aditus difficilis est, diuortium tali modo (more gẽtili antiquitus obseruato) peragunt, cùm sibi vir & vxor vtrinque displicent, tunc extra pagum in triuium ambo prodire solent, mantili accepto, quod inter se manibus vtrinq; tenendo per medium discindunt, hocq; inter se diuiso, matrimonium etiam inter se diuisum esse putant, & vxori repudiatæ vir dicere solet, vade tu hãc, ego illac pergam. Sed hic peruersus diuortij modus nunc prorsus abolitus est.

Diuortium.

Hoc autem ritu matrimonium inter sponsam & sponsum contrahitur. In primis mẽsa in medio templi adornatur, ingredientibusq; templum sacerdos præcedens certas recitat orationes, deinde propatriarcha metropolitano, episcopis, & toto clero, pro monarchaq́ue suo, & omni ordine equestri, & plebeio, qui ritus suæ fidei sequuntur sigillatim sacerdos cum diacono clara voce orant. His peractis sponsus & sponsa mensam præparatam accedunt, in linteoq; secundum morem pedibus substrato vterque stat. Postea sacerdos ex præscripto an alicui olim nó sponderent interrogat, stolaq́ue manus vtriusq; annulos commutans, colligat. Deinde coronas ligneas vel ex tiliæ libro pictas ad id muneris in ecclesia reseruatas capiti vtriusque imponit, dicens: Posuisti Domine coronam super caput eius de lapide pretioso,

Sponsalium ritus.

tioso, &c. Euangeliumq́ue de nuptiis in Cana Galilææ celebratis, recitat. Deinde panem & ceruisiam consecratam desponsatis ad prægustandum porrigit, postea stolam (qua sacerdotes collo appensa vti videmus) sponsus & sponsa ab vna parte, & sacerdos ab altera tenent, sacerdotemq́ue præeuntem sequuntur, hæc verba dicentem: Circuite populi Sion, & date gloriam nomini Dei altissimi, terq́ue mensam circumeuntes loca sua occupant, & sacerdos psalmum Miserere nostri Domine secundum magnam misericordiam tuam, &c. recitat; suffragiisq́ue pro omnibus, tam spiritualibus, quàm secularibus Deo persolutis de templo egrediuntur.

DE EXPEDITIONE BELLICA.

Caput III.

MAgnus Moschorum Dux ingentem exercitum longo tempore sustentare potest, neque enim militibus suis stipendia largitur, sed agros illis exiguo pretio elocat, quo beneficio operam militum demeretur. Conscripti autem milites coram magno Duce singuli cõparent, & nummum vnum, quem patrio nomine Denga vocant, æstimatione vnius grossi Polonici principi dant, reuersiq; ex bello eundẽ nummũ repetunt, occisorũ verò nũmismata princeps retinere solet, atq; ita occisorum numerum cognoscit.

Numerus occisorum quomodo cognoscitur.

Nobiles autem omnes, magnates & cõsiliarij adeò dura seruitute premuntur, vt quemcunque apud se in aula esse velit, vel in bellum ire, aut legationem aliquam obire iusserit, id sumptibus suis facere cogitur. Quando autem aliquem magni nominis virum ad bellum proficisci iubet, literas suas ad illum mandatorias mittit, si autem vel prandens, vel cœnans,

dormiénsve præuentus fuerit à tabellatore Magni
Obedientia. Ducis, literasque quibus ad bellum proficisci iubetur acceperit, continuò à prandio lectóve surgens, equum tabellatore inspiciente armatus ascēdit, mandatumque principis se exequuturum præbet, atque sic omnes qui per facultates rei familiaris possūt, sumptibus propriis militant.

Per singulas quoque prouincias magnus Duxsilios nobilium tenuioris fortunæ conscribere solet, vt numerum illorum & quot quisque equos ac seruitores habeat, cognoscere possit, is singulis exiguum stipendium annuum concedit, & in bellum proficisci iubet.

Frequenter Moschi belligerant. Omnibus autem nobilibus propriis sumptibus militantibus raròquies datur. nam frequenter bella aut cum Lituanis, Liuonibus, Suetensibus, vel Tartaris Præcopensibus, Turcis aliisque finitimis gentibus gerit, in arcibus quoque campestribus Tartaris finitimis, qui Crimsci, Præcopsci, Nokeyscique dicuntur viginti millia hominum, vel plus singulis annis locare solet. Omnes denique & singuli tam stipendiarij, quàm principis gratiam expectantes in bellum propriis sumptibus ire coguntur. Non huiusmodi autem sumptibus prout apud nos Moscho uitæ in bellum expediuntur, nam quicunque nobilium habet sex equos & totidem seruos, vnū equum, qui vitæ necessaria fert, ex iis habet, in primis verò milium siue pultes contritas in sacculo habet, deinde suillæ carnis aliquot frusta, & sal in sacculo, si verò ditior fuerit sal commixtum pipere solet habere, hos autem sacculos cum leguminibus super equum ad id delectum circumligat. præterea vnusquisque secum

Victus bellicus Moschorum.

cum fert lebetes, ollas cupreas siue æreas, cistellasq; ephippio alligatas, cumque necesse est ignem accendunt, ollamque magnam aqua replent, in quam milij tantùm vnum cochlear, vel pultium imponūt, saleque conditum coquunt. Aliquando autem cùm lautius aliquis eorum epulari vult, tum frustulū parvum carnis suillæ injicit, hocq; cibo dominus interdum cum sex seruis contentus viuit. quòd si dominus famelicus nimiùm fuerit, totum consumit, serui autem aliquando ad totū biduum triduúmve ieiunant. Farinam etiam de auena subtiliter commolitam habere solent, cuius aliquot cochlearia pransuri in cistellam imponunt, modicoque aquæ distillatam cōcedunt. Cùm autem habent allium & cepas, tum facilè cæteris leguminibus carere possunt. Duces verò exercitus, & cæteri militiæ præfecti lautius epulantur, tenuiorisque fortunæ nobiles ad prandium inuitare solent.

Moschouitæ tormentis bellicis, & bombardis peritatuque nunquam olim ante annos 40. vtebantur, nunc autem frequentissimè & peritissimè bombardis & tormentis vtuntur, à profugis quibusdam Italis, Germanis, Lituanisque instructi, arcesque egregiè (dictu mirum) propugnant. Campestri verò certamine cū Polonis & Lituanis rarò confligunt, semper enim ab eis fundūtur, solaq; agilitate & industria externi Moschouitas vincere solent. nam omnes ferè dimicare, armisq; artificialiter decertare imperiti sunt, exceptis quibusdam magnatibus, iisq; perpaucis. Cauendum aūt est cum Moscho congredienti, vt armis scitè vtatur, ne in manus eius incidat: brachiis enim lacertis, & toto corpore robustissimi sunt, sed

Quomodo cū Moschis dimicandū.

arte dimicandi plurimum vincuntur. Tam aũt robusti sunt, vt cum vrsis indomitis & efferis absque vllo genere armorum, solis viribus confici sæpius cõgredi audeant, vrsumq; per aures arreptum tam diu fatigant, donec prorsus debilitatum prosternant.

Arma Moschorum.

Hæc præcipua arma sunt, quibus Moschouitæ in bello vtuntur, pharetra sagittis referta, arcus, securis, framea, cæstus, cultelli oblongi, quibus frequenter pro pugionibus vtuntur. Multi quoq; lanceis præcipuè pedites, equites autẽ aliqui hostilibus breuioribus vtuntur, ab Vngaricis & Polonicis dissimilibus. Armantur autem loricis oblongis aliquando duplicibus, armillis, thoracibus, galeisq;. Equos paruos cæstratos soleis carẽtes habent, frena leuissima, ephippiis quoque in eum vsum accommodatis vtuntur, vt se in omnes partes absque impedimento vertere, arcumque intendere facilè possint. Pedibus curtè attractis equis insidere solent, adeò vt nullum hastæ lanceæve impetum sustinere queant. Flagello plerique & cõmuniter, calcaribus verò paucissimi vtuntur. Communiter vestibus oblongis ad talos vsque protractis bombyce, lanáve suffertis vtuntur. Colloca

Castra Moschorum.

ndis castris amplissimum locum eligunt, vbi fortè locus natura sit munitus ea non curribus, sed vepribus, sentibus, arbustisque circumtexunt, in muri similitudinem, præstantiores in medio tentoria sua erigunt, reliquæ verò multitudinis vulgus ex arbustis casas conficiunt, quidam etiam arbusculas siue arborum frondes, in modum arcus incuruant, desuperq; pennulis tegunt, equos ad pascua pellunt, quorum caussa tam latè disiuncta castra collocant. Tempore co[illegible]ctus tubicines multos habent, ij dum gentili more

more omnes insimul dissonante melodia tubas inflant, mirus ac inusitatus quidam clangor auditur; cõmissuri cum hostibus certamen plus spei in multitudine, quàm robore militum ponunt, semperq; eminus hostes à tergo adorire & circumuenire student, sed campestre certamen rarissimè eis prosperatur, plurimis enim & diuersis armis se verius onerant, quàm armant; externi verò cõsilio magis, quàm armis tecti paruis copiis cum eis congrediuntur.

Arces & omnes munitiones strenuè & obstinatissimè propugnant.

DE CONSVETVDINE MORIBVSQ; MOSCHOVITARVM.

Caput IIII.

HÆc omnis gens Moschouitica siue Ruthena, magis seruitute quàm libertate gaudet, cuius egregium executorem principem proprium habent. Omnes enim passim cuiuscunque conditionis sint, (nullo respectu personarum habito) grauissima seruitute premuntur, prout inferius in gestis moderni principis dicetur. Nobiles, magnates, præfecti, primoresq; & consiliarij omnes *Chlopos* se, id est abiectissimos & vilissimos seruos magni Ducis fatentur, & bona sua omnia mobilia & immobilia, quæ propriè possident, non sua, sed magni Ducis esse dicunt. Vt autem equester ordo à magno Duce, sic etiã plebeius ciuilisq; à nobilibus & magnatibus grauissimè premitur: colonorum enim bona & ciuium, militũ, & nobilium prædæ exposita sunt, & per contemptum nigri homines, siue Christiani cõmuniter appellantur. Sex dies coloni in septimana dominis

Seruitus Moschouitarum.

suis laborant, septimus verò dies priuato labori conceditur, neq; hi strenuè laborant, nisi bene verberati. Habẽt autem à dominis suis certos attributos agros, & prata, ex quibus viuunt, tributaq; annua soluunt. Artifices secundum præscriptum paruo laborem suum vendunt. Cumque annonę caritas in pretiũ concedit, tunc artifices exiliori tenuioriq; in pretio sunt, adeò vt vix panẽ ipsum pro labore vnius diei (quamuis strenuo) acquirere possint. Ciues quoq; & mercatores grauissimis & intolerabilibus tributis, & exactionibus adinuentitiis onerantur, quas hîc recensere longum esset. Quòd si magnus Dux aliquem mercatorum argenti aurive paulo ditiorem à delatoribus (quorũ plena curia est) resciuerit, tunc eum sibi præsentari iubet, & crimine falso commentito dicit; delatum est ad nos tuum scelestę facinus, ideo vt criminosus punieris. si autem accusatus obtestaretur se innocenter accusatum, tum magnus Dux respondere solet anima testium, qui te accusauerunt, sciant, mea verò nihil refert. Confestim ergo iussu principis arripitur, & tamdiu verberatur, donec prę-scriptam summam monetæ argenteæ, magno Duci numeret.

Debita exigendi mos.

Est aũt hic mos apud Moschouitas receptus, quòd omnes debitores, qui alienum æs conflauerunt, non habentes vnde creditoribus suis redderent, ex legis præscripto in locum certum & publicum, ad id ordinatum ducuntur, ibique à seruis prætorianis flagris, baculisque per suras & crura pedum, grauiter absq; vlla misericordia cędūtur, tam diu donec vndecunque accipiẽdum sit, creditoribus sua reddere coganbus

bus multotiens exagitati creditoribus secũdum valorem debiti seruire coguntur. In hunc quoque locum omnes coram magno Duce, per contumeliam accusati ducuntur, & si ditiores fuerint, cuiuscunque conditionis, tam diu verberantur, donec imperatam pecuniam (quamuis vnquam debitam) magno Duci soluant. Omnes communiter seruos emptos aut captiuos habere solent, quos morituri frequenter manumittunt. Illi tamen continuò seruituti assueti, aliis dominis pecunia accepta in seruitutem se vendunt.

Liberi etiam serui, qui dominis suis pro pretio seruiunt, non possunt quando velint à dominis se abdicare: si enim absque domini voluntate aliquis abierit, ab alio domino in famulatum non assumitur, nisi fuerit à domino, cui primò seruiuit, vel ab amicis se pro fidelitate eius obstringentibus commendatus.

Ius patris in filium.

Pater etiam habet potestatem filium quater vendendi, ita vt semel venditum quocunq; tandem modo liberatum, vel manumissum, rursus atque iterum iure paterno eum vendere possit. Post quartam autem vẽditionem nihil iuris amplius in filium habet.

Verbera seruis cara.

Seruitores in dominos suos plerumque conqueruntur, quòd ab eis probè non essent verberati: credunt enim se dominis displicere, signumq; indignationis esse, si non frequentius verberentur, obiurgarenturque.

Mulierum conditio.

Prout autem viri à magno Principe seruitute aggrauantur, sic etiam apud viros suos mulierum conditio miserrima est: nulla enim honesta & pudica creditur, nisi domi concluſa viuat, adeò vt nusquam exeat, domi autem manentes telam fabricant, & fila nent, nihil prorsus iuris authoritati suæ in ædibus ha-

bent, omnes enim labores domesticos seruiabsol-
uunt, non verberatæ à maritis plerunq; conquerun-
tur, & odiosè prosecutas dicunt, verberaque signum
amoris putant. Basilicas ratò, rarius etiam ad amico-
rum colloquia, commessationesque, nisi omni suspi-
cione carerent, vtpote effectæ admittuntur. Certis
tamen & festiuis æstate diebus, hanc prærogatiuam
exhilarandi animi gratia habent: Omnes commu-
ter cum filiabus in campis viridiferis deambulat, ibi-
que super quadam trabe, duabus fines trabis occu-
pantibus, alternatim sursum ac deorsum mouentur,
aut frequētius funem in medij circuli modum duo-
bus stipitibus appendūt, desuperque insidentes hinc
& inde impulsæ feruntur. Postea quibusdam certis
cantilenis manibus pedibusque complodentes, ca-
pitibusq; frequentius mouentes sese oblectant, vel
manibus se inuicem tenentes, & simili modo canen-
tes choreas in gyrum ducunt. Hæc autem consueue-
do præcipuè circa festum Petri & Pauli apostolorum
aliquot hebdomadis, ab omnibus Ruthenis promis-
cuè obseruatur.

Ædificia. Ædes ferè omnes apud Moschouitas, tam in pagis
quàm in ciuitatibus insubædificatis prōptuariis cel-
lariisq; supernè locantur, ad quas per gradus ascen-
ditur. Quamuis autem vestibula ædium satis ampla
& alta habeant, fores tamen habitationum humilli-
mas faciunt, ita vt ingressurus quispiam inclinare &
demittere se cogatur. In singulis habitationibus ima-
Imagines domestica. gines diuorum in tabulis pictas loco honorificētio-
re sitas, habent; præcipuè autem diui Nicolai, passio-
nis Christi, Mariæ virginis, & S. Petri: hasq; maximo
honore prosequuntur, & pro penatibus venerātur.

Cùm autem vnus alium accedit, ingressus habitacu-
lum non statim dominum domus salutat, sed conti-
nuò caput aperiens, vbi imago sit diligenter circum-
spicit, quā visa, cum magna reuerentia, ter se crucis
signo caput inclinando munit, dicens: Iesu Christe
Fili Dei viui, miserere nostri. Postea porrectis sibi *Hospitalitas.*
manibus alterutrum sese inuicem salutātes deoscu-
lantur, capitaque more patrio frequentius inclināt,
id autem tam viris quàm mulieribus peculiare est, in
congressu de omni consanguinitatis familia alteru-
trum percontari, an rectè pater, mater, vxor, filij, fra-
tres, &c. valeant, post vnamquamque interrogatio-
nem, & responsionem caput multoties inclinantes,
maximeque mutuò se inspicientes obseruant, vter
magis se inclinaret, & ita frequentius caput alterna-
tim inclinando de honore concertant: hospes tan-
dem discessurus ter se signat cruce priora verba re-
uerenter proferens, salute alterutrum data, abit. In *Honoris cupiditas.*
honore captando venandoq; mirabilibus & super-
stitiosis ceremoniis vtuntur. Tenuioris etiam for-
tunæ hominibus intra portam alicuius præstantio-
ris viri equitare nō licet. Insigniores domini & con-
siliarij, vulgares etiam nobiles intra priuatos parie-
tes quotidie delitescunt, & in publicum rarius pro-
deunt, eò quò maiorem authoritatem suique obser-
uantiam apud populum captarent, nullusque nobi-
lium ad quartam vel quintam domum pedes pro-
greditur, (quod & Lituani quidam assuescere cœpe-
runt) nisi equus subsequatur, idque non propter vs-
sum, sed ostentationis caussa faciunt. Nobilis quam-
uis egenus & pauper fuerit, tamen ignominiosum si-
bi putat, si manu laboraret.

Cùm

Præfectorum pauci authoritatem habent, vltimo supplicio reos plectendi, omnes enim causſę & controuerſiæ in Moſchouiam ad magnum Ducem conſiliariosque ſuos deferuntur. Ex ſubditis nemo aliquem torquere audet, cuiuſuis enim cõditionis malefactores magnus Dux vel conſiliarij principales morti adiudicare ſolent. Pauperibus non ſemper patet ad magnum Ducem aditus, ſed ad conſiliarios, ilque difficillimus, vnde omnis iuſtitia magna ex parte tenuioribus venalis fit.

Malefactorũ iudicia.

Conſul ſiue prætor, qui perſonam iudicis obtinet, à magno Principe in vnaquaque principali ciuitate ordinatur, gentiliter *Ocolnik* dictus.

Veſtibus omnes oblongis abſque plicis ad talos demiſſis vtuntur, præcipuè verò lazurini vel albi coloris. Pileos albos apicatos cruſtatosque ex lana coacta geſtant, ocreis omnes ferè rubeis, iisque breuioribus, quæ genua non attingunt, vtuntur, quarum ſoleas in digitis paululum erectas clauiculis ferreis muniunt: induſia variis coloribus ſericeis circa collum exornata apud præcipuos, auro intertexta geſtant, eaque monilibus, gemmis, vnionibus, ſeu globulis argenteis, aut cupreis deauratis exornãt. Crucesargenteas, vel aureas lapidibus pretioſis exornatas præſtãtiores; vulgus verò ferreas, vel cupreas pro ſacramento quodam collo appenſas geſtant.

Habitus Moſchorũ.

Omnes autem & ſinguli ſuæ conditioni veſtibus conuenientibus ex præſcripto mandatoque magni Ducis vtuntur: nam tenuioris fortunæ vulgarisque familiæ hominibus veſtes pretioſiores elegantioresque, ſub graui pœna prohibentur. Si autem aliquem humilioris familię virum elegantius veſtitum conſpiciunt, proditorem perfidumque eum appellant, & ſuſpicionis notam ei inurunt, dicentes: perfide vnde tibi talis veſtitus, more dominorum (Polonos enim & Lituanos dominos appellant) veſtiris, & ad eos deficere perfidioſè moliris, tu enim pro huius veſtis pretio non ſufficis. Statim ergo accuſatus grauiſſimè vt ſuſpicioſus punitur. Alius itaq; tenuioribus nobilibus, alius conſiliaribus & magnatibus, alius ciuibus & colonis habitus eſt præſcriptus, ſecundum vniuſcuiuſque dignitatem, conditionem & rei familiaris opulentiam.

Secundum conditionẽ perſonarum habitus.

In theſauro etiam magni Ducis veſtes plurimæ elegantes, ad id ſunt repoſitæ & confectæ, vt cùm aliquando triumphus celebratur; vel cùm legatus alicuius principis excipitur, tunc omnibus & ſingulis aulicis ſuis magnus Dux illas veſtes ad tẽpus accommodat. Cæteri quoque nobiles ad conuiuia amicorum nuptiaſve celebrandas profecturi, vel ſi alicuius diui feſtum ſolenne occurrerit, tunc volentes ſolennius elegantiusque veſtiri, de magni Ducis theſauro veſtes ſibi accommodant, certo pretio ſecundum temporis ſpacium pro vſura veſtis attributo, & deinde eaſdem abſque detrimento cum vſura præſcripta theſaurario reſtituunt. quòd ſi aliquantulum veſtis commaculata fuerit, tunc vſurpatur ſecundum æſtimationem pecuniam pro ea numerare cogitur, verberibusque ne id in poſterum admitteret, corrigitur. Ad regem Poloniæ etiam, vel ad alios exteros principes, Moſchouię princeps oratores miſſurus, omnibus aulicis & nobilibus cum legatis proficiſcentibus, veſtes ſolenniores, arma, & id genus ornamentorum ex theſauro ſuo ad vſurpandum ſub prætextu

Veſtes magnus Dux copioſas habet pro ſuis aulicis.

Legatorum expeditio.

soluendæ vsuræ accommodare solet, administratorque horum substituitur, qui omnia ornamenta vnicuique secundum ordinem, quotiens opus fuerit, distribuit, rursusque ea ab eisdem recipit & reseruat: ex legatione tandem reuersi certam pecuniam pro vsurpatione vestium & cæterorum ornamentorum secundum pactum magno Duci numerant, vestesq; restituunt: quòd si aliquis ornamentum accommodatum commaculauerit, tunc verberibus emendatus, illud soluere cogitur.

Hic mos apud omnes Ruthenos & Moschouitas, quotānis certis diebus obseruatur, adolescētes, pueri, plurimique viri vxorati, extra ciuitatem pagumve in locum amplum & eminentiorem confluunt, vnde ab hominum congregatione videantur, ibiq; quibusdam sibilis & vociferationibus (secundum gentis morem) signo dato, concurrunt, manusque absque vllo armorum genere conferunt certamen, pugnis, pedibus, magno cum impetu faciem, pectus, ventrem, & genitalia vtrinque quatientes, ineunt, sæpeque inde semiuiui plerunq; etiam mortui exportantur. Hoc autem certaminis genus ideo institutum dicunt, vt adolescētes assuescant verbera pati, & quoscunque impetus perferre.

DE MAGNI MOSCHOVIÆ DVcis, Ioannis Basiliadis tyrannide. Caput V.

ABsoluto breuiter situ regionum Russiæ, magno Moschouiæ principi subiectarū, religione, moribus denique, & consuetudine gentis, de moderno principe Moschouiæ Ioanne Basiliade, eiusq; tyrannide quædam dicenda nobis restant. Sed antequam rem ipsam aggrediemur, pauca de titulo illius quo vtitur, lectori haud aspernanda præponemus.

A tempore Ruriczk primi Nouogrodiæ magnæ Ducis, de quo superius dictum est, omnes ferè principes Russiæ non alio titulo quàm magnorum ducatuum, Wolodimiriæ vel Nouogrodiæ magnæ, vel Moschouiæ vtebantur, vsq; ad Basilium Ioannis Magni, patrem moderni principis Ioannis Basiliadis, de quo hoc nostrum propositum est. Hic enim Basilius rebus suis feliciter procedentibus, & filius eius post eum modernus princeps titulum & nomen regium plurimorumq; magnorum ducatuum sibi vendicarecœperunt, in hunc modum: Nos magnus Dominus, Rex, & magnus Dux totius Russiæ, Ioannes Basiliades, magnus Dux Wolodimiriæ, Nouogrodiæ magnæ, Moschouiæ, Pskouiæ, Smolenskiæ, Thwerlæ, Iugariæ, Permiæ, Viatkiæ, Bulgariæ, Rex Casanię, Astrahaniæ, dominus & magnus Dux Nouogrodiæ inferioris, Czernihouiæ, Rezaniæ, Wolochdiæ, Rsoluziæ, Bielloiæ, Rostouiæ, Iaroslauiæ, Poloczkiæ, Bielueriæ, Liuoniæque, & magnarum regionum, Orientem, Meridiem, Septentrionem, & Occidētem versus, dominus legitimus, hæres & successor. *Titulus Moschouia ducis.*

Nunc autem multi eum imperatoris titulo, præcipuè verò Germani venerantur, qui deductionem verbi *Czar* Slauonicæ linguæ ignorantes, pro rege imperatorem ponūt. Quid igitur hoc nomen *Czar* in Slauonico sonaret, breuiter exponemus. *Czar*, hoc verbum in Ruthenico idiomate, regem, *Czarstuo* verò, regnum significat, & hoc nomine Mo- *Czar dictionis regē significantis expositio.*

schouitæ principem suum, regem totius Russiæ appellant. Cæteri autem Slauones, vtpote Poloni, Bohemi, Lituani, & cæteri, qui ab idiomate Ruthenico diuersi sunt, alio nomine regem appellant, scilicet Krol, alij Korol, & Kral, hoc verò nomine Czarlûm imperatorem appellari existimant, vnde & Rutheni ipsi Moschouitæque, audientes ab externis nationibus hoc nomine imperatorem significari, & ipsi principem suum imperatorem Russiæ appellare coperunt, nomen Czar dignius esse, quàm regis (licèt idem sonet) putantes. Sed in omnibus Ruthenorum tam sacris, quàm prophanis literis, Czar regis, Kesar verò imperatoris nomen repræsentat. Sic quoque rex Thauricæ Tartarus, Præcopensis Czar, id est rex nuncupatur, & omnes reges Tartarorum hoc nomine efferuntur, sed plurimi ignorantia huius vocis decepti, omnes reges hoc nomine Czar vocatos, Cæsares, hoc est imperatores esse putant. Alij quoque principem Moschouiæ album Cæsarem, præcipuè verò subditi sui appellant, id est regem vel imperatorem Russiæ Albæ. Russia etenim, vt suprà dictum est, Moschorum duci subiecta, Alba dicitur; ea verò cui Polonorum rex præest (quamuis & Albæ partem possideat) Nigra appellatur Russia. Vel etiam ideo dictum esse regem Album Moschorum principem existimo, quòd incolę omnium regionum ipsius imperio subiectarum, vestibus albis & pileis plerumq; vtantur. Porrò Basilius moderni principis parens, ad Romanum pōtificem & imperatorem, ad reges itidem Daniæ & Sueciæ, magistrumque Liuonię, & ad Turcam scribens, regis titulo vtebatur. Ad regem autem Poloniæ nunquam regis, nisi magni Ducis titulum

lum præsumebat. Nunc verò præsens magnus Dux Moschouiæ, & ad regem Poloniæ (quod pater nō faciebat) regis titulo vtitur, sed à Polono nūquam, nisi magni Ducis titulo honoratur.

Hic princeps Moschouiæ Ioannes Basiliades imperio quod in suos exercet, omnes facilè vniuersi orbis monarchas superat: nam authoritate sua (vel potius tyrannide) tā in spirituales, quàm in seculares, & cuiusuis conditionis homines vtitur, liberè & ex voluntate sua de omnium & vita & bonis (nemine obstrepente) constituit. Consiliariorum enim nullus est apud eum tantæ authoritatis, qui dissuadere, aut sibi in re aliqua quamuis iniustissima resistere audeat. Omnes denique tam proceres, quàm consilia rij, & totus equestris & spiritualis ordo, fatentur publicè voluntatem sui principis, voluntatem Dei esse, & quicquid princeps quamnis perperam egerit, ex voluntate Dei agere. Ob id etiam clauigerum & cubicularium executoreḿque voluntatis diuinæ eum credunt esse. Vnde & princeps ipse si quando preces consiliariorū interponuntur ad se pro re aliqua idonea, respondere solet, cùm Deo placuerit, vel si Deus iusserit, faciam. Ita quoque si de re aliqua incerta & dubia Moschouitas interrogaueris, communiter secundum consuetudinem respondent, Deus nouit & magnus Dux, vel, Deus sic voluit & magnus Princeps. Deniq; in compotationibus vnus ad alium prębibens, primò salutem magno Duci, omniaq; fausta & felicia nomine proprio eum appellantes, & titulos regionum enumerantes, exoptant: idem ante & post prandium omnes & singuli optare solent. Et si aliquid peruersè pessimeque, & cum Reipublicæ

Authoritas magni Ducis.

dispendio princeps fecerit, ab omnibus tanquam res felicissimas & vtilissimas gesserit, laudatur. Affinibus cognatisque suis nec arces ad legitimè possidendum permittit, nec confidit, solummodo aliquos secundum arbitrium suum, qui sibi placuerint, arcibus & possessionibus certis proponit, & tãdem illis quibet de caussa infensus, omnia vt sua, adimit. Expleheis equites, palatinos, & consiliarios plerunque secundum voluntatem suam nullo repugnante facit ex cõsiliariis deinde siue equestris ordinis hominib. plebeios, omnibus bonis illis ademptis & publicatis, reddit. Eodem modo metropolitas, episcopos, abbates, prioresque monasteriorum suo iudicio eligit, & deponit, omnes iuxta durissima seruitute premit, prout suprà in expeditione bellica, consuetudineq; gentis latius diximus.

Seruitus Moschouitarum.

Sed cùm hæc tota gens Moschorum duci subiecta magis seruitute, quàm libertate gaudeat, incertũ est, an suis moribus conformem tantũ tyrannũ exigant, à quo insolentia eorũ domaretur. Nam hoc plerunque in illis regionibus obseruatur, quòd serui apud dominos, & vxores apud viros gratiam, si ab eis frequentius verberentur, habere, & amore se prosecutos dicũt. Contra si in eos non animaduertitur, nullũ signum amoris in se exhibitũ conquiruntur, & non solùm serui, sed & pleriq; nobiles, magni viri & consiliarij, frequenter à magno Duce absq; vlla dedecoris nota publicè siue priuatim baculis verberantur. Illi verò tunc tẽporis amoris signum principem in se exhibuisse gloriantur, verberatiq; gratias principi agunt, dicentes: Sanus tu sis & incolumis domine, rex & Dux magne, quòd me seruum rusticumque tuum verberibus emendare dignatus sis. Qua ratione probatur, eos suis moribus conformem dominũ (velut quondam ranæ regem ciconiam) necessariò exigere. Sed his Moschorum princeps Ioannes Basiliades leges huius tyrãnidis supra modum (iustitia iudice) excedere videtur, qua non solùm prædecessores suos, (qui id secundum morem & consuetudinem gentis faciebant) superauit: sed illos omnes tyrannos, qui ante & post Christum ad hæc vsque tempora fuerunt, vtpote Neronem, Valerianum, Dionysiũ, Decium, Maximinum, Iulianumque, & cæteros omnes.

Amplificatio tyrannidis Moschorum ducis.

Hi etenim quamuis etiam sæpius tyrannidem nefandam exercuerint, attamen aliquantò tolerabiliorem, sed in hoc principe tantam tyrannidem dictu miram, breuiq; temporis interuallo crudeliter perpetratam videre licebit, quam nos bona fide cõscriptam Lectori benigno offerimus.

INITIVM TYRANNIDIS MOschorum principis Ioannis Basiliadis.

ANno partæ humano generi per Christum salutis, supra millesimum quingentesimum sexagesimo, Ioannes Basiliades magnus Moschorum dux, postquam Polocz ko arcem & ciuitatem celebrem Lituanis ademisset, rei prosperè gestę successu elatus, in quandam insolentiam prolapsus est. In primisque ad ea quæ pater, auusque suus inceperant cõtinuanda & perficiẽda, animum apposuit: omnes nimirum principes & alios quos suis magnates castris, possessionibus & munitionibus exuere. Postea omnes magnarum & antiquarum familiarum viros, quos suæ tyrannidi contrarios cernebat trucidare, de medioq;

tollere cœpit. Huius igitur cædis & tyrannidis à magno viro OWczinino, Demetrio nomine (filio illius OWczinæ olim tutoris sui, qui in Starodub arce captus, Vilnæ Lituaniæ metropoli in vinculis mortuus est) exordium sumpsit hoc modo: Inuitauit eum sub amicitiæ prætextu ad cœnandum secum, ibiq; inter compotandum ipse magnus Dux vas quoddam ingentis capedinis impletũ mellis liquore, illi OWczinino pro sanitate sua, (prout gentis mos est) vno hausturu iam temulento ebibendum obtulit, quiam ferè potu oppressus, ne mediũ quidem ebibere potuit, qua de caussa magnus Dux perfidiam ei exprobrauit, dicens: Siccine mihi domino tuo cuncta bona exoptas? Siccine me principem tuum clemẽrem diligis? Sed quia hîc præbibere pro salute mea noluisti, ad cellarium meum vbi varij potus reconduntur, vade, illicq; pro incolumitate mea præbibes. Ille miser iam ebrius, verbis placidis magni Ducis, quasi fidelibus deceptus, ad cellarium cum his, qui ad eum occidendum erant subornati, perrexit, à quibus ibidem crudeliter suffocatus est. Postridie verò ad domũ prędicti OWczinini magnus Dux (quasi rei ignarus) misit, mandans vt ad se veniret, vxor verò suare spondit, maritum hesterna die ad magnum Ducem cœnatum profectum esse, & ab hoc tempore adhuc domum non rediisse, sic igitur res vbi fuerit, vel quò abierit prædictus Demetrius OWczininus, in dubio stabat. Hæc autem præcipua caussa necis eius erat: Fouebat quendam iuuenem magnus Dux Theodorum nomine, Bosmani cuiusdam nobilis filium, cum quo Sodomiam contra opus naturæ (dictu nefandum) explebat, cum isto prædictus OWczininus quadam

Initium tyrannidis.

quadam die ad iurgia deuenit, inter iurgandum autem (vt fit) hoc nefandum facinus ei exprobrauit, dicens: tu Sodomia turpi principi inseruis, ego verò ex magna prosapia ortus, semper cum prædecessoribus magna cũ laude & Reipubl. vtilitate principi seruio. Ille igitur iuuenis tali ignominia affectus, ad magnũ Ducem flens venit, OWczininumque talia sibi exprobrasse accusauit. Et ab hoc tempore magnus Dux insidias struere cœpit, quomodo OWczininus de vita tolleretur, donec voti compos effectus est.

Porrò hoc clanculario furtiuoque mortis genere, plurimos magni nominis viros iugulare suffocareq; procurauit, nemine contra talia ne quidem mussitare audẽte, donec metropolitanus ipse re considerata, episcopiq; & omnes equestres viri ad eum conuenerunt, expostulantes & interrogantes, quamobrem sic innocenter populum suum, insignesque viros, absque vlla criminis nota de medio tolleret, quorum conuentu & persuasionibus per semestre anni spatium humanior, & quasi mansuetior effectus erat. Interea tamen cogitare & moliri cœpit, quo pacto suæ tyrannidi conformes seruos & aulicos, quorum opera in explẽda crudelitate vteretur, conduceret & conscriberet. Finxit igitur se iam vel-

Moschus tyrannidem molitur.

le imperium abdicaturum, & monasticam vitam religiosè in pace transacturum, filiosque imperio præpositurum. Conuentu itaq; generali celebrato, nobilibus & proceribus imperij dixit: Ecce habetis duos filios meos legitimos hæredes, qui vniuerso imperio nostro præerunt, vos verò omnes obedientiã suam & operam illis in iuuando regimine, & defendendis finibus imperij præstabitis, si autem aliquid grauius

Moschus imperium maliciosè abdicat.

accidérit, ad me cōsilium deferte, cùm non longè à vobis in monasterio abfuerim. Confestim ergo per amplam aream extra ciuitatem Moschouiam delegit, & curiam in ea amplissimam cum innumeris ædificiis muro cinctam erigere fecit. Qua extructa arces præstantiores cum opimis annuis reditibus, ex vniuerso imperio delectu habito sibi specialiter (sub prætextu monasticæ vitæ ducendæ) appropriauit. Cùm itaque in curia prædicta omnibus necessariis munita & prouisa, quasi imperio abdicato filiisque concesso, seorsimve maneret ingentem facinorosorum manum qui suas partes sequerentur satellitumque coegit, & ad pristinum propositum quod nuper statuerat de excidēdis, è medio tollēdis antiquarum familiarum principibus viris rediit, ad omnesque & singulas arces, quarum præfectos, magni nominis viros occidere proposuit, sexaginta plúsve aliquando ex suæ factionis satellitibus, equites, quasi præsidiarios cum literis misit, qui in arce tam diu sub prætextu præsidij manebant, donec eius præfectum à principe neci designatū inopinatè opprimerēt, & membratim dissecarent. Et cùm iam aliquem ex iis principibus viris occidit, tunc & omnes cognatos, affines, fratres, & omnem denique progeniem, occidere & funditus extirpare facit. Et hoc modo plurimas principales familias, monasticam vitam ducens, exterminauit, & postea imperium vt & prius administrare cœpit.

Moschus satellites malitiosos conscribit.

DE ROSTOVIENSIS DVcis nece.

DVcatus Rostouiensis, cuius superius mentionem fecimus secundo genitis, magnorum ducum

cùm Russiæ attributus erat. Hunc etiam Basilius magnus Dux vt & cæteros sibi appropriauit, hæreditatibus subiugatis parua redituum portione concessa. Ex his ducibus vltimus erat relictus hæres Petrus nomine, præfectus Nouogrodiæ inferioris, quem modernus magnus Moschorum dux cum progenie sua de medio sustulit hoc modo. Quadraginta equites factionis suæ in Nouogrodiam inferiorem destinauit, quibus vt sibi caput præfecti prædicti ducis Rostouiensis abscissum, attulerint, mandauit. Illi igitur equites prædictum ducem in ecclesia orantem præuenientes, sic allocuti sunt: Domine Rostowski mandato magni Ducis à nobis nunc capieris. Ille confestim mandato audito baculum, quem manu gestabat, in terram abiecit, innuens se officium cui præpositus erat, iam abdicare: nam princeps Moschouiæ cùm aliquem nobilium in officio præponit, tunc illi in manum baculum dare solet, quo significatur, vt ei in omnibus velut principi obtemperaretur. Tandem cùm aliquis officio degradatur, tum baculum illum in manus principis, vel eius vices gerentis reddere solet. Cùm itaque in ecclesia prædictus dux Rostouiensis caperetur, vestibus spoliatus est, vt nudus velut matris aluo egressus staret, postea in trahæas vinctus positus & alligatus est. Cumque iam tribus milliaribus à Nouogrodia auectus esset, illi qui eum vehebant ad flumen Volgam, substiterunt: Dux verò vinctus quare starent, causam percontabatur, qui se equos velle adaquasse dicunt: ille contra, non equis hanc aquā, sed mihi (quasi mortis præscius) bibere, & nunquam ebibere, respondit. Confestim ergo præfectus equitū ei iacenti

Rostowii capitur.

Tyrannis ingens.

caput ſecuri amputauit, cadauer verò in flumen gelu concretũ merſum eſt. Cùm autem caput illius principi allatum eſt, ipſe princeps manu & capite nutans, dixit, ach caput caput, multum ſanguinis viuum exiſtens effudiſti, (bellicoſiſſimus enim extitit) & nunc mortuum eundem effundes, his dictis fremens pede illud truſit, & in profluente abijcere iuſſit: poſtea omnes amicos & totam progeniem quinquaginta hominum funditus eradicare excindereque (poſſeſſionibus omnibus eorum publicatis) fecit, ſeruoſque eius præcipuos quaterdenos vinctos in carcerem intruſit,

Moſchitecontumelia innata.

Hæc tota gens Moſchouitica id à natura ipſa inditum habet, vt ſeſe alterutrum qualibet de cauſſa per fas ſiue nefas accuſarent, contumeliiſque variis ſe inuicem afficiunt, & res ſuas vnus in alterius domum clanculum frequenter iniit ſiue importat, eaſdemque furto ſibi ablatas dicit. Magnus verò Dux cùm vnus alium qualibet de re accuſat, libenter audit, iam etenim occaſionem occidendi illius, qui accuſatur, habet. In curia autem illius quando conuentum, vel aliquid tale celebrat, vel morti aliquem adiudicat deſtinatve, neque ſubmiſſa neque clara voce aliquid cum ſocio muſſites, nec rideas, nec feſtiuum hilaremque vultum præ te feras, confeſtim enim interrogaberis, cur rides? cur hilaris es? &c. ſentis tu aliquid cum inimicis magni principis: continuò igitur à delatoribus coram magno Duce accuſatur; accuſatus verò iuſſu principis, nulla purgatione criminis obiecti cõceſſa à ſatellitibus arripitur, atq; membratim diſſecatur, aut in aquas capite auulſo proijcitur.

DE

DE IOANNIS PIOTROVICZ, PALATINI ſupremi Moſchouiæ falsò accuſati, crudeli nece.

ANno virginei ſalutiferi partus ſupra milleſimũ quingenteſimum ſexageſimooctauo, cùm rex Poloniæ Sigiſmũdus Auguſtus, magnus Dux Lituaniæ, ad campos Radoſcouicenſes cum vniuerſis Lituaniæ viribus in caſtris eſſet, fines Moſchouiticos inuaſurus: Magnus Moſchouiæ Dux in Wielikieluki ciuitate cum præſidiariis copiis tunc temporis excubabat, poſtea cùm rex Poloniæ ex caſtris re infecta & intẽtata diſceſſiſſet, magnus Dux in Moſchouiam ciuitatem reuerſus eſt, & ibi progreſſum quendam nobilium ſuorum ſibi contrarium offendit. Præcipuè verò quidam magni nominis vir Ioannes Piotrouicz, palatinus principalis, & vices gerens Moſchouiæ apud eum, per delatores falsò & contumelioſè accuſatus eſt, quaſi ille magnum ducatum ambiret, quem magnus Dux confeſtim nulla purgatione criminis obiecti audita, omnibus bonis, mobilibus & immobilibus ſpoliare fecit, ipſumque in bellum contra Tartaros proficiſci iuſſit. Ille miſer omni ſupellectili ſpoliatus ne equum quidem, in quo ad id præſcriptum bellum proficiſceretur, relictum habuit: Monachus tamen quidam eius miſeriæ condolens, equum ei accommodauit, in quo contra Tartaros mandatũ principis adimplens, ſolus tantùm (qui nuper caterua ſeruorum comitabatur) profectus eſt. Ex bello tandem reuerſus, ad magnum Ducem citatur, omnesque nobiles & cæteri magnates ad tempus deſignatum in Moſchouiam conuocantur. Prędictus igitur Ioannes Piotrouicz ad tribunal citatus,

vxori, liberis, cæterisque affinibus, valedicens, necis futuræ præscius, magnó Duci se præsentauit. Stratim ergo ab ipso principe ornamentis ducalibus, diademate, & sceptro, solenniter insignitus in sede siue maiestate regia ad id erecta collocatur, cumque iam sic insignitus & ornatus sederet, omni conuentu nobilium & magnatũ circumstante, ipse magnus Dux coram eo stans, capite adaperto, quasi honorem exhibens, caput & genua (secundum morem gentis) inclinabat, dicens: Aue magne Dux & monarcha Russiæ, en obtinuisti quod affectabas, en habes quod ambiebas: voluisti enim in locum meum magnum monarchatum Russiæ (sic enim falsò accusatus erat) succedere, en ego ipse te iam magnum Ducem solenniter creaui, sed sicut habui potestatem, te magnum Ducem creandi, ita etiam potens sum te hac de sede & dignitate degradãdi: his dictis cultellũ oblõgum, siue pugionem ipse in cor eius aliquoties infixit, omnisque turba nobilium circumstantium in eum sic crudeliter pugionibus & cultellis sæuiebat, quoadusque omnia viscera & præcordia ex eo interram profluerent. Cadauer tandem crudeliter vulneribus confectum, ex arce in forum extractum est. Deinde omnes seruos eius præcipuos laqueis inguinare, trucidare, & aquis obruere mandauit. Tandem in arcẽ Columna, quam prædicto Ioanni cum omnibus prouẽtibus, olim concesserat, profectus, omnes quotquot in ea arce & ciuitate ad trecẽta plúsve hominum inuenit, aquis immergere, trucidareque fecit, dicens: Occidite, iugulate, aquis obruite hos malefactores: sentiebant enim cum inimico meo periuro & perfido. Postea per integrum ferè anni spatium

Iudiciũ tyranni.

Crudelitas tyranni.

tium possessionis prædicti Ioannis ciuitates, & villas vastabũdus igne & ferro peragrabat, vbi verò nobiles subditos huius Ioãnis, siue Boiarones, (erat enim magnus homo habens sub sua ditione alios nobiles) offendit, hos omnes in vnam habitationem coactos & occlusos succendere iussit, pulueribus tormentariis suppositis, omnesque vi accensi pulueris in aërem velut aues volantes eijciebantur. Iumenta insuper omnis generis ad canem & felẽ vsq;, in frusta membratim dissecare, proterere, & in nihilum conuertere, villas & prædia igne succendere, cineribusq; commiscere fecit: vxores verò horum nobilium, & virgines coram se turpiter constuprandas satellitibus exposuit, postea eadem in frusta dissecare mandauit. Colonorum autem & infimæ conditionis coniuges vestibus spoliatas, in siluam nudas perinde vt matris aluo egressas, vel vt brutum pecus agere iussit. In siluis autem satellites latentes subordinati erãt. Cumq; illæ miserrimæ mulierculæ siluæ appropinquarent, satellites cum impetu in eas irruerunt, cædentes & variis plagis afficiẽtes: illæ timidæ per campos & syluas pallantes & identidem discurrentes omnia fletibus & eiulatu complebant. Sic itaque omnibus possessionibus prædicti Ioannis Piotrouicz olim Palatini Moschouiæ deuastatis, & funditus extirpatis vxorem eius in monasterium intrusit: progeniem autem eius, totam denique familiam à paruo ad minimum eradicauit.

CANCELLARIO SVO QVID fecerit.

EOdem supradicto anno trucidato tam insigni viro cum tota familia sua, cancellarium suum

Kozarin Dubrowski dictum, falsò accusatum (quasi ille subditis nobilium siue Boiaronum, largitionibus corruptus tormenta bellica in suis curribus & equis ducere non iuberet, prout mos est, & quod solummodo magni Ducis id munus obirēt) crudeliter hoc modo trucidauit: Satellitibus suis mandauit, vt indomum prædicti cancellarij impetum facerent, ipsumque membratim (quamuis criminis non cōuictum) dissecarent, quod & dicto otius executum est: nam satellites inopinatè ipsum cancellarium cū filiis duobus membratim securibus ad mēsam sedentem crudeliter dissecarunt, dissecatosque in puteum, quitin medio eiusdem curiæ erat, proiecerunt. Superfuit autem adhuc huius cancellarij filius tertius, qui hoc die, quo pater suus occisus est, ad conuiuium quoddam inuitatus profectus erat, cumque de patris tam crudeli fratrumq; nece audisset, in domum amplius redire non audebat, sed per integrum ferè annum, identidem præ timore vagabundus circumambulabat. Cùm verò nunciatum esset magno Duci adhuc vnum filiū cancellarij Kozarini supereſſe, iussit eum per omnes regiones & ciuitates tam diu inquirere, donec inueniretur, quem captū, & in Moschouiam adductum, magnus Dux quatuor ingentibus rotis ad id excogitatis, in quatuor partes disrumpere fecit. Est autem hoc instrumentum quatuor rotarum ab hoc magno Duce moderno pro cruciandis hominibus adinuentum, ad primam rotam vna manus, ad secundam altera, eodem modo vterque pes ad easteras duas rotas alligatur. Singulas verò rotas quindecim viri trahunt, tunc ibi & si ferreus vel adamantinus homo fuerit, à sexaginta viris transuersim crudeliter

Cancellarius cū duobus filijs occiditur.

Tertius cancellarij filius rotis distrahitur.

Instrumentum mortis crudele.

deliter tractus disrumpitur, & membratim dilaceratur. Ipse autem præsens ad hoc supplicij genus spectate solet, cumque iam aliquis eo inspiciente sic disrumpitur, gentili voce saltando *hoyda, hoyda*, proferens vociferare solet, quasi aliquod opus egregium perfecerit. Omnis quoque nobilium & plebeiorum circumstans turba, eadem voce principi suo correspondere manibus complaudendo solent. Nam si aliquem lugubri tristiq; vultu sub id temporis cōspexerit, vel si aliquis illi *hoyda hoyda* vociferanti exhilarādi particula nō corresponderet, statim satellitibus eum arripere & dissecare mandat, dicens: perfide, & tu sentiebas cum hoc inimico meo, cur ei condoles? quare de nece eius contristraris? &c.

SALES ET IOCI MAGNI DVcis circa mensam.

QVicunque nobilium vel magnatum apud magnum Ducem inter prandendum turpius spurciusque iocatur, ille egregius peroptimusque & facundissimus aulicus censetur. Tales iocatores duo præcipui in aula eius germani fratres Knesi GWozdowie dicti erant, qui semper sales nefandos circa mensam exercebant, vnus erat Andreas nomine Marschalcus, siue palatij magister, qui peste infectus vitam exhalauit. Alter verò minor natu cubicularij munus obibat: hic quadam die turpissimè cum magno Duce inter prandendum iocabatur, adeò vt magnus Dux nefandis dictis exacerbatus, à mensa ei discedere iusserit, interdum verò eo discedente caulis calidissima, peneq; bulliens de coquina ad mensam allata est, vocans igitur prædictum cubiculariū, iussit

Cubiculatium trucidat.

se ei inclinari, & caulem illam calidam inclinato collo post tergum infusit, qui penè combustus dolore vrgente vociferari cœpit, dicens: Miserere, miserere celeberrime imperator. Postea discedere volente, magnus Dux arripuit, cultelloq; quo ad mensam vtebatur, eum crudeliter in collum transfixit, quo vulnere continuò in terram prolapsus, extractus est in atrium. Postea ei condolens magnus Dux, Italum doctorem medicinæ otius accersiri iuber, eique venienti assurgens dixit: Dilecte Arnolphe doctor (hoc enim nomen habebat) vade auxiliare alicui huic cubiculario meo, quem in iocãdo læsi. Doctor egressus exanimatum offendit, reuersusque dixit: Rex & Dux magne, vtinam tu sanus sis, ille verò iam de vita ad mortem translatus est, Deus autem, & tu magne Domine potens animam ei eripere, ego autem eam restituere nequaquam possum. Ad hæc magnus Dux manu conniuens dixit, valeat ergo canis cùm viuere noluit.

QVALI MVNERE MAGNVS DVX SVOS HONORAVIT.

QVodam tempore Boris Titowi magni nominis vir, Palatinus Staricien sis, ad magnum Ducem post prandium mensæ cubito innixum assidentem venit, honoremque secundum morem caput inclinando, exhibuit, cui magnus Dux quasi congratulans dixit: Salue carissime Tite, salue mi fidelissime serue, dignus es ô Tite, aliquo munere à nobis honorari, accede propius, accedentique caput inclinare iussit, & cultello euaginato auriculã ei manu propria abscidit. Ille verò auricula priuatus, minimè cõtradixit,

Auriculam Palatino abscidit.

tradixit, sed humiliter magno Duci gratias egit, dicens: Saluus tu sis celeberrime Rex, Dux & domine magne, quòd me seruum tuum secundum placitum tuũ castigare digneris. Cui magnus Dux, accipe nunc hoc exiguum munusculum libenter, donec tibi aliud melius offeratur.

SOMNIORVM EGREGIVS INTERPRES MAGNVS DVX.

QVidam nobilis Moschouiæ in carcere aliquot annis detinebatur, carcerisq; durissimi pertæsus, somnium sibi falsò finxit, quasi regem Poloniæ captum vinctumq; ad magnum Ducem adductum in somniis videret, hocque somnio se liberaturum fore (spe eum fallente) arbitrabatur. Supplicationem igitur ad consiliarios scriptam misit, dicens, se rem quandam magno Duci necessariam & vtilem gratamq; scire. Quem cõsiliarij eductũ magno Duci cõfestim præsentant: cui magnus Dux, dic ea nunc quæ dicenda nobis habuisti. Ille verò, celeberrime Rex & imperator, magne Dux & domine, hac nocte in somniis vidi regem Poloniæ captiuum miserè compedibus vinctum, ad te à tuis militibus adductum. Ad hæc magnus Dux respondit, rectissimè narrasti, statim ego tibi hoc somnium, quid sibi velit, exponam, carnificibus igitur eum confestim examinandum torquendumque tradidit, inquirendo ab eo, qua de caussa hoc somnium sibi finxisset, ille tormentis adactus fassus est, id caussa liberandi ex duro carcere fecisse. Tunc magnus Dux eum in carcerem duriorem pristino intrudere iussit, dicens, expecta hîc somnij tui veram efficaciam tam

diu, donec adimplebitur. Ille miſer poſtea acerbiſſimo carcere conſumptus, miſerrimè è vita diſceſſit.

TVRPIS MATRONARVM NOBILIVM, apud magnum Ducem abuſus.

HAbet magnus dux ſupplantatores, adulatores plurimos ad id ſubordinatos, qui idétidem circumambulantes, quid mulieres ciuium, matronæq; nobilium de ſe loquerentur, ſubaudiunt, raptáque verba dicto otius ad eum deferunt, qui ſatellitibus ſuis ad domum illius matronæ accuſatæ deſtinatis, eam de lectulo à marito proprio violenter abſtrahere, & ſibi præſentari iubet. Hanc, ſi ſibi complacuerit, per aliquot hebdomadas pro explenda libidine detinet, ſin minus, ſatellitibus eam turpiter ſtuprandam exponit, & tandem ad maritum ſuum eam abiegat. Si verò virum illius matronæ occidere è medioque tollere propoſuerit, tunc eam non ablegando iugulare, vel aquis obruere iubet, prout hoc pluribus contigit. Præcipuè verò cuidam magni nomis viro Mieſſoiedowyſchly dicto (de quo inferius dicetur) ſupremo notario ſuo vxorem cum pediſſequa violenter abſtractam, & per aliquot hebdomadas detétam, in porta domus mariti ſui eam vnà cum pediſſequa laqueo ſuſpendere iuſſit, ſicque in porta ſuſpenſę duabus hebdomadis pendebant, donec iuſſu principis deponerentur. Maritus verò ſuus ſubtus vxorem ſuſpenſam per illam portam, quò opus fuerat exire & intrare cogebatur. Hoc quoq; vel atrociori modo cuidam notario ſuo fecit, cui vxorẽ abſtractam & ſtupratam poſtea remiſit, eamque in habitatione

Grande facinus.

bitatione propria, vbi ſolitus erat cibum capere, ſuper menſam, ſuſpendere fecit, in illáque menſa deſuper vxore ſtrangulata pendente, tam diu ille notatius cibum amatiſſimum capere cogebatur, donec iuſſu principis illud cadauer aſportaretur. Cùm autem aliquò magnus Dux proficiſcitur, & fortè obuiam ſibi (vt fit) aliquam viderit matronam, quamuis magni viri vxor ea eſſet, ſciſcitare iubet, cuias ſit, vel vnde proficiſceretur? Quòd ſi eam illius viri cui offenſus eſt, vxorem eſſe intellexerit, tunc eam ex curru deſcendere, & collo tenus pudenda detegere iubet, & tam diu ſtare cogitur, donec omnes ſatellites, equites, & aulici, ipſeq; magnus Dux prætereant.

Aliud crudeliſſimum facinus.

DE INIVRIA EXPOSTVLANTIbus quid acciderit.

ANno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto conuenerunt ad magnũ Ducem nobiles, magnates, & conſiliarij, quaſi trecenti viri expoſtulãtes cum eo de iniuriis, homicidiis, ſpoliationibus & inaudita crudelitate, his verbis: Celebertime Rex, magne Dux, & domine noſter, quæ cauſſa eſt, quòd nos innocenter tantis detrimentis, tantiſq; malis & iniuriis affligis, fratres noſtros, conſanguineos, inſontes morti adiudicas, trucidas, aquis obruis, bonis ſpolias. Inſuper ſatellites tuos in noſtrũ exitium conuertiſti, qui nos intolerabilibus oneribus iniuſtè affligunt, & an tuo mandato nobis hæc faciant, penitus ignoramus. Nos etenim tibi domino noſtro & imperatori legitimo, prout fideles ſubditos decet, in fide ſincera & veritate ſeruimus, ſanguinemq; noſtrum tui cauſſa ſtrenuè profundimus.

His dictis magnus Dux ira excandescens in carceres omnes & singulos vinctos intrusit: postea quinque diebus exactis de carceribus eductis, quibusdam linguas abscindere, aliis pedes & manus obtruncare, quinquaginta verò insigniores viros in foro publicè virgis & baculis cędere iussit, reliquos liberos dimisit, quibus quamuis tunc temporis pepercerit, postea tamen in manus eius crudeles & truculentas deuenerunt, prout inferius dicetur.

QVALEM GRATIAM MAGNVS Dux socero suo exhibuerit.

MIchael Temrucouicz cognomine, claræ familiæ vir, magni Ducis socer, tali amore prosequitur, quòd interdum per duas ampliúsve hebdomadas magnus Dux gratiam amicitiamque ei exhibet. Postea cùm eidē qualibet leui de caussa infensus fuerit, tunc ad singulas portas, ianuasq; curiæ illius, vrsos indomitos horribilesq; tres vel quatuor alligare mandat, qui omnes è curia exire volentes vnguibus confestim dilacerarēt. Interdum ergo dominus socer in ædibus clausus sedet, & si quid habet, comedit, bibit, & hi vrsi aliquādo per duas, trésve hebdomadas à foribus curiæ non abducuntur. Quādo etiam eundem socerum suum supradictum magnus Dux pecuniis abundare intelligit, tunc eum iubet arripere crimine ei falsò obiecto, & in locum vbi debitores secundum morem gentis baculis virgisque cæduntur duci, ibique tam diu iussu principis virgis verberatur, donec omnem thesaurum indicare cogatur. Quando autem in eo magnus Dux nihil potest verberibus extorquere, tunc ei ipse ex thesauro suo certam summam pecuniæ numerare solet. Hoc itaq; modo magnus Dux socerum suum tractat, aliquādo eum thesauro spoliat, aliquando ditat. Interdum verò cùm se huic socero suo benigniorem exhibet, tunc ipsi soli parcit; sed præcipuum eius & intimum seruum (qui vices domini suppleret) arripere, & tam diu verberare iubet, donec thesaurum domini sui indicaret: aliquando etiam dominus seruo innocenter cæso cōdolens, tantū pecuniæ pro eo numerare solet quantum magnus Dux imperauerit. Quadam etiam vice euenit, quòd vector prædicti Michaelis cum vectore magni Ducis in via fortè congressus, ibi ambo inter se litem excitauerunt, ac inter iurgia ad pugnam deuenerunt. Vector igitur magni Ducis grauius percussus ad marschalcum, siue palatij magistrum veniens, à vectore soceri magni Ducis se verberatum cōquestus est. Magister palatij caussam ad magnum Ducem detulit, qui continuò re audita, absque partis accusatæ purgatione, satellites suos in curiam prædicti soceri sui misit, eisq; vt tres seruos illius prēcipuos in foribus laqueis suspenderent, mandauit. Sic ergo illi serui suspensi in foribus pendebant, & omnes ex domo exire, & in domum intrare volentes, per illas fores subter suspensos ambulare duabus hebdomadis cogebātur, donec iussu principis deponerentur.

Sexpro verberato vno suspenſi.

DE CRVDELI MAGNI DVCIS Moscherum tyrannide, quam in Nouogrodia magna, Pskouia, Tweria, & Nerua ciuitatibus perpetrauit anno Domini 1569.

ANno per Christum salutis partæ supra millesimum quingentesimum sexagesimo nono, cùm

princeps Moschouiæ resciuit Nouogrodenses, Pskouienses & ThWerenses ad regis Poloniæ magnique ducis Lituaniæ partes aliquantulum propensiores esse, statim quomodo id vlciscereturcogitare cœpit, &, vt inopinatos, & præter spem securos opprimeret, hoc modo in primis progressus est. Omnibus & singulis vtriusque sexus hominibus, tam viris quàm fœminis, senibus & pueris sub pœna capitali interdixit, ne quisquam ea via, quæ ex Moschouia in magnã Nouogrodiam ducit, ire, proficiscive præsumeret. Deinde cùm iam numeroso accinctus exercitu de curia Alexandroua Sloboda dicta, ad Nouogrodenses vlciscendos, & funditus exterminandos egressus esset, præsidiariorum satellitum ante se septingentos præmisit, totidemq; à tergo, & in omnibus circũquaque locis præsidiarios subordinauit, qui omnes quoscunque ea via interdicta euntes inuenerunt, securibus membratim cum iumentis, curribus, & id genus aliis rebus, dissecabant; ita vt nec ex Moschouia in Nouogrodiam, nec ex Nouogrodia in Moschouiam quisquam viuentium transire poterit, nemoq; propositum principis quò contenderet, excepto vno secretario Ophanasio Wiazimski, scire potuit: nã hæc omnia tam cautè & callidè peragebantur, vt inopinati & vndequaque inclusi Nouogrodenses citius opprimerentur, & nusquam euadere possint. Cumque iam à Nouogrodia magna quasi per mediũ miliaris cum exercitu abesset, tum demum miseri Nouogrodenses diem iudicij sibi imminere cognouerunt: etenim satellites emissarij equitesque tractum Nouogrodensem igne & ferro hostiliter vastabant, omnes homines cuiuscunque conditionis fuerint, nobiles

Regionem suam vastat Moschus.

nobiles & plebeios cædebant, iugulabant, membratimque dissecabant: insuper iumenta omnia, vicos & pagos flamma absumebant, satellites etiam præsidiarij, qui viarum transitus vbiq, custodiebant, neminem post principem transire (quãuis seruũ ipsius proprium) sinebant, sed omnes quoscunque offenderint, membratim dissecant. Verebatur enim magnus Dux subditorum suorum, nobilium & magnatum quorundam erga se conspirationem, & insidias. Tandem in ipsam Nouogrodiam magnam, satellitũ aliquot millia, cum equitibus Tartaris præmisit, ad spoliandos & deprædandos omnibus bonis ciues, quos ipse statim cum toto exercitu secutus est, & omnes obuios trucidare, membratimque dissecare, equis proterere, lanceis induere iussit. Ipse quoque manu propria cum filio natu maiore plurimos lancea transfigebat. Postea duas vastas areas septis ligneis circumdare, & trabibus obstruere, illicque omnes ciues præstantiores vinctos cogere, & implere fecit, quos ipse cum filio hastis tam diu crudeliter, equis calcaribus adactis, magno impetu trãsfigebat, & trucidabat, donec vterque anhelans defatigaretur. Tandem ad satellites circumstantes, frementebundus dixit: Irruite in hos perfidos, secate, dissecate, trucidate, neminemque viuum relinquite. Illi confestim dicto otius in eam multitudinem ciuiũ vinctorum turmatim stantem, impetu facto, omnes ad vnum membratim dissecarunt, & in aquas proiecerunt: deinde aliquot centena hominum in flumen gelu concretum, quod mediam ciuitatem interfluit, implere, glaciemque in circuitu eorum circumcidere iussit, qui omnes glacie circumcisa

Manu propria cũ filio magnus dux ciues trucidat.

fundum petente, aquis immersi & obruti sunt.

Tantam igitur in Nouogrodia magna ciuitate celebri, & totius Russiæ primaria magnus Dux tyrannidem perpetrauit, vt 2770. ciuium excepto paupere vulgo, sexuque fœmineo trucidati & aquis obruti fuerint. Monasteria quoque in toto Nouogrodiensi tractu 175. spoliare, deprædare, quædam horribiliter flammis comburere, monachosque trucidare & aquis obruere fecit. Vestimenta sericea & cidonus ornamentorum ciuilium, satellitibus in prædam concessit, auro & argento (cuius ineffabile pondus de ecclesiis & mercatorum thesauris compilauit) sibi relicto, domos etiam ciuium spoliatas diripere, euertere, & destruere fecit. Tantaque damna mercatoribus, cæterisque ciuibus in hac celebri vrbe dedidit, vt nequaquam resarciri, & iusta computatione æstimari possint. Ceræ quoque innumerabiles massas ab annis viginti plusve apud mercatores repositas in flammas proijcere, & in nihilum conuertere iussit: cera etenim Nouogrodensium, pellesque ferarum præcipuæ merces erant. Cumque præclaram ciuitatem funditus iam deuastasset, & totum ferè tractum eius crudeliter depopulasset, quingentos equites in Neruiam ciuitatem Liuoniæ finitimam, vbi Nouogardenses merces suas deponere solebant, destinauit, & per totam ciuitatem proclamare iussit, ne aliquis merces Nouogrodensium sub pena capitis & omnium bonorum priuatione emere, aut sibi quolibet modo appropriare audeat. Omnes verò ciues Neruienses, qui à Nouogrodensibus aliquid mercium clanculario emerunt, membratim dissecati, & in lacum proiecti: possessiones verò

Numerus occisorum.

Spolia.

Damna.

Neruia populatur.

eorum vnà cum domibus igne combustę sunt. Pauperes etiam omnes & mendicos, qui præ nimia fame (tunc temporis grassante) cæsorum cadauera coquebant, & manducabant, illi satellites iussu principis trucidauerunt, trucidatosque in profluentem abiecerunt, & omnes merces Nouogrodensium varij generis, quas illic repositas inuenerunt, in vnum locum congestas succenderunt.

Medici trucidantur.

ARCHIEPISCOPO NOVOGRODENSI QVID CONTIGERIT.

CVm ita crudeliter Moschorum princeps Nouogrodiam magnam vastaret, ab archiepiscopo eiusdem ciuitatis (qui Ruthenico idiomate *Wladica* dicitur) ad cibum capiendum inuitatus est. Ille nulla excusatione interiecta, hora prandendi statuta in ædes archiepiscopi satellitū armata manu stipatus venit. Inter prandendum aūt ecclesiam sanctæ Zophię, auri & argenti ditissimam (ad quam omnes ferè ciues thesauros suos, quasi in locum tutissimum comportarant (spoliare & funditus deprædare iussit. Postea prādio peracto archiepiscopum (à quo ad cibum capiendum inuitatus erat) omnibus ornamentis, vestibusque archiepiscopalibus denudauit, dicens: minimetibi conuenit archiepiscopum esse, sed potius tibicinem & vtricularium, vrsorumq; ad choreas peritorum, ductorem. Ideo melius tibi est vxorē ducere, quam ego tibi delegi. Cæteris autem abbatibus, & monasteriorum prioribus, qui prandio intererant, dixit, vos omnes ad nuptias archiepiscopi vestri celebrandas inuito, sed vt etiam ad huius conuiuij necessaria comparanda singuli symbola daretis, oportet.

Omnes igitur abbates prioresq́; imperatam & pręscriptam summam pecuniæ magno Duci numerare coacti sint, vel ad minimum nummulum omnes penitus spoliati & excoriati fuerint, metu etenim tormentorum territi, omne argentum quantum quisque habebat, principis impulsu exhibuerunt. Cùm igitur ab eis hæc symbola exegisset, minisq́ue & tormentis extorsisset, equam albam prægnantem adducere iussit, eamq́ue archiepiscopo digito indicans, dixit: En vxorem habes tuam, ascende super illam, & in Moschouiam proficiscere, illicq́; te in numerum siue contubernium tibicinarum & citharœdorum, qui vrsos saltatrices ducunt inscribere da. Ille miser inuitus super equam prægnantem viloso panno vestitus ascendere compulsus est, iamq́ue desuper sedenti iussu principis pedes sub ventrem equæ alligati sunt, deinde ipse magnus Dux instrumenta musices, videlicet lyram, fistulam, tibiam & citharam illi archiepiscopo iam sic equæ insidenti porrexit, dicés: En habes artificij tui instrumenta, plus enim tibi citharistæ, quàm archiepiscopatus officiũ arridet. Iam igitur hæc instrumenta musices exerce, & ad contubernium citharistarum in Moschouiam proficiscere, qui per totam ciuitatem in equa pedibus subtus alligatis sedens, vtricularios inflare, stridentibusq́ue & discrepantibus fistulis (nunquam licèt in hoc genere musices exercitatus) miserum perstrepere carmen compulsus est. Hoc igitur modo prædictus antistes Nouogrodẽsis archiepiscopatus dignitate spoliatus, exutus, omnibusq́; bonis priuatus, & nefanda ignominia turpiter affectus extitit.

His peractis monachos, abbatesq́; & priores monasterio-

nasteriorum, cæterosq́; ecclesiasticos omnibus bonis spoliatos, vario mortis genere trucidare, securibus dissecare, lanceisq́; induere, & aquis obruere fecit. Postea quendam magni nominis virum Theodorum Sirconij dictum captum, ad se in castra medio milliari à Nouogrodia sita, adducere iussit, eumq́ue fune longo per medium alligare, & in fluuium Volchow dictũ demergere fecit. Cumq́; iam aquis penè obrueretur, rursus extractus est, extractumq́ue ipse magnus Dux interrogauit, dicens: Dic mihi quid in fundo huius fluuij vidisti? At ille respõdit: Omnes dæmones magne Dux, qui in hoc flumine & in lacubus Ladoga, Sladoga, Warmiaq́ue degunt, ad tuam animam eripiendam, & in tartaro demergendam, congregatos vidi. Ad hæc magnus Dux, rectè inquisti, ait, ego verò pro huius visionis declaratione & expositione gratiam tibi præstabo. Confestim igitur eum arripere, & pedes in aheno aqua bulliente repleto genua tenus coquere iussit, tamdiu donec omnem thesaurũ indicaret: erat enim auri & argenti ditissimus, duodecimq́; monasteria suo sumptu fundauerat & erexerat. Cùm verò sic crudeliter absque vlla misericordia concoqueretur, triginta millia florenorum monetæ argenteę indicauit. Tandem cum fratre Alexio, iussu principis membratim dissecatus, & in proximum fluuium iniectus est.

Monachi trucidãtur.

Hac insigni vrbe antiquissima, & celeberrima omnium ciuitatũ Russię crudeliter deuastata ad Pskouiam ciuitatem amplissimã, Nouogrodię haud dissimilem, eodem modo hostiliter depopulandam profectus est. Cumq́ue iam ciuitati armato cum exercitu appropinquasset, ciues extrema sibi imminere vi-

In Pskouiã vastandam contendit.

dentes, singuli mensas vnusquisq; ante ædes suas adornauerunt, salq; & panẽ superposuerunt. Nam apud Moschos pane gratia, sale verò amor significatur. His itaque dispositis obuiam magno Duci exeuntes, ad panem cum sale comedendũ humiliter eum (vt gẽtis nostræ mos est) inuitarunt, dicentes: Magne Rex & Dux clemens, leberrime, domine noster, nos seruuli tui fideles, humilibus & submissis votis, te ad panem cum sale comedendum inuitamus, nobisque omnibus & bonis nostris vniuersis secundum placitum vtere: nam omnia bona quæ possidemus, non nostra, sed tua pariter nobiscũ sunt. Hac igitur humili Pskouiensium oblatione nonnihil sedatus placatusq; extitit, morti destinatis pepercit. Sed ciues mercatoresq; ditiores auro & argẽto deprædauit, monachos etiã quosdam trucidare, membratim dissecare, aquis obruere, & duas Basilicas præcipuas thesauri ditissimas spoliauit, denique campanas de omnibus ecclesiis abduxit.

Tweria vastatur.

His in Pskouia exactis in Tweriam ciuitatem ingressus olim ducum Twerẽsium sedem profectus, tantam in ea tyrannidem quantam in Nouogrodia magna exercuit, incolas trucidauit, aquis obruit, bonisq; omnibus mobilibus & immobilibus spoliauit, diuorum templa auro & argento deprædauit: Lituanos etiam & Ruthenos, numero quingentos, qui in Poloczka arce capti in carceribus ibidẽ detinebãtur, omnes iugulare trucidareq; fecit. Tartarorum quoque decem nouẽ magnates in bello captos, & in eadem ciuitate carceribus detentos trucidare iussit, ad idque exequendum præfectũ satellitum Maluitam Scuratow dictũ, destinauit. Tartari verò re animaduersa, cùm nihil aliud nisi præsens ante oculos exitiũ, &

& miserabile mortis genus conspicerent, in desperationem adacti, inter se obstinatè & firmiter statuerunt, sese pariter quoad possint defendere: cultellos itaq; in manicis absconditos singuli habebãt, & cùm prædictus Maluta cum cæteris satellitibus in eos cum impetu irrueret, Tartari vnanimiter vt leones rugientes strenuè sese defendere cœperunt, vnusquisq; eorum ducem satellitum Malutam cultello appetiit, ventremq; ei quamuis lorica induto ad intestinorũ vsque profluxum transfodit. Dum sic res atrociter Tartaris sese obstinatè defendẽtibus agitur, ex satellitibus quatuor desiderati ceciderunt, vicemq; enormiter vulnerati, cæteriq́ue fugati, re infecta discesserunt. Cumq; magno Duci processus rei nũciaretur, statim quingentos scloppetarios cum bombardis, & arcubus in subsidium illis satellitibus contra decem nouem Tartaros misit, sicq; vndique circumuenti sagittis bombardarumq; glandibus confecti, & membratim dissecati in profluentem abiecti sunt.

DE TYRANNIDE, QVAM SVPER intimum secretarium consiliariumq; suum magnus Dux exercuerit.

CVm proposuerat magnus Dux has supradictas ciuitates funditus deuastare, tum id tam cautè, callidè & occultè peragebat, vt propositum suũ neminì, nisi cuidam Ophanasio Wiazinski (quem vnicè diligebat) reuelauerit, & aliquando bis per noctẽ de lectulo surgens, ad prædictum Ophanasium consultandi disceptandiq; de progressu rei gratia, ambulare nõ grauabatur, & quamuis etiam Italum Arnolphum doctorem medicinæ singulari gratia prose-

quebatur, attamen nunquã niſi per manus huius Ophanaſij medicinas ſumebat, eumque pro vnico almno habebat. Hic aũt Ophanaſius Hreorum quendã LoWczik dictum, magno Duci cõmendauerat, & iam in gratia apud magnum Ducem habebatur. Qui beneficij ingratus prædictum Ophanaſium benefactorem ſuum, ad magnum Ducem per cõtumeliam criminaliter detulit, quaſi ille arcanum ſibi credidum de vaſtandis Nouogrodẽſibus & TWerenſibus quibuſdam reuelaſſet. Cuius falſis dictis magnus Dux perſuaſus fidem adhibuit, ſed non ſtatim ſe acculato iratum exhibuit: ſub prætextu enim priſtinæ gratiæ & amicitiæ, ſeorſim cum eo arcana conſilia, vt ſolitus erat, variis de rebus conferebat, aliud ſimulando fingendoque, aliud animo occultando, malumq; & exitium ei ſub dolo amoris ſpecie machinando. Poſtea quadam die magnus Dux cum prædicto Ophanaſio ſimili modo conſilia conferens, ſatellitibus ſuis ſeruos eius præcipuos interea trucidare iuſſit, quod & factũ eſt, egreſſusque ille Ophanaſius à magno Duce, ſeruos ſuos miſerè trucidatos videns, quaſi non videret oculis auerſis, præteriit: deinde iuſſu principis bonis omnibus ſpoliatus, & funditus deprædatus, ex familiaque eius decemſeptem viri inſigniores occiſi ſunt. Ipſum autem magnus Dux bonis omnibus ſpoliatum, in locum publicum, vbi debitores baculis cęduntur (prout gentis mos eſt) ducere iuſſit, & tam diu crudeliter verberare, donec omne argentum & aurum, quod adhuc ſecretò reconditum habuit, indicare compulſus fuerit: nihilominus tamen qualibet die bis térve per crura baculis crudeliter verberabatur, iamq; cutis in eo præ duris verberibus perinde

inde vt timpana intumeſcebat: attamen adhuc eò grauius torquebatur, donec tormentis crudeliſſimis eò adactus eſſet, vt cõtumelia aliquot ciues Moſchouienſes, quos ditiores ſciebat, afficeret, quaſi ſibi magnam ſummam pecuniarum debiti fuerint; & quantam apud aliquem ſummam pecuniarum indicauit, tantam illi principi numerare & rependere (quamuis nihil debiti, ſed per contumeliam accuſati) compulſi ſunt. Neque hac quidem effera tyrannide, tanꝫque ſummæ argenti à nihil debentibus exactione ſibi temperauit, vt explendæ crudelitati ſatisfecerit, ſed ipſum adhuc eò crudelius torquere iuſſit, crura pedum baculis tondendo, donec præ nimiis verberibus ſpiritum exhalaret. Poſtea ſeruos eius reliquos (quibuſdam fuga dilapſis) trucidauit, virgines quoq; vxoris eius pediſſequas, quadragenas numero, quæ acu pingere peritiſſimè, ſiloque aureo intexere, & opus Phrygianum conficere nouerant: ex quibus forma præſtantiores & pulcriores ſelegit ad ſuam explendam libidinem.

MAGNVS DVX SEX PRÆSTANTES VIROS, *propter loricam inauratam crudeliſſimè necari iuſſit.*

CVm Timotheus Maſalski, Lituanus nobilis, illuſtri genere natus, captus in bello, tetro diuturnoq; carcere detineretur à magno Duce, & idem magnus Dux iuſſiſſet crudeliter tolli è medio, Palatinusq; vrbis Moſchouię Ioannem Piotrouicium, vt ſuprà dictum eſt, tum quidam ex famulis Palatini animaduertens fortunas domini ſui, & bona omnia miſerè perdi ac diripi, néve omnia perirent, & nihil ha- *Timothei Maſalski crudelis fortuna.*

beret: occultè accepit elegãtem loricam inauratam, eamque sociis suis seruandam tradidit, qui eodem in carcere erant, vbi & Timotheus Masalski. Postea factum est, vt illi eam oppignorarint Timotheo, qui eam seruandam dedit famulo, is autem liber erat, & suo domino in vinculis seruiebat. Itaque famulus, dum defert loricam in hospitium suum, incidit in vigiles, capitur, & statim offertur præfecto carceris, qui cùm videret esse pretiosam loricam, illam sibi vindicauit & occultauit. Erant autem & in eodem carcere duo ex sagittariis sclopetariisve magni Ducis, qui istud viderant. Quare consiliariis principis hanc rem detegunt, & referunt, præfectum carceris, seu commentariensem, accepisse loricam inauratam à Timotheo Masalski, quæ olim fuerat Ioannis Piotrouicij palatini Moschouiæ, hanc occultasse, penesque se habere: è vestigio consiliarij rem totam deferunt magno Duci, qui confestim iubet extrahi è carceribus Timotheum Masalski, & ante se sisti, sic & Commentariensem, & illos duos Moschouitas, qui pignori illi dederant hanc loricam. Atque illos duos sclopettarios, qui istud detexerãt, tum ibi omnes iussu Ducis immanissimè torquebantur, & tandem enecati sunt, quatuor quidem illorum aquis submersi. Ipse autem Timotheus Masalski & Commentariensis simul vincti in vrbẽ Moschouiam missi sunt, ibiq; die sabbathi, in vigilia festi diei Paschati ambo sunt publicè capite truncati, & in aquas coniecti. Sic ob hanc loricam sex supplicio affecti, & è medio sublati.

Commẽtariensis auaritia punita.

QVID

QVID ACCIDERIT ISTIS, QVI *inquirere voluerunt, quid nam ageret magnus Dux.*

QVidam secretarius magni Ducis sanguine ipsi iunctus, semel ad epulas inuitarat aliquot aulicos sibi familiares, quos sanè splendidè ac lautè excipiebat: oblitus est autem dum ita hilaris esset inter amicos (sicut sæpius euenire solet) adire principẽ magnum Ducem: misit vnum ex suis pueris in palatium principis, qui prospiceret quid nam ageretur in Basilica apud magnum Ducem. Puer autem cùm ascenderet per gradus palatij, vidit magnum Ducem, alloquentem quendam consiliarium, quo cõspecto famulus reuertitur domum, ad herum id ei relatum. Deinde verò cùm magnus Dux amandasset illum consiliarium cum quo conferebat, interrogauit, cuinam famulus venisset in aulam, & quam ob causam: Euocatur ille famulus ex itinere, & respondet se eò missum, visum quidnam ageretur in palatio magni Ducis: de repente princeps vbi causam intellexisset, retinuit penes se famulũ, & accersi iubet tam ipsum secretarium, quàm eius conuiuas: qui vbi venissent, variis tormentis diseruciari iussit eos, volens ab illis extorquere, cur misissent famulũ in regiam, percunctatum de eo: cúrve ad tam splendidum conuenissent conuiuium, pariter rescire cupiebat, quos de ipso sermones secretos tenerẽt. Itaque excruciati tam diris tormentis alij expirarunt, alios verò faculatibus exutos omnibus, semimortuos reliquit. Itaque ab illo tempore, & tam atroci ac tristi facinore, nemo ausus est mittere aliquem famulum, visum quid agatur in palatio principis: immo potius hora

Quàm periculosum sit, esse percunctatorẽ apud magnum Ducem.

ſtatuta ipſi cõſiliarij penitus adſunt,& proceres præſentes veniunt.

Wlodimiro commiſeratio noxia.

QVidam etiam Wlodimirus MorozoW cognominatus, vir celebritate famæ inſignis & maturæ ætatis, grauitateq; plenus Palatinus, ſemel quadam miſericordia motus condere fecit humi miſerum hominẽ, qui magni Ducis imperio interfectus fuerat. Is autem homo fuerat famulus ducis Curpiskij, qui ad regem Poloniæ defecerat. Hanc itaque ob cauſſam magnus Dux arguebat hunc Wlodimirum perfidiæ, ac ſi à partibus fugitiui Curpiskij ſtaret, & in Lituaniam ad ipſum literas dediſſet. Itaq; ſubitò coniectus eſt in carceres, vbi cùm longiſſimo temporis interuallo hæſiſſet; extractus & oblatus eſt magno Duci, cùm eſſet in ſuo palatio & aula regia, AlexandroWa dicta, diſcruciatusque eſt maximis tormentis: cùm ab eo nihil extorquere potuiſſent, tandem mortuus, & cadauer in aquas coniectum eſt.

Falſa criminatio in Baſilium Dimitrouiciũ.

BAſilius Dimitrouicius, vir ſummus & celebris in re militari, affecerat iniuriis aliquot præfectos tormentorum bellicorum, cùm Moſchouitas, tum & Germanos: quorum duo cùm vellent fugabi conſulere, capti ſunt à viarum cuſtodibus in finibus Lituaniæ, illi ſtatim deducti ſunt ad magnũ Ducem, qui tum erat in arce fortiſſima, vulgò *Wolochada* appellata, & miſeri illi quæſtionibus adhibiti, falſi ſunt, at falsò, quòd ſcilicet miſſi fuiſſent in Lituaniam à ſuo illo præfecto Baſilio. Itaque magnus Dux Baſilium Dimitrouicium ad ſe accerſit ex ipſa Moſchouia, variiſque tormentorum generibus affligi iuſſit in mediis illis cruciatibus cõſtanter falſus eſt, ſe nihil iſtorum

iſtorum molitum fuiſſe, de quibus accuſabatur, nec iſtud vnquam in animo habuiſſe. At magnus Dux repente iuſſit adduci quandam equam oculis captam, & iungi currui, & tum Baſilius equæ impoſitus eſt, eiſque alligatus. Deinde ambo conijci iubet in rapidiſſimum fluuium, vtẽs hac oratione: En tibi equam egregiam dedi, inſtitueras abire ad regem Poloniæ eum adito. Hæc itaque equa cęcitate percuſſa, natabat in alto iſtius rapidiſſimi fluminis & velociſſimi: ipſe autem Dux erat ſpectator cum ſuis ſatellitibus ſtans ad ripam fluminis, vt iſtius rei euentum intueretur: ac poſt longam natationem, hæc miſera & cæca equa adnauigabat ripæ. Verùm præfectus ſatellitum regiorum vocabatur Molunta ScuratoW, vt gratificaretur magno Duci: conto abegit equam à ripa & ſeſſorem: ſic vi aquæ rapitur iterũ equa. Tum magnus Dux exultabundus inquit: O facinus egregium, & valde lepidum. Quare hæc miſera equa defatigata vi aquarum rapidiſſimarum, ſubmerſa eſt, vna cum iſto Baſilio Dimitrouicio.

Phalarii ſmus magni Ducis in Baſilio è medio tollendo.

Aliquando cùm verſus Nouogrodiam regionem proficiſceretur magnus Dux, accidit quendam equitem, famulum cuiuſdam magni viri fortè præceſſiſſe illum: & Dux ad latus ſiniſtrum iubet deflecterę hominem, ira percitus iuſſit iſtum fruſtulatim diſſecari: & ſegmina membrorum luto & altiſſimo cœno miſceri.

QVALI VENATIONE MAGNVS Dux plurimùm oblectetur.

QVotieſcunque magnus Dux cum filio, tempore hyemis reſpicit ex ſua arce, videtq; homines

Barbarum et detestabile magni Ducis ludus: & inhumana voluptas cũ hominũ interitu connecta.

turmatim incedentes in lacubus & fluminibus gelu concretis, ac præcipuè diebus festis, tum iubet, vt in illam confertam hominum multitudinem tres aut quatuor vrsi immanes immittantur, & irruãt eximprouiso. Ibi qui sibi fuga consulere possunt, aufugiũt alij crudelissimè à feris illis dilaniantur. Sic hoc pulcerrimo spectaculo pater & filius delectantur vehementer, & rident affatim ac si pulcrum esset facinus. Deinde cùm accedit miser pater, lamentatũ se, quòd amiserit filium, & etiam vxor maritum, qui ab vrsis sic mactati sunt, tunc iubet istis numerari aureum nummum, vel duos, quia sic interfecti sint eius liberditi. Addit deinde ipse Dux se magno beneficio affecturum ipsos, quòd eius permittit instituere querimoniam coram se: at si subijciunt rem esse infamem & nefariam hoc genus crudelitatis exercere. Iterũ respondent consiliarij magni Ducis, magnum Ducem & eius filium magnam ex hac re voluptatem percepisse, & istud vidisse: sic nullum peccatũ esse hîc commissum. Ad extremum si ad ipsum Ducem venit mater miserrima lamentando se de cæde filij, aut ipsa vxor ob amissum sic inhumaniter maritum. Breuiter excipiũt illi: perbene satisfactum esse ipsis, vbi nummos argenteos monetæ Moschouiticæ centum aut ducenti numerati illis fuerint.

Sæpenumero accidit, cùm magnus Dux est in suo palatio Alexandrowa, & cogitat de aliquo sumpto viro sumere suppliciũ, tum delectationis causa iubet istum obuolui pelle vrsi, & deinde ad spectaculum educi: tunc incitat in ipsum aliquot molossos, & certum pelle vrsina esse vrsum, illum morsibus & vulnibus dilacerant, & crudeliter laniant, eosque quo membratim sic discerptum relinquunt. Ita inhumaniter iste vitam finit.

DE TRVCVLENTO FACINORE, ET crudelitate summa, quam ille summus Dux exercuit in captiuos Lituanos, Ruthenos & Polonos.

ANno Domini 1569. die Ianuarij nono, cùm Lituani copias militum non valde magnas cõscripsissent, quarum dux & imperator erat quidam Polubiensius strenuus vir: ceperunt inopinatò vrbem & arcem vulgò Izborg dictam, quæ sanè natura loci est satis fortis. Hęc vrbs iampridem parebat Moschouitis: at quia non erat bene nec milite, nec annona hæc arx munita, iterum recepta est à Moscho, & à nostris amissa. Magnus itaque Dux cùm videret se amissetam munitam arcẽ, statim furore & rabie quadam plenus, iubet vt omnes Lituani, Rutheni ac Poloni, qui erant in vinculis crudeliter mactentur. Verùm quorundam consilio, qui certas causas ei proferebant, ne id scelus committeret, factum, vt hic eius furor interciderit, nec quod impiè cogitauerit, perfecit. Atque licèt tunc eis pepercerit, tamen postea omnes internecioni dedit, vt suo loco explicabimus. Quamobrem illi captiui, qui in ergastulis in vrbe Moschouia asseruabantur, ad lanienam & macellum ab eo constitutũ: nihilominus tamen, quo suum sanguinolẽtum animum pasceret, sic ipsi placuit, vt eius satellites passim captiuos per arces in vinculis dispositos adducerent, maximè verò eos, qui erãt in carceribus, Pereslauia, Rostouia, Vchlicia, Costroma. Isti aũt omnes erant Poloni, Lituani & Rutheni,

vnà cum vxoribus & liberis, quos ad vnum crudeliter perdidit, aquisque obrui iussit. Sic itaque hoc diro mandato instructi satellites magni Ducis, ad illas arces venerunt, hacq; insidiosa oratione erga illos miseros vinctos vsi sunt. Nũc magno beneficio magnus Dux & imperator vos afficere cupit, & etiã regi Poloniæ hunc fauorem declarabit, quòd vos liberos ad committet in Lituaniam: idcirco vos deducemus ad consiliarios principis, interea vxores & liberi vestri vsq; ad triduum hîc vos expectabunt. Atque cùm à conspectu carissimarum vxorum & liberorum abduxissent illos procul, tum vinctos manibus pedibusque proijciebant in rapidissimum fluuium Volga appellatum. Verùm exacto triduo quidã Moschouita misertus vicem istarum mulierum frustra maritos expectantium, inquit: O miserę animæ, & infelices mulieres, vos eadẽ sors manet, quam iam passi sunt mariti vestri, qui sunt proiecti in Volgam fluuium. Atcùm affaretur istas mulieres homo ille, satellites interueniunt, quorum manus de cæde maritorum erant adhuc cruentatæ, & spirantes necem, venerunt in carcerem, vnde abducũt gregem illum mulierum captiuarũ cum liberis ad submergẽdum aquis. Tum illæ calamitosæ fœminæ & infortunatissimæ, sibi proponentes ob oculos vicinam mortem adeò horrendam & terribilem, multis effusis lacrymis petunt ab istis administris principis, vt aliquid temporis concedant, quo sua peccata Deo opt. max. cõfiteri possint & eius misericordiã implorent, velitque pro sua clementia omnibus eorum erratis clementer ignoscere: id quod à satellitibus eis cõcessum est. Idcirco horas duas versabantur in piis orationibus & deprecationibus

Moschus sæuit in captiuos.

Moschus Herodis infanticida superat crudelitatem.

pro sua diuina bonitate ac clemẽtia parceret, & ad se reciperet: ac cantatis diuinis hymnis, animas suas Christo redemptori, ad supplicium mortis subeundum se parabant, mutuisque oculis sibi datis, mirificè se consolabantur, vt forti patientique animo omnia perferrent. Istis rebus omnibus absolutis, ducuntur ad flumen, quarum aliæ liberos manu trahunt, aliæ verò infantes suos vberibus admouent. Sed cùm iam ad ripam rapidissimi illius fluuij venerũt: tũc pro ingenio & natura muliebri, partim ob inusitatum genus mortis, in tam horrendum eiulatum, fletumque erumpunt, vt & cælum ipsum penetrarint. Satellites autem inhumani, minari eis cœperunt, vrgentes eas, quo illæ sua sponte se aquis traderent. A quo indigno facinore cùm abhorrerent, statim illi satellites in eas impetum faciunt, & eas cum liberis in aquas illius fluuij, cuius glacies confracta erat, abijciunt. Et sanè ob tristissimi & crudelissimi istius facinoris aspectum, vulgus Moschouitarum cùm non possent se continere, in lacrymas effundebatur, commiseratione summa perculsus, quòd tam indignissimè istæ insontes fœminæ cum liberis tam detestanda morte affectæ fuissent, execrãtes in vniuersum carnificum istorum immanitatem. Quapropter cùm has voces lugubres populi audirent satellites, quodque ægerrime ferrent hoc genus supplicij, tunc minis vtentes ac ferientes populum baculis, abigunt, hæcque verba addunt: O rebelles magni Ducis, apertè videmus, quòd propter istos captiuos supplicio affectos, fletis, at propediem credite, vos eadem fata sequentur.

DE FRATRICIDIO PERPETRATO à magno Duce anno Domini 1570.

Cainũ imitatur magnus Dux, qui occidit Abelem.

FRater germanus magni Ducis immeritò ac perfidè delatus fuerat à quodam consiliario, cui nomen erat Trzeciak Wiskonati. Audita hac iniusta accusatione princeps, nullã fecit potestatem fratri falsissimum crimen diluendi, atque quàm ingentes cruciatus excogitare potest, illos adhiberi iubet ad exanimandum & torquendum fratrem. Dumque est in mediis cruciatibus, exegit ac extorsit ab eo omnes illius thesauros, & bona omnia tã mobilia, quàm immobilia sibi vendicat, atque cùm præ magnitudine tormentorum vix semiuiuus esset, tum iussù principis securi illum ferit carnifex. Deinde fratriam suam, quæ ante conspectum eius procumbebat in terram, facie demissa, implorans misericordiam, arripi iubet à satellitibus, omnibus vestimentis exui, & turpiter mè nudam cõstitui. Ita diutissimè illa miserrima fœmina nuda omnium oculis exposita fuit.

Neroniana crudelitas.

Deinde quidam miles iubente principe eam fuste alligat, & conscenso equo, velocissimo cursu sine vlla misericordia, per trahit illam in flumen, & aquis submergit ac perdit. Sic iste magnus Dux tam ἄσπλαγχνος & impius extitit in fratrem & fratriam.

QVO AMORE MVTVO SE PROsequi soleant Moschouitæ.

In Moschouita homo homini lupus.

HOc genus hominum Moschouitæ, est adeò barbarum & perfidum, vt nihil sinceri sit apud eos, nec se vnquam vero ac naturali amore prosequuntur, alter alterum impudentissimè & cõfidentissimè

Nec frater à fratre, nec socer à genero tutus.

sic sunt perfrictæ frontis, criminis alicuius insimulatus non veretur, siue palàm, siue clàm, aut apertè, aut per insidias inuicem perniciem sibi machinãtur, muisque conuitiis lacessere se soliti sunt. Familiare est apud eos patrem filio insultare, & filium in patrem irruere, ac fratrem perfidè deferre, sic vt nulla apud eos fides, & sanguinis reuerentia sit, etiã in conspectu magni Ducis se proscindunt contumeliosè. Itaque accidit semel ante principem anno 1570. quosdam duos fratres germanos, & nobiles, istius rei luculentum documentum edidisse, horum vnus vocabatur Mikieta Obolinski, qui malo genio præditus familiæ gentisq; nomen patrium suum commutauerat: idq; audiente ipso Duce, excogitauerat aliud cognomen, nẽpe PoWrozoWski, ac si diceres funigerum aut furciferum, & patibulo dignum hominem. Alter autẽ frater sue nobilitatis haud immemor, gentilecque nomen retinens, cùm fratrem alloqueretur, cõpellare cœpit nomine gentili Obolinski, qui velut furens, & atroci iniuria à fratre affectus, magnũ Ducem adit, & ad eum sic fratrem defert: Princeps serenissime, peto abs te, vt ius mihi administres de fratre, qui infami nomine me contaminauit. Vocor PoWrozoWski, & me contemptim appellauit Obolinski. Idcirco supplex te oro, vt meritas ille luat pœnas, non enim leuem ab eo mihi factam iniuriam censeo. Tum magnus Dux euocat consiliarios, quasi de re maximi ponderis consultandum fuisset, inquiens: Necesse est, vt vos hanc contentionẽ & grauem controuersiam inter istos duos fratres exortam adhibito summo iudicio, & magna cum æquitate dijudicetis. Frater itaq; ille, qui ita turpiter abnegauerat suam

nobilitatem, acceſſit ipſos conſiliarios, vt rem totam enarret, & ſibi ius reddi poſtulet aduerſus fratrem: Atq; cùm iam veniſſet frater alter, qui meritò ſuam nobilitatẽ intuebatur, en in caput illius inuolat iſte perfidus, & obijcit vrſo, qui cum vnguibus dilaniare incipit, crudeliterque dilacerat. Et cùm immaniſſe frater videret quodam modo feram beſtiam laſſari, enſe ferit alterum fratrem in pede, & ſtatim magna vis ſanguinis profluxit, quo ille inunxit os vrſi, qui cùm primùm lambẽdo cruorem humanum iterum deguſtauit: & ſic animatus vrſus ſecundò apprehendit illum miſerum nobilẽ, & horribiliter deformem reddidit. Quare iam iſte impius frater, vidẽs ſibi pro iniuria ſcilicet eſſe ſatisfactum, voluit feram abſtrahere & arcere, ne amplius ſæuiret, néve fratrem magis cruciaret: at vrſus ita æſtuabat, & ad mactandum accenſus erat, vt nec ab illo, neque à multis aliis poſſet difficulter ab illo dilaniando abſtrahi, tandem ex faucibus vrſi, & carnificina illa ereptus eſt ille nobilis.

Crudelis pœna ob nobilitatis dẽ fẽſionem aduerſus degenerem.

Simile quoddã facinus huic accidit, cùm magnus Dux Nouogrodiam depopularetur, ferro, inquam, & igne omnia perderet, vt ſuprà dictum eſt, ducti ſunt captiui aliquot nobiles in Moſchouiam vrbem, inter etiam illos fuit quidam cum vxore & liberis, quem nobilis commendauit cuidam aulico regio amico ſuo. Iſte cùm detineretur captiuus diu abiſto aulico, ſemel conqueri cœpit, idq; grauiſſimè de inaudita illa tyrannide, qua vſus eſt magnus Dux in Nouogrodienſibus internecioni dandis, deque interiis, quibus ille & tota nobilitas affecta fuerat: & plenè iugum iſtius tyranni eſſe intolerabile, hiſce verbis: Deus qui ſolus iuſtus eſt, haud dubiè ſuo tempore vin-

dictam ſumet de illo ſanguine innocentũ tam inhumaniter & crudeliter ſparſo, in ipſum Ducem & totam eius poſteritatem: dignis pro meritis pœnis ipſum caſtigabit. Deinde paucis poſt diebus, cùm in animo ſuo volueret, ſe nimis temere iſta effutiuiſſe, & hunc nobilẽ, apud quem erat in captiuitate, hæc delaturum ad principem. Itaque fraudulenter excogitare cœpit, nihil eſſe melius, quàm ſi potius in hoſpitem ſuum hoc crimen transferret. Scribit ſupplicem libellum ad principem, in quo indicabat magno Duci hunc aulicum principis hæc verba in dedecus ipſius protuliſſe: tradidit eundem libellum deferendum aulico, qui inſcius erat omnium quæ ſcripta fuerant. Magnus dux quàm primũ perlegit ſupplicem libellum, iubet ad ſe accerſi illum Nouogrodienſem nobilem, qui erat captiuus apud hunc aulicum. Iſte oblatus principi, ferrea fronte præditus, ſtatim confert crimen, quo erat reus in ipſum aulicum impudentiſſimè, & ita ſe rem habere aſſerit, inquiẽs: Sereniſſime domine & magne Dux, tu nos ſubditos & ſeruos fideles affligis miris modis, interfici, membratimque diſſecari iubes: facultates & fortunas noſtras nobis rapis, proditores nos appellas, rebelles & periuros, & alia horrenda nobis obijciuntur, & ob oculos ponuntur, quæ omnia immeritò patimur, nec iſtorum rei ſumus. At ſi ſcires quo odio vel pluſquam Vatiniano te proſequantur tui domeſtici, & quanta ſit perfidia illorum, quibus plurimum fidis, erga te, quos quotidie maximis accumulas beneficiis: profectò egregiè eos exciperes, ex quorum numero eſt iſte aulicus tuus, cuius carceri me tradidiſti. Nam heri veſperi me præſente & audiente, ia-

Nec hoſpes ab hoſpite tutus. & ingens ingratitudinis exemplum.

ctabundus hæc verba pronunciabat: O vtinam Deus citissimè innocentes vindicet à crudelitate istius tyranni magni Ducis, nam ille diris tormentis suos afficit, mactat & trucidat insontes, eorum bona & opes sibi adscribit, contra omnem æquitatem. De quibus rebus & iniquitatibus Deus breui sumet suppliciũ, istum principem & tyrannum conteret & euertet cum tota eius familia, nec patietur eius successorem regnare. Tum magnus Dux irrumpit in iram, & sic infit ad hunc miserum aulicum iniustè ab ipso captiuo accusatum: O perfide percipísne ea, quæ iste contra te profert? nec data illi potestate respondendi & diluendi falsam criminationem, variis quæstionum generibus torquetur: qui cùm nihil fateretur, & confictum crimen diceret: iussit hominem membratim dissecari, & postea in profluentem iaci: sic ille nobilis ignobilis planè & belluini ingenij falsò detulerat ad principem insontem, lingua sua mendaci accersiuit necem innocenti, & ipse ex alterius interitu vitam & libertatem sibi comparauit.

MISERABILIS ET INDIGNISSIma laniena, cùm duorum procerum Moschouitarum, tum etiam reliquorum Lituanorum ac Polonorum captiuorum, quibus paulo antè pepercerat magnus Dux.

Dies festos Dux Moschouiæ sæuitia sanctificare solet.

ANno Domini 1570. cùm ex Moschouia internuncij regis Poloniæ, proceres Poloni & Lituani discessissent, die Eliæ prophetæ, qui dies festus apud Ruthenos est celeberrimus, & magnus Dux accũberet mensæ, & ei apponerentur secunda fercula, velut

velut quodam œstro correptus, surgit à mensa, & sic alloquitur sibi astãtes satellites, sequimini me, quod faciunt ipsi, & mille quingenti catapultarij equites: ille verò princeps pernicissimo cursu pergit ad arcẽ, ibique omnes ordine se collocãt ante palatium Ducis, tum etiam in hac arce cùm habitaret vir summus, & ex proceribus non postremus, Petrus Serebrinus, & rei bellicæ peritissimus, iubet magnus Dux ipsius domum more hostili impeti & inuadi ab istis militibus, ipsum autem capite diminui & truncari: dicto principis parentes irruunt in domum illam, statim capiunt, & miserum illum Serebrinum extrahunt ex ædibus, ac offerunt magno Duci, qui sine alia inquisitione, nec facta vllius facinoris admissi ab eo mentione, cõfestim ille satellitum præfectus Sc Wator, arrepta securi caput illi amputat. Ad extremum cùm magnus Dux, quicquid illi visum fuerat, rapuit & ex fortunis istius Petri Serebrini, reliquum permisit prædæ militum: & ne quid superesset bonorum illius, iussit reliquias flammis & igne perdi. Vbi istud perpetrasset, conuertit se ad alium locum arcis: (est autem hæc arx amplissima, & valde spaciosa: vbi complures magnates & nobiles habent ædes suas) & iubet magnus Dux cuidam nomine Bulato magistro equitum, vt cum nõ parua manu militum ædes adeat clarissimi & magni nominis viri Miessoiedi. Huic magno viro princeps vix ante annum rapuerat vxorem elegantis formæ fœminam & ancillam, qua turpissimè abusus, & illas vbi violasset, fecerat suspendi ac strangulari in superiori limine ianuæ ędium istius viri, vt suprà diximus. Iste præfectus equitum aggreditur illas ędes, & expugnat facillimè,

Petrus Serebrinus iniquè perit.

Eadem sors est viri illustris Miessoiedi.

hunc Mieſſoiedi in medium forum trahunt: & ipſe præfectus caput illi acinace obtruncat: qui cùm iam commiſiſſet iſtud ſceleratum homicidiũ, enſe & manibus cruore madentibus procedit ad magnum Ducem, & velut re maximi momenti præclarè geſta, ait: Sereniſſime domine & magne Dux, iam ſummo cum honore perfeci quod tu mihi in mandatis dederas. Ibi magnus Dux pro ſuo more vociferari cœpit ſuũ *Hoyda, hoyda*, cuius clamorem tota turba ſequuta eſt, eadem felici acclamatione vtentes. Ex arce deinde magnus Dux deflectit ad carceres, vbi erant multi captiui Poloni & Lituani, ſuis ſatellitibus armatis comitatus. Vbi quidam mercator ciuis Moſchouiticus, quid ageretur ignarus, vbi eminus conſpicit magnum Ducem cum tanto ſatellitio, retrogreditur præ metu tyranni, quem ſtatim apprehendi iubet & fruſtulatim diſſecari, inquiens, ne vnquam fugias ante conſpectum tui ſupremi domini. Atque cùm propius ad carcerem veniret, ipſe Commentariẽſis, qui ibat petitum panem pro captiuis, aſpiciendo principem aduentare, præ timore etiã reuerſus eſt, & eundem magnus Dux raptum, minutim ſecari iubet, dicens: alia vice non timebis. Itaq; cùm iam appropinquaret portas primi carceris, dicit cuſtodi, vt citiſſimè fores aperiat, qui metu correptus & tremebundis manibus vix aperuit: Aperto carcere indicit prius educendos nobiles captiuos Polonos & Lituanos, quorum primus fuit Petrus Biekowski eques Polonus ſtrenuus miles, illius pectus transfodit magnus Dux lancea, at tam generoſi fuit animi ille Biekowski, vt lanceã arripuerit manibus, & intorquere voluerit in ipſum magnũ Ducem, vt hoc pacto perpetuam

Obuios mactat Dux.

Belluina crudelitas in captiuos.

Magnanimitas Biekowski in tyrannum Moſchum.

petuam nominis famam ſibi conciliaret, quòd tam infenſum generi humano tyrannum ſuſtuliſſet. At magnus Dux hoc animaduerſo, cœpit exclamare in filium: Iuuan Iwan, id eſt Ioannes fili fer opem, qui celeriter accurrit, & iterum illum Biekowski haſta transfodit, & ſic mortuus in terram cecidit. Secundò productus ad lanienam alter nobilis Polonus Albertus Bugaski, hũc etiã ipſe Dux ſariſſa ſua trãſuerberauit. Tertius fuit Beſus, nobilis & magnæ familię, gente Sileſius, qui eodem mortis genere periit. Quare cùm iſtos ſtrenuos viros & nobiles Polonos manibus ſuis interfeciſſet, cœpit ſuo acclamationis genere vti, velut magnam victoriam adeptus fuiſſet, *Hoyda, Hoyda*, quem ita ouantem omnes clamãtes & vſurpantes hanc vocem perſequuti ſunt. Tum ſic affatur ſuos ſatellites: Mactate mi iuuenes: irruite in carcerem, & obuios quoſq; captiuos ſine diſcrimine & vlla miſericordia membratim diſſecate omnes. Iſti dicto parentes, in primo carcere quinquaginta occidunt vinctos: Poſtea accedit ſecundos carceres, & ſimiliter manibus ſuis occidit tres nobiles, quorum vnus erat Ruthenus, ætatis maturæ, Polocenſis Iacobus Molski, alter erat gener illius, eques Polonus, Iacobus Molski, ſic & tertium ſimiliter nobilem Polonum, quibus omnibus ita trucidatis erumpit in ſuam vocem lætitiæ ſolitam, & omnes ei accinunt ac reſpondent: & ſtatim reliquos iubet à ſuis ſatellitibus diſſecari, quod factum eſt: erant autem quinquaginta quinque, exceptis multis infantibus, qui vix nati erãt dies ſeptem. Tertiò cùm acceſſiſſet carceres, ibi & manibus ſuis edidit crudelitatis ſuæ exempla, tres mactando nobiles Polonos, alios ferè

Litat Plutoni Moſchi, trucidando captiuos, in omnib. carceribus poſitos.

quinquaginta quinque, cum securibus & ensibus Satellites membratim trucidarunt. Sic perpetrata hac immani strage & inaudita tyrannide, sic sparsa dissectaq; illa corpora iacere permisit supra terram, quæ iam epota & imbuta erat, & mollissima reddita ex effusione sanguinis illius humani. Quamobrem rediit triumphans & ouans in palatium, & totum illum diem in hymnis & tripudiis, & omni sonitu instrumentorum musicorum consumpsit: non aliter ac si magnam victoriam de hostibus adeptus fuisset. Sub vesperum præcepit frustula membrorum istorum occisorum colligi, & extra vrbem poni: quiin tres cumulos sunt collocati, & aspersi arena & terra: sic mãdati sunt sepulturæ. Erat inter cadauerum frusta mulier nobilis vxor illius Molski, quæ cùm fuisset grauiter sauciata, nondum mortua, hæc orabat pollinctores qui fossam faciebant, vt eam dimitterent liberè & parcerent ipsi: at illi nulla moti misericordia sepelierunt eam viuam cum illis fœtidis cadaueribus.

Mezentium sungebat viua corpora mortuis, sic Moschus facit.

Duo nobiles captiui ex ista immani laniena remãserant, quos tamen postridie iste tyrãnus capite plecti iussit, & extra vrbem proijci, vixq; aliquid terræ illis iniectum. Vbi erant illa cadauera tot nobilium & strenuorum virorum, vix arena superiecta fuerat, id quod haud dubiè ex composito fieri iusserat magnus Dux ille, vt essent alitibus & feris præda. Tertio deinde die, quidam Germanus tormẽtorum bellicorum præfectus, misertus hanc proiectionem cadauerum, quibusdam trestaleros dedit, vt fossa profunda facta, vel maximè terræ tumulo iniecto, hasce cadauerum reliquias sepelirent & tumularent.

Bombardarij Germani facinus misericordia plenum.

DE

DE TRVCI CARNIFICINA, QVAM exercuit magnus Dux in clarissimos quosque suos consiliarios & optimates.

Die sancti Iacobi in Iulio anno 1570. in ipsa vrbe Moschouia, magnus Dux iussit affigi octodecim palos grandes, & supra illos totidem trabes in transuersum apponi in formam furcarum. Ciues cùm primùm animaduertunt tale theatrum parari & instrui, ingenti metu correpti, se in fugam proripiunt, etiam mercibus & tabernis meritoriis relictis, prædaq; expositis: nemo sanè præ metu in forum prodire audebat, Nam isti rumores in vulgus sparsi fuerãt, ipsum magnum Ducem instituisse omnes ciues vrbis Moschouiæ extremo afficere supplicio, cruciq; cõplures affixos iri. Satellites ad maiorem terrorem incutiendum, in medium forum adferebãt varia genera tormentorum & quæstionum ad homines torquendos, quæ admouebant istis trabibus. Deinde excitato luculento igne, vas ingens aheneum apponebant aqua plenum, vt bulliret & ferueret per multas horas. Quibus rebus ita comparatis venit magnus ille tyrannus, stipatus ampla & copiosa suorũ satellitum caterua: & ita instructus, quasi vellet in aciem & pugnam exire: sequebantur eum velut à triariis mille & quingenti catapultarij: Duxq; ipse se collocauit penes aheneũ, exercitus verò militum in circuli & coronæ formã dispositus. Tum adducti sunt in proscenium trecenti nobiles Moschouitæ, antiquissimarum & nobilissimarum familiarum homines, qui paulo antè præ nimio quæstionum cruciatu ita mutilati, & pessimè tractati fuerant, vt vix semiuiui

Theatrum luctuosum, & miserabile erectũ à magno Duce die S. Iacobi.

Descriptio noui supplicij.

viderentur, vixque pedibus stare poterant, sed à militibus trudebantur turmatim, vt pecudes ante principis conspectum.

Is cùm perspiceret omnes præ pauore & ingenti timore se abdidisse in latebras & domos suas, ipse tãc obequitare cœpit per omnes vrbis plateas, clara voce euocabat ciues, inquiens: venite absque vllo metu, securi estote, prodite spectatum, nihil grauiusin vos cõstituam, hoc vobis polliceor, quamnis is meus fuisset paulò antè animus, vos omnes funditus delere & perdere, sed iam mihi hæc mẽs mutata est, turò egredi potestis, & in forũ venire intuitum quid agetur. Tum miserrimus ille populus egressus turmatim & confertim, forũ repleuit, imò erat tanta multitudo spectatorum, vt multi ascenderint domorum tecta, quò quis istius tragœdiæ futurus esset exitus, viderent. Atque postea affatur sic illam promiscuam hominum multitudinem: An num, ô subditi, iustissimè ago, quòd ita pœnas luãt perfidi & scelerati prodditores mei? tum populus statim vno ore acclamare cœpit: Viuat diu felix, & incolumis princeps & rex noster: at improbi & flagitiosi suis meritis dent dignas pœnas. Deinde magnus Dux iubet produci centum & octuaginta ex illo damnatorum numero: postea sic alloquitur nobiles, qui ad illud spectaculum venerant: En vobis istos liberaliter dono, doque eis vitam, accipite illos, liberos à noxa dimitto: eisque pro mea clementia, gratia ac fauore ignosco, hoc pacto isti liberè dimissi, & ex præsenti morte diuino beneficio erepti. Tandem prodit magni Ducis primus secretarius, qui damnatorum album & catalogum habebat: & tum iubet educi quendam Moscho-

Malus animus in Duce, & mala mens.

Miser populus præ timore applaudit Duci.

Præter spem multi liberati.

Moschouitam antiquissimo genere cretum, præcipuus inter eos, qui ab intimis consiliis Ducis sunt, erat: appellabatur Ioannes Michaelowic Wiskowaty. Ibi ille secretarius principis, longa serie referre incipit crimina, quibus falsò iste vir præstantissimus accusatus fuerat hisce verbis: Ioannes Michaelowic Wiskowaty, cancellarius magni Ducis, perfidissimè & impiè se gessit in principem. In primis scripsit regi Poloniæ se ei velle tradere ciuitatem & arcem mugrodia: & hæc est prima in te accusatio: at tum scutica illum in caput percussit, addendo hæc verba: Perfidus es & ingratus, quòd vsus sis hac improbitate aduersus tuum supremum dominum. Altera perfidia est ista, quòd literas dederis ad imperatorem Turcarum, vt cum exercitu potentissimo veniat occupatum & debellatum regna Scythica, Casanense & Astraense, vt erat illi in votis: quo dicto similiter flagello cæsus est in caput, subiecitque, & secundò tuum principem fraude doloque prodere voluisti. Tertium facinus quod admisisti est, quòd ad Scytharum Cæsarem literas dedisti, quibus ipsum hortatus es, vt cum suo copiosissimo exercitu irrumperet in Moschouiam, eamque deuastaret & depopularetur, atque occuparet: vnde factum est, vt ingens damnum & irreparabile dederint Tartari in Moschouia: tam ipsius Ducis arces igne perdendo, quàm etiam longè lateque miserum populum ferro interficiendo, & vinctos multos cathenis in durissimam seruitutem, innumerabilem inquam vtriusque sexus turbam abigendo: quorum cùm sis author tantorum malorum, meritò vltimo es afficiendus supplicio:

Falsæ accusationes in cancellarium principis.

atque vt antea fecerat, flagro asperrimè eum cæcidit regis secretarius. Tum miser cancellarius istis falsis criminationibus insimulatus, & cùm se innocentem esse sciret, sic respondit: Testor Deum optimax. qui solus est scrutator cordiũ & renum, in cuius conspectu profiteor me esse peccatorem, sed confido eum pro sua diuina clementia, propter sanguinẽ effusum carissimi sui Filij, mei misertum iri. Testor, inquam, Deum, me semper fidum & diligentem fuisse in munere publico mihi commisso à magno Duce, vt fas est: ideo à falsis istis accusatoribus prouoco ad tribunal Dei, quòd iniustè sum accusatus & traductus apud principem, atque hæc impostura detegetur in extremo die iudicij. Princeps, cùm stabis ad conspectum diuinæ maiestatis, mea innocentia apparebit: nunc verò apud te nulla ratio & æquitas locum habet, nec me à criminibus falsò mihi impositis licet purgare. Adeò est tua auaritia inexplebilis, & pertinacia vlciscendique libido, vt sitias sanguinem meum: ebibe igitur illum pro lubito, & iam satisfac iastuæ improbitati, vt constituisti: nunc quidem tua figmenta & importuna commenta videntur habere speciem veri: quia omnia per vim agis. Itaque satellites excipiunt, en videmus te esse reum, cùm tam dura oratione insurgis in principem, turpiter lapsus es, & tuos sermones optimè expendimus. At ille cancellarius ait: Vos ô infelices homines cum magno Duce, estis prædones, & omnis improbitatis illius administri: effunditis immeritò cruorem innocentem: tyrannicè omnia agitis, per fas & nefas ruitis in cædes mortalium. Hæc omnia quæ mihi obijciuntur, falsissima sunt, nihil vobis facilius, quàm

Grauis apologia cãcellarij ad confictas criminationes.

tollere è medio insontem: at Deus aliquando, & veniet hora, quæ non speratur, cùm vos puniet, & pro meritis in vos grauiter animaduertet: quæ cùm tam liberè protulisset, consputt in faciem illorum. Quare magnus Dux iubet carnificibus hominem rapere: quem statim raptum, exuunt & ligant ad furcas illas sic dispositas: & suspendunt prono capite & ore in terram. Præfectus satellitum sic affatur ipsum magnum ducem: Quo genere supplicij istum affici iubes? Tum respondet, vos omnes aulici mei suo ordine istum excarnificare debetis & dilaniare: Quare accingit se operi iste præfectus Molutw dictus, & ex equo descendẽs, accepto cultro auriculam dextram illi abscidit, alter aulicus sinistram excidit, tertius lacertum amputat, & sic ordine omnes illum membris mutilarunt, vt omnes se tam nefando homicidio contaminarent, & cæde istius innocentis essent rei. Ad extremum quidam secretarius principis ne quid deesset ad cumulum crudelitatis, cõscidit illi pudenda, & tum statim exalauit animam miser cancellarius. Quare magnus Dux videns ob abscissum membrum genitale, statim obiisse cancellarium, indignissimè tulit, atque dira imprecatus huic secretario, sic in eum inuectus est: O scelerate, expectes paululum, istud totum est tibi exedendum, quod iste exedere debuit. Nam penitus credebat, quòd commiseratione motus, cruentas manus ita illi intulisset, vt citò è viuis discederet. Cõstituerat sanè istum secretarium morte truculenta punire, sed Deus anteuertit tyrannidẽ principis, quia paulo pòst lue infectus, mortuus est. Satellites deinde demortui Ioannis Wiskonati corpus deponunt ex furcis, & sic sequire incipiunt

Crudele supplicium, quo affectus indignè cancellarius.

in illud cadauer, frustulatim illud conscidendo, prius tamen abscisso illi capite. Iste est exitus istius præstantissimi ingenio & virtutibus multis, excellentissimi viri cãcellarij magni Ducis, cui parem nunquam habuit imperium Moschouiticum.

Thesaurarius magni Ducis eadẽ bonitate cõscientiæ fretus, qua cãcellarius rapitur ad necem.

Iussit secundo loco produci in theatrum, suũ thesaurarium, cui nomen erat Michael Funichow, vir magni nominis & ingenij acerrimi, socius fidusque amicus illius cancellarij. Iste non longis verborum ambagibus vsus est in sua defensione, sed breuiter sic loquitur: Appello ad Deum, qui omnium rerum est conscius, & cuius oculus omnia intuetur, quia nunquam quicquam in te dominum meum commisi, semper bona fide & sine fraude in administratione mei muneris me gessi: & cùm accuser abs te, impiè & iniquè iam tibi dicam scribo, & anima tua in altero seculo se sistat coram diuina maiestate, vt mihi iniuriam faciat. Hæc verba vbi protulisset, iubet magnus Dux arripi miserum, & exui, atque furcis alligari eo modo quo & cãcellarius. Tum postea ille Maluta præfectus satellitum haurit ex vase æneo, vbi erat aqua feruidissima, & deinde alter equorum magister accepit vas plenum aqua frigidissima, iste primò illa qua caput abluere cœpit, postea calidam & feruidissimam aquam infundebat: sic ille infortunatus vim feruoris & ardoris illius aquæ sentiens, ob atrocem feruorem vociferabatur mirificè: at ille minister tyrannidis Maluta magis ac magis infundebat illam calidissimam aquam, ita vt tandem pellis capitis contraheretur in modum serpentis, cùm se in spiras contorquet: ita hoc crudelissimo supplicij genere confectus, expirauit. Tertiò iubet adduci in medium

Genus supplicij immane.

suum cocum, iste cocus infinitis falsis testimoniis reus erat peractus, eoque genere supplicij est affectus, quo & Ioannes Wiskowaty, nempe membratim est dissectus, amputatis illi pudendis. Deinde iussit adduci quendam Georgium Czapkinu cum vxore & liberis, qui inter amanuenses & secretarios non postremum locum tenuit, cumque ex equo descenderet magnus Dux, Basilius Themkin iussu principis caput illi abscidit, sic & vxori ac liberis. Iste Themkin erat proscriptus ex Lituania, ob necem Palatini Plocensis, & in Moschouiam aufugerat, tanquam ad asylum, primumque locum ac præcipuum inter aulicos principis tenebat.

Coco suo nõ parcit magnus Dux.

Georgius Czapkinus cum vxore & liberis occiditur.

Deinde productus est alter secretarius, cui nomen Ioannes Bulhakow, qui fuit vnà cum vxore, & liberis etiam capite truncatus à Palatino Chirnouiensi, is vocabatur Pietrouicius.

Sic & Ioannes Bulhakow.

Tunc iubet educi & secretarium suum Basilium Stepanow, quem & indicta causa aulicus è vestigio capitali pœna afficit mandato principis.

Idem fatũ Basilij Stepanow.

Ad extremum, vt ad hoc tragicum ac crudele spectaculũ nihil prætermitteret, præcipit magnus Dux ducentos nobiles captiuos extrahi in arenam, quos nominatim iubens sisti ante se, damnat morti, & singuli aulici ordine eos capite truncant, qua cæde confecta, prodeunt in conspectum principis manibus & gladiis cruentatis cum hac voce lætitiæ *Hoyda, Hoyda.* Sic se turpissimè aulici magni Ducis sanguine innoxio contaminarunt. Tum eodem tempore mandat magnus Dux è vinculis venerandum quendam senem adduci, quem statim in equo ille arrepta hasta transfixit: & quamuis sic transfossus miser senex

Crudelis mors ducentorum nobilium.

obierit: vt impleret ſuam crudelitatem illum plus quàm ſedecim vulneribus ſauciauit. Hæc crudelitatis & tyrannidis horrẽda facinora perpetrauit intra horas quatuor. Illa cadauera nuda ita iacebant in terra, quorum non paruus erat numerus: & cùm luſtraret illa cadauera quidam ex principis ſatellitibus, capútque Michaelis theſaurarij intueretur, exerto enſe caput in duas diſſecuit partes, hiſce verbis additis: Incorderis quid mecum egeris. Sub veſperum cadauera illa ſunt in vnum cumulum collecta, & extra vrbis portas elata, ibique ingenti foſſa facta, iniecta & tecta obruta. Sic crudeliſſimè tot cædibus perpetratis iam in palatium princeps rediens, deflectit ad ædes Michaelis theſaurarij, vbi inuenit vxorem illius, elegantí forma præditam, & verè honeſtam, valde luctu & dolore magno plenam, atque ſuſpirantem, ob mariti necem, ducis Ophanaſi Wiazinski ſororem, de quo ſuprà mentionem fecimus. Magnus dux ſpirans ſuam immanitatem, apprehẽdi iubet, & extendi funem aſperrimum, qui ab vna parte muri ad alteram extẽdebatur, & cum natibus nudis aſſidere huic funi, qui plurimum carnem & cutem excoriabat, vſque adeo detegeret mariti theſauros, ab vna parte vſq; ad alteram extrahebatur cum ſummo cruciatu. Filia eius, quæ erat quindecim annorum, hoc crudele genus tormenti videns, non potuit ſe continere, quin eiulatu teſtaretur dolorem ſuũ. Dux iubet illam rapi in medium, at filius Ducis maior natu, commiſeratione motus, accurrit, & veſtem eius tenens ſic affatur patrem: Pater cariſſime, dona me hac puella, ego carceribus illam occludam: tum pater, accipe tu quidem, ſed poſtea matri illam reddas. Deniq; cum illis magnis cruciatibus & tanto dedecore honeſtam illam matronam affeciſſet, & filiam eius in monaſterium relegauit: vbi illa ob magnitudinem vulnerum & cruciatuum quæ paſſa fuerat, dum traheretur per funem, non diu ſuperſtes extitit. Filium etiam iſtius theſaurarij in vincula coniecit, & omnes fortunas eius cuiuſcunque eſſent generis, ei accepit: ſicque diſtribuit, vt meliorem partem ſibi vindicarit & attribuerit, quod erat vilius prædæ ſuorum militum expoſuerit.

Impudẽs & crudele facinus in vxorem theſaurarij.

In vxores & liberos occiſorum ſuorũ procerũ ſæuit, & bona omnia diripit.

Eodem die venit in ædes Ioannis Wisko Waty ſummi olim eius conſiliarij, qui antea truculentè mactatus fuerat, vxorem in quoddam cœnobium deportari iubet: filium autem eius damnat perpetuis carceribus, & relegat in arcem munitiſſimam, quæ Bialeiezioro dicitur, ac ſi dicas lacum album: acceptis omnibus eius bonis. Poſtquam ſic tam horribilem & truculentiſſimam edidiſſet crudelitatem, exactis tribus diebus, iubet produci in forum ex carceribus aliquot egregios nobiles, qui ſtatim capite trũcati ſunt, ab ipſo Maluta præfecto ſatellitum: & ita diu iacuerunt humi, quos ipſe aliquot vulnerib⁹, vt ſuam ſarciaret tyrannidem, feriebat, vtens ſecuri. Cadauera illorum ita nuda in medio foro iacebant, vbi venales proſtant merces, ſeptem dierum ſpacio: vbi tandem à canibus deuorati, oſſa verò hinc inde aſportata ab iiſdem canibus. Poſtridie iubet octuaginta fœminas generoſas iſtorum nobilium, qui ita immaniter trucidati fuerant, ad flumen deduci, ibiq; aquis ſubmergi: illæ autem innocentes fruſtra eiulari & lamentari. Satellites enim, crudele hominum genus, ipſas in aquas inijciebant & perdebant.

Denegata ſepultura inhumaniter.

Moschouitæ fame periti, sciuũt in corpora mutua.

Anno Domini 1569. missi sunt centum & quinquaginta coloni ad ædificandam arcem, quæ vulgò Orlo dicitur, & cum cibo destituerentur, quia tum in illis locis ingens fames grassabatur: coacti sunt miseri, ob annonæ penuriam, ex suis nouem mactare, & illorum carnibus vesci, & sic diram compescere famem.

Ob vitulum mactatum Moschouitæ combusti.

Eodem anno cùm ipse Dux esset in arce Wolodda, quam extrui & muniri iubebat, ipsi artifices nimis dura fame pressi, emerunt vitulum, & eum mactarunt, famem hoc pacto expleuerunt. Quam rem vbi audiuisset magnus Dux, iussit omnes cõprehendi & flammis tradi: cùm tamen ipsa necessitas durũ telum, eos excusare potuisset. Superstitio enim hæc à multis seculis recepta inter Ruthenos & Moschouitas, vt sit grande nefas, morteq; piandũ, qui vitulum mactarit, & eo vesci ausus fuerit. Inter Moschouitas centum & quinquaginta egregij viri, pertæsi tyrannidem magni Ducis, & ferociam satellitum: constituerant se recipere ad regem Poloniæ. Quam rem vbi accepisset magnus Dux, iussit omnes in quãdam profundam lacunam valde cœnosam injici, & ibi in modum pontis substerni: quos tam diu calcari fecit, donec profundissimè in luto perirent ac submergerentur, & planè luto æquarentur.

Moschouitæ loco pontis dispositi.

Eadem die venit colonus ad secretarium magni Ducis, ei offerens lucium piscem lepidissimum. Quidam monachus istud animaduerterat, qui simulabat cum isto secretario, idcirco statim accedit principem, & hisce verbis illum alloquitur. Secretarius tuus, ô princeps, nunquam minutioribus vescitur piscibus, sed maioribus, quos piscatur in tuis lacubus, & solet lautissima suis congerronibus celebrare conuiuia. Itaque magnus Dux iubet ipsum secretarium ad se euocari, & nulla data facultate se defendendi, sic eum damnat: iubet manibus pedibusque vinciri, & in lacum profundissimum conijci, hisce verbis vtens: O nebulo qui tot pisces minores & maiores solebas tibi piscari, abi nunc, & quibuscunque volueris, vescitor.

Secretarius ob piscẽ submersus.

QVO PACTO MAGNVS DVX SVOS exercet, & instituit in ratione pugnæ aduersus inimicos.

CVm Lituani ex improuiso cepissent arcẽ munitissimam, vulgò dictam Borsko: ceperat ibi Palatinum & vxorem eius, quos captiuos ad regẽ Poloniæ miserant. At magnus Dux paulo pòst eũ redemerat, dato in eius locum magno viro nobile Polono, qui cùm rediisset in Moschouiam cum aliis duobus nobilibus Moschouitis, tum iussu principis arreptisunt ad supplicium: nimirum tria ligna sunt affixa in medio foro, vbi funibus per media corporis partem appensi, ipse cum filio sagittis eos eiaculabatur, & transfigebat, inquiens: O strenui defensores, sic oportet vos me & meas arces defendere: postea ad exemplum principis, & turba illa satellitum sic sagittis frequentissimis illos impetierunt, vt iam præ multitudine sagittarum non viderentur eorum corpora.

Crudelis ad pugnam institutio.

QVO PREMIO ET MERCEDE ampla soleat magnus Dux suos adulatores afficere.

ILlustres ac clari viri, Ozyphas Scerbaty, & Georgius Boratinski, qui munere Palatinatus funge-

bantur, cùm missi fuissent ad defendendam & tuendam arcem Susa, intercepti sunt ab illo bellicoso Lituanicarum copiarum imperatore: à Duce Romano & ab eius exercitu, in quo conflictu magna strages Moschorum est edita, & inter alios illi præcipui viri duo capti, qui postea per permutationem captiuorũ redempti sunt. Qui cùm primùm venerunt in Moschouiam, hilari fronte à magno Duce excepti, & ad eius mensam inuitati. Tandem absoluto prãdio, muneribus lautis & pretiosis eos afficit: nimirum vnicuiq; illorum dedit vestem ex holoserico suffulram Zebellinis pellibus raris & elegantissimis, dedit & singulis preciosos pileos albos. Atque inter alia quæ cum illis conferebat, scisciatus est ab eis, quid ageretur in Polonia & Lituania. Tum Oziphas ille retulit ea omnia, quæ viderat ac intellexerat candidè & bona fide. At Georgius Boratinski rogatus, contra protulit ea, quæ putabat grata fore magno Duci, ipsi palpum faciendo & adulando: quæ planè absona erant à rei veritate, & absurda. Ac inter alia sic ausus prolo-qui: Inclyte & inuictissime Moschorum Cęsar, fac tibi persuadeas, cùm rex Poloniæ audit, tuos milites iam adesse in finibus, & ibi grassari, maximo metu perculsus, quærit latebras & loca abdita. Magnus dux statim fucũ sibi fieri intellexit, & subiunxit: Rex Poloniæ igitur me timet? At ille, procul dubio: clarissime & serenissime Dux, ita se res habet, & si copiosus exercitus irruerit in Lituaniam, ille non est tam animosus, vt velit tecum in aciem descendere: aufugiet procul in aliquam munitissimam arcem, neq; etiam viribus par, aut arcibus munitis est tecum conferendus. Deniq; nũquam tui exercitus impetum & vires

Tyranno etiã aliquando veritatis oratio grata.

sustinere poterit: succumbet protinus, & terga dabit. Quæ conficta verba, cùm in ipsius gratiam ac fauorem excogitatam & comparatam orationem esse vidisset: detestatus adulatorium & leue hominis ingenium, cœpit nutare caput, inquiens: O rex infelix, ô rex miserrime, tui planè misereor, qui ita me times: adeoque sum tibi terrori, vt ad mei mentionem cogites de fuga, vbi in Lituaniam venero. Hac oratione finita, tam contumeliosa oratione sic istũ Boratinski est allocutus: O perfide & scelerate homo, iam tua perfidia & mendacia mihi optimè sunt perspecta. Quocirca baculo quo vti solet, ferit illi caput, & cædit tergum, ac denique totum corpus, nulla ratione habita illius preciosæ vestis, qua eum induerat: At miser Boratinski hinc inde se vertebat: hacq; oratione vtebatur: O princeps serenissime, Deus te diu sospitem seruet, quodq; abste verberor, gratum est mihi, & sic me planè hominem obscurũ & ignobilem castigare dignaris: nunquam ego potuissem eripi ex captiuitate, nisi tua ope: sed quamprimum liberatus sum ex vinculis Lituanicis, citissimè me ad te contuli. Verùm magnus Dux non desinebat hominem crudelius tractare, sæpius repetens hæc verba: ô perfide & scelerate, te esse turpissimum & mendacem adulatorem noui. Quare sic est ab eo tam diu verberatus, donec suum baculum princeps confregerit in minutissimas partes.

Eidem conficta & mẽdax oratio odiosa.

Iustum premium adulatoris.

QVALIS SIT RELIGIO, ET PIETAS MAGNI DUCIS MOSCHOVIÆ.

QVando magnus Dux in suum palatiũ Alexandrowa, olim antequã pulcerrimè extrueretur,

Slobodam dictum, venire solet animi recreandi gratia, tum ibi quãdam nouam religionem simulare solet & effingere. Primũ se nouo quodam monachi nigri vestitu induit, cuius etiam imitatores sunt omnes eius aulici, simul eodem vestitu iam parato vtentes. Satellites verò illius armati adsunt, qui ad omnia officia promti paratiq; sunt. Ille aũt magnus Dux ita vestitus cũ suis aulicis ingreditur fanum, ad preces matutinas, & alias ceremonias peragẽdas, quibus vtuntur Rutheni. Sunt aũt succincti loro, cui adiunctus cultellus, manibus tenentes lucernam, in qua est accensa candela: quòd si quis aulicorũ refugerit vti hoc vestitu & ceremonia, grauissimè cæditur virgis à satellitibus principis. Hosce omnes vocat princeps fratres, & se eodem nomine appellari iubet, hæc est sancta aulicorum Moschouitarum fraternitas. At cùm iam est tempus prandij, porrigitur cibus, magno Duci primùm, quem habet in sua cistella, tanquã primario fratri, & sic deinceps reliqui fratres ex suis cistellis accipiunt suum cibum: Quod ad potum, singulis datur ad certam mẽsuram. Tandem absoluto prandio, omnes cum suis cultellis & cistellis se recipiũt in suas cellulas. Nam hoc palatium est ædificatum planè in formam monasterij. Quare cùm secũdum suum ritum absoluit, magnus Dux suas preces & horas canonicas: tanquam maior natu frater egreditur ex illo cœnobio, ac iubet aliquot captiuos, iam morti destinatos produci ex carceribus, ibi omnes variis mortis generibus afficiuntur: alij ad palum & rotam allig antur, alij securi percutiũtur, alij suspenduntur, alij miserrimè cruciantur, & frustulatim dissecantur: denique multi aquis obruũtur. Ita quandiu ibi degit, singulis

Inepta religio vel potius superstitio magni Ducis.

Religionem suã sanguine innocentum sanctificat.

gulis diebus decem aut viginti insontes ab eo supplicijs grauissimis tolluntur è medio: ita vt præ fœtore cadauerũ illac nemo incedere possit. Et fructus religionis magni principis Moschorum: sic suam religionem sanctificat. Et quia patrem sequitur sua proles, ille magnus Dux filium habet sibi suisq; truculentissimis moribus persimilem. Nam ille voluptatis gratia solet per illa mortua corpora obãbulare, illa calcando, & baculo suo capita illorum confringit, vel in illorũ cerebra aciem baculi ferrati infigit, inquiens: vos ô scelerati insurrexeratis in vestrum imperatorem ac principem, & me etiam.

Quale futurum sit imperium filij magni Ducis, qui à parente nõ degenerat.

Quotiescunq; magnus Dux ad illud palatium Alexandrowa, aliquem ex suis inuitat consiliariis, nemo est illorum, qui nõ credat se ad præsentem mortem accersi, nec vnquam inde domum incolumem reuersurum, idcirco discessurus, primùm domi suæ disponit, & vxori ac liberis valedicit, & amicis sua committit: ac ita est, ni enim Deus ipse, vel mirabilis fortunæ casus illum hominem conseruarit, de illo actum est. Quòd si impune & liberè suos à se amandar, tamen postea non euadunt manus principis, vel quidpiam deterius eos manet. Sicut sanè accidit cuidã viro raræ sanè virtutis, Theodoro illi nomen fuit. Iste non ita pridem functus erat legatione apud regem Polonię, & vbi rediisset à legatione, inuitatus est ad principem vnà cum suis nobilibus, ad Alexandrowam arcem. Qui licèt inuitus, tamen se sistit ad diem dictam vnà cum suis. Sanè lautissimè & opiparè ille Theodorus & omnes eius excepti sunt ac donati ab ipso principe multis pretiosis vestibus, subductis pellibus Zebellinis. At via qua illi fuit transeundum, sa-

Premium legatis redditum.

tellites per insidias erant collocati. Cùm aũt essent securi & nihil sibi metuerent, en irruunt in eos satellites principis, & illos spoliant nobiles, & potissimum ipsum legatum: eosq; sic nudos reliquunt, vt ex vtero matrum exierunt. Atq; eo tempore maxima erat vis hiemis, quod ad augendam calamitatis eorum grauitatem pertinebat, exuti spoliatiq; sunt currubus & equis. Itaque sic miserè & crudeliter tractati, coacti sunt pedes ire vsq; ad vrbẽ Moschouiam. Vnde factum est, vt alij propter vehementiam frigoris intẽsissimi auriculas amiserint, alij digitos manuum, & articulos pedum, & nasum. Plurimi qui frigus ita horridum ferre non poterant, interierunt in ipsa via. Ipse orator Theodorus fortè fortuna à quodam rustico nactus est vestem pellium caprinarum, qui hac vsus, arcuit à se vim frigoris, vt potuit. Ita iste legatus cum suis splendidè exceptus à magno Duce, & honorificè donatus, postea crudeliter illusus, rediit in vrbem Moschouiam. Pulcerrimum scilicet exemplum istius Neronis, & eius humanitatis, qua exga de se bene meritos vti solitus est.

FINIS.

EPILOGVS OPERIS.

Sed hæc satis sint de immanitate & truculẽtia Moschouitica. Nos autem bona fide & studio recto, instoq; ordine literarum monumentis mandauimus, posteritatiq; legendum dedimus quæ scitu necessaria sunt de tota Sarmatia, id est, de Polonia, Lituania, Prussia atq; Russia: quæ cùm suo nomine complectatur Moschouiam, & de ea attigimus, quæ putauimus esse cognitu

vtilia. Quoniam autem hodie, is qui imperium Moschouiticum tenet, superat sua crudelitate Neronem, Caligulam, Heliogobalum, Maximinum, Pharnacem, Agrigentinum: vel etiam Busiridem aut Mezentium: denique tyrãnos, qui celebres sunt ac famosi apud historicos, vel etiã apud poetas: ex infinitis nõnulla crudelitatis illius exempla delineauimus. Quod sanè mirum esse non debet, cùm gens ipsa fera sit: Moschi siquidem a Mesech dicti, ac si dicas, homines arcus extendentes. Sanè Moschis scriptores crudelitatem, morumq; feritatem semper attribuerũt, testis est illa querela psalmi: Heu mihi quòd exulo inter Mesech & Cedar, id est inter Moschos & Arabes. Sedes Moschorum vetus fuit in Cappadocia, quæ nõ procul abest à Syria: & ideo illa gens fuit nota Iudæis. Innuit itaq; propheta, ecclesiam Dei extremis istis tẽporibus afflictiones maximas perpessurã, tam à Moschis, quam ab ipsis Turschouitica, ritus religionis Græcæ, anno Domini 987. sed successu temporis addiderunt illi multas superstitiones. Grauissimus vir & scriptor nobilissimus Sigismundus ab Herberstein scribit, nunquam populum Moschouiticum publica explicatione doctrinæ & conscionibus eruditi: Et quia sunt oppressi tyrannide horribili, opiniones sui principis, etiam in religione solent habere pro lege immutabili: sicut Athenienses degeneres fecerant decretum, quicquid visum esset regi, illud pium & iustum esse. Sed tueatur nos Filius Dei ab impietate & crudelitate Mesech & Cedar. Amen.

Quæ & qualis sit gens Moschouitica.

TARTARORVM CAMPESTRIVM, IN HORDAS DIVISORVM, MORVMQVE ET CONSUETVDINIS VITÆ EORVNDEM BREVISSIMA DESCRIPTIO.

DE Cazanensibus Tartaris (antequam cæteros in hordas diuisos attingemus) Moschouitico imperio connumus, dicendum nobis in primis occurrit, quos magnus Moschouiæ dux Basilius, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, ditioni suæ plurimis diuersisque bellorum euentibus exantlatis, subegit. Hi verò à Campestribus differunt, quòd agros colant domosque inhabitent.

DE REGNO CAZANENSI.

SVra fluuius, imperium Moschouiticum à Cazanensi regno dislimitat, qui ex Meridie fluens viginti octo milliaribus infra Nouogrodiam inferiorem, cursu in Orientem reflexo, in Volgam exoneratur, in quorum confluxu Basilius princeps castrum à suo nomine Basilow Grod appellatum contra Cazanenses arcendos erexit. Porrò regnum Cazanense sexaginta milliaribus Polonicis infra Nouogrodiam inferiorem (de qua superius) limites suos secundum Volgam fluuium incipit, Orientem & Meridiem versus cãpis desertis, qui ducẽtis milliaribus Polonicis patent, terminatur. Ad Orientẽ verò æstiualẽ, Tartaros qui Shibanski & Cozaczki appellantur, finitimos habent.

Fines regni Cazanensis.

CAZAN vrbs, totius regni metropolis ad Volgam fluuium & Cazannam, à qua nomen sortitur, in vlteriore ripa condita est. Arcem natura & opportunitate loci munitissimam & inexpugnabilem habet, à Nouogrodia inferiore septuaginta milliaribus distat.

Hij Tartari Cazanenses reliquis ingeniosiores, & aliquantulum humaniores sunt, circa agriculturam, remque domesticam (qua à cæteris maximè differũt) versantur. In domibus non in campestribus degunt, mercimonia, rerumque permutationes varias, cum vicinis Moschouitis, Turcis & cæteris Tartaris exercent. Reges sui iuris ad Basilij vsque Ducis Moschouiæ tempora habebant, neminique tributa persoluebãt, sed prędictus Basilius eos sibi tributarios multis annis cum illis vario Marte bella gerens, effecit, atque pro suo arbitrio reges illis constituebat. Id autem Cazanenses maximè coacti sunt subire, partim propter opportunitatem fluuiorum ex Moschouia in Volgam influentium, partim ob mutua commercia cum Moschouitis consueta, à quibus inimicitiæ tempore arcebantur.

Cazanenses à Moschò subiugati.

Primus itaq; Cazanensium rex fuit Chelealeczk, qui tributarius Basilij feudalisque extitit. Hic relicta vxore Nursultan, absque liberis moritur, cui Abrahamin magni nominis Tartarus, ducta vxore eius vidua, consensu magni Moschouię ducis Basilij, in regno succedit, qui ex priore vxore filium Alegum nomine habuit: ex Chelealeczk autem relicta, duos postea Machmedenim, & Abdelatiph filios suscepit.

Reges Cazani.

Prædicto igitur Abrahamin mortuo, Alega velut primogenitus regno potitur, qui cùm mandatis Moschorum principis non admodum obtemperaret, à proceribus Moschouiticis, qui ad consilia eius obiectanda constituti erant, quadam die in conuiuio inebriatus, ac in vehiculo illa nocte, quasi in domum reheretur, Moschouiam vsque deductus est, ibidemq; in vinculis aliquandiu detentus, tandem in Volochdam arcem relegatus, vitam terminauit. Alega igitur ita regno deiecto Abdelatiph frater ei succedit, qui etiam perinde vt Alega regno priuatus est. Machmedenimque frater in locum eius à Moschorum principe suffectus, quo regnante anno Domini 1504. Cazanenses iugum Moschorum excussérunt, ab eisque defecerunt. Hanc defectionem cùm Basilius Moschorum Princeps didicisset, rei indignitate commotus, cum infestis armis & tormentis bellicis exercitum copiosum contra Cazanenses destinauit, qui à Cazanensibus & Ceremissis arcu vti peritis dolo circumuenti, impari Marte cęsi & fugati, tormentisq; & castris spoliati, captiuiq; in Astrahanense emporium, quod mari Caspio siue Persico adhæret, relegati Turcis, Tartaris & Persis venditi sunt.

Alega regis exitus.

Cazanenses Moschos profligant.

Postea Cazanenses Scheale regem hæreditarium, qui Machmedemini mortuo successerat, Moschorum partibus fauentem expulerunt, Sapiregiumque Mendligeri Tauricæ regis filium, ad regnum suscipiendum vocauerunt, qui coniunctis viribus cum fratre Machmetigero Tauricæ rege, Moschouiæ magnam partem crudeliter deuastarunt, ad ipsamq; vrbem Moschouiam penetrantes, grauissima obsidione eam presserunt, ab eaque non discesserunt, donec

Tartari crudeliter Moschouiã vastant.

Princeps Moschouiæ se tributarium prædicto Machmetigero regi Tauricæ perpetuò fore obstringeret, quod postea non præstitit. Ingentem autem & vix credibilem tunc temporis hominum captiuitatem, trecenta videlicet millia Tartari in Moschouia cepisse eduxisseq; dicuntur. Quam cladem irresarcibilem Moschorum Princeps vlcisci volens, exercitum copiosissimum conscripsit, Machmetigerique Tauricæ regem ad certamen prouocabat, dicēs se superiore anno ab eo non indicto bello ex insidijs fudrum latronumq; more oppressum fuisse. Ad ea Machmetiger respondit, sibi ad inuadendam Moschoviam satis vias multas patere, bella non magis armorum quàm temporum esse, proinde ea se magis suo, quàm alieno arbitrio gerere solere. Moschouiæ autem Princeps videns se delusum fore, vlciscendi libidine ardens, anno Domini 1523. exercitum ad Cazanense regnum expugnandum duxit, in finibusq; Cazanensium, ad Volgæ & Suræ fluuiorum confluxum, munitionem propter infestandos Cazanenses condidit, quam à suo nomine Basilow Gorod appellauit. Postea re infecta exercitum dimisit.

Numerus captiuorũ.

Tartaricũ responsum.

Anno deinde sequenti 1524. ad Cazanense regnum occupandum, ingentes numerosasq; copias, cum duce quodam Michaële Georgij destinauit, Cazanóque arcem quinta decima Augusti oppugnare cœpit, quam quidam Moschouitæ ad id subornati incenderunt, intuenteq; Moschorum exercitu funditus exusta est. Attamen in tam facili occupandi castri occasione, Moschouitæ ad expugnandum occupandumq; castri combusti collem ne accedere quidem audebant: Tartarosq; id denuo ædificātes non

Moschouitæ Cazan oppugnant.

Cazan comburitur.

impediebant, atque ita postea arx Tartarorum strenua opera, Moschouitarumque negligentia restaurata est. Moschouitæ verò frustra moras trahentes, consumto commeatu fame laborare incipiunt. nam Ceremissis tuentibus partes Cazanensium, hostium itinera diligenter obseruantibus, emissariosque excutientibus, nihil adferri poterat, adeò vt nec princeps de suorum qua premebãtur necessitate cognoscere, nec ipsi quicquam illi significare de rerum suarum statu possent, & aliquot millia Moschouitarum à Ceremissis cæsa & fugata, nauesque plurimæ, quibus cõmeatus deferebatur, ademtæ, & aquis obruæ sunt. Tandem Moschouitæ auxilijs aduenientibus castrum combustum denuo restauratum obstinatissimè oppugnare cœperunt, tormentis machinisque bellicis admotis, obsessi quoque exoneratis pariter in hostem bombardis strenuè se propugnabant, donec bombardario magistro, quem vnicum in castro habebant, glande scloppetario à Moschouitis icto priuarentur; atque certis sub conditionibus Cazanenses cum ducibus exercitus Moschouitici, inducias pepigere compulsi sunt, tributaque secundum pactum ad mortem vsque Basilij persoluebant. Mortuo tãdem Basilio, Ioanni moderni Principi filio eius recalcitrare Cazanenses cœperunt, quos ille septem perpetuis annis bello acerrimo, vario tamen Marte pressit, arcemque & ciuitatem Cazaniam regionis metropolim tormentis bellicis, & obstinato imperitorum militum suorum, puluerumque bombardariorum suppositione anno Domini 1551. expugnauit, paternumque opus strenuè perfecit, & ab hoc tempore Cazanensium regnum, & vrbs Cazan cum arce,

Cazan iterum oppugnatur.

Cazan capitur, expugnaturque.

Princi-

Principi Moschorum Ioanni Basilij filio subacta est, titulumque regni prædictus Princeps sibi vsurpat, seque Czar Kazanski, id est regem vel imperatorem appellat. Magna autem pars Tartarorum Cazanensium tunc temporis capta, Principis impulsu baptizata est, multi quoque baptismum respuentes, capitemultati, aquisque obruti sunt: nunc tamen communiter omnes Mahometi dogma, erroresque gentiles profitentur, exceptis perpaucis, ijsque insignioribus, qui Ruthenico ritu, fidei Christianæ præceptis initiati sunt. Atque hæc de Cazanensibus Tartaris breuiter dicta sufficiant, nunc confines Tartaros Nohaycenses, cæterosque campestres in Hordas distributos attingemus.

NOHAICENSIVM TARTARORVM Horda.

TArtari Campestres, cateruatim in campis nullis finibus obseruatis degunt, in Hordasque veluti in quasdam prouincias, à quibus & cognominantur, diuiduntur. Horda autem conuentum, & multitudinis congregationem, cœtumq; hominum, in formam ciuitatis coactũ significat. Cæterùm vnaquæq; Horda nomine suo peculiari appellatur, quæ multæ ab inuicemque moribus aliquantulum diuersæ sunt, ex quibus præcipuè Nohaicensis, Zauolensis, Præcopensis, Crimscensis, Cosaczkiensis, Tumenensis, Calmuckiensis, Turcomanensis, & id genus aliæ, quæ omnes Mahometi dogma amplectuntur, profitenturque.

Horda quid significat.

Nohaicensium Tartarorum Horda, post Tartaros Cazanenses Orientem versus procedẽdo in pri-

mis occurrit, quæ vltra Volgam fluuium amplissimũ circa mare Caspium ad fluuium Iayczk, ex prouincia Sibier decurrentem, sita est. Huius regionis Tartari incolæ non reges, sed duces habent, in tresq; ducatus diuiditur, quorum primus cum ciuitate Scharayczik dicta, vltra fluuium Volgam Orientem versus, cum adiacente ad Iayczk fluuiũ regione extenditur, Scharayczik. raycensisque ducatus à ciuitate Scharayczik dicitur. Secundus ducatus in Horda Nohaycensi inter Cammam Iayczk, & Volgam fluuios situs est. Tertius eiusdem regionis ducatus Sibiericẽsis prouinciæ partem, (de qua superius) & omnem circumiacentem regionem attingit. Atq; hæ omnes regiones siluosæ sunt, excepta ea quæ ad Scharayczik ciuitatem vergit, quæ tota campestris est.

A ducatu Scharaycensi Nohaycẽsis regni Orientem versus procedẽdo, occurrunt populi Iurgenczi, *Iurgenczi.* à Moschouitis appellati, quibus frater Magni Cham supremi regis Tartarorum imperat, à Iurgenczijs autem decem dierũ itinere ad regiones Magni Cham, regis de Catagia (qui maximam Tartarorum partem *Rex de Catagia.* possidet) peruenitur.

TARTARORVM ZAVOLhensium Horda.

BVlgaria siue Volgaria, vel Zauolhensium Tartarorum Horda, à Cazanensi regno, & Nohaycensi Horda nonnihil in Meridiem reflectendo, occurrit. Traxit autem cognomen à Volga fluuio celeberrimo, qui eam longo tractu interfluit. Ex hac regione Bulgari, Slauones, qui nunc Turcarum imperatori parent, & Volinci, Rutheni, Lituaniæ populi, regi *Bulgari & Volincij.*

Poloniæ subiecti, oriundi perhibentur, prout latius in deductione Polonorum patet.

Zauolhensis autem Horda præcipua, & quasi princeps cæterarum omnium olim extitit, incolarum videlicet multitudine & rerum gestarum fortitudine, lociqúe affluentia & opportunitate, ex qua cæteri omnes Tartari Campestres ortum genusque duxerunt. Hæc autem Horda Zauolhẽsis inter Volgam & Iayczk fluuios iuxta mare Caspium siue Permicum sita est. Reges sui iuris ad Alexandri vsque regis Poloniæ tempora, moderni regis Poloniæ Sigismundi Augusti patruum habebat, infra annum Domini 1506. Sed tandem Sachmat rex Zauolhensis vltimus, ob iniuriam quandam quam olim Crimscijs Tartaris prædecessores eius fecerant, à Machmatgirey Tauricæ rege, ex Crimsca Horda oriundo regno pulsus fugatusque est. Qui ad Alexandrum prædictũ regem Poloniæ, magnumque Ducem Lituanię profugit, auxilij contra Machmatgirey implorandi gratia. Cùm autem Lituani & Poloni auxilia longius differebant, interim Machmetgirey Tauricæ rex, Zauolhensis regis suprà nominati exercitum profligauit, totamque regionem eius occupauit. Et ab *Zauolhensis Horda occupata.* hoc tempore Zauolhensis Horda penitus diuexata, & regibus orbata est, quam postea Basilius princeps Moschouiæ imperio suo subegit, cuius titulum Ioannes modernus princeps huius Basilij filius sibi vendicat, seque Bulgariæ, id est Zauolhensem regem appellat.

Tandem vltra Viatcam regionem, & Cazanense regnum Tartarorum tres Hordæ, qui Thumenski, Schibanski, & Cozaczki appellãtur, in campestribus

habitant, cateruatimque viuunt, ac tot quot lubet ducunt vxores. Potum ex lacte equino habent, frugum vsum nesciunt, pecunijsque non vtuntur, exorcismis & incantationibus supra modum dediti, quibus caligines aliasque intempestates cæli sæpius excitant, hocque modo hostes frequenter profligant. Hæc autem omnia herbis, verbis, lapidibus, radicibusq; ab eis miris incantationibus conficiuntur.

Mores Tumensium.

Calmuczkiensis Horda.

Calmuczkiensis Horda trans Volgam fluuium sita est, Caspio mari confinis, huius incolæ in campestribus vitam ducunt, à crinibusque quos nutriunt Calmuczki Tartari appellantur.

ASTRACHAN TARTARIÆ regnum.

Astrachan vrbs.

A Strachanense regnum, post Tartaros Nohaycenses, & Cazanenses ad mare Caspium situm est, complures que ciuitates habet, ex quibus Astrachan vrbs opulentissima, in qua emporium celeberrimum est, à qua tota circumiacens regio nomen accepit, ad ostia Volgæ sita est, ibi autem Volga fluuius septuaginta pluribusve ostijs in mare Caspium exoneratur, multas ibidem insulas faciens, tantaque aquarum copia ingreditur, vt procul spectantibus maris formam præ se ferat. Hoc regnum olim sui iuris erat, regesque hæreditarios habebat, sed anno Domini 1554. à Ioanne Basiliade Moschorum principe vnà cum vrbe subactum occupatumque est, cuius titulum sibi vsurpat.

Ostia Volgæ.

Expeditio Turcarum ad Astrachan.

Ad hoc regnum occupandum Sultam Zelim imperator Turcarum, inuidia auaritiaque prolatandi imperij Tartarici ductus anno Domini 1569. 20. Martij

Martij die, ex Constantinopoli terra & mari exercitum ingentem Turcarum 25000. equitum, & Iaiczarorum 3000. destinauit, naualis classis centum quinquaginta galeris, & multis celocibus constabat. His demum omnes Hordæ Tartarorum Præcopensium, ex mandato Imperatoris adiunctę sunt, 80000. equitum excedentes. Sicque iunctis viribus, longissimo eoque periculosissimo campestri itinere, multis fluuijs & paludibus superatis, ad Azoph peruenerunt, omni commeatu prorsus consumto. Azoph autem in ostijs Tanais fluuij Turcica arx sita est, ad paludes Mæotidis. Postea ad victum necessarijs comparatis, omnis equitatus Turcicus & Tartaricus, per campestria & Hordas Tartarorum Nahaicensium, & Circassorum quinquemontanorum, tædiosissimo itinere sub Astrachan, 5. Septembris venerunt, 24. hebdomadis cum ineffabili famis & sitis angustia in via transactis. Hebdomadam integram sub arce quicquam tentantes consumserunt; aditum enim ad eam vasta Volgæ circumfluētis amplitudo prohibet. Interea Moschouitarū aliquot millia aurora instante, in nauibus & celocibus, Turcas & Tartaros inopinata excursione, magno cū impetu Duce Serebrny adoriuntur, multitudineque eorum prostrata, spoliis onusti armata manu incolumes in arcem redierunt. Tartarorum quoque aliquot millia ad vnum trucidauerūt, vt nemo ex illis euaserit, qui sub arcem pabuli acquirendi gratia superato fluuio Volga excurrerant. Naualis quoque Turcarum illi exercitus, centum quinquaginta galerarum tormenta magna, pulueres bombardarios, commeatum, & alia belli expugnandique instrumenta vehens, cum aduerso

Astrachan à Turcis obsessa.

Tanai ab Azoph ad montem Pere Wloka dictũ, duobus ferè mensibus transactis veniret; nauesque siue galeras terra in instrumentis ad id pertinentibus, per illum montem (qui milliaribus septem à Tanai ad Volgam fluuium magnum sub Astrachan fluentem distabat) transferre vellent, Moschouitarum 1000. illos adoriuntur sex millibusque Turcarum profligatis, spolia & instrumenta multa iam in terram exposita abstulerunt, reliqui vix ad naues aufugerunt, huiusmodique insperata clade accepta, ad Azoph redire coacti sunt; vndique eos Moschouitis persequentibus. In Azoph existentibus aliud infortunium accidit: pulueres enim tormentarij quos in arce deposuerant, igne fortè adueniente succensi sunt, cum ingenti Turcarum & arcis damno; cæteri Constantinopolim petentes, in paludibus Mæotidis naufragio perierunt. Sed ad rem intermissam redeo. Tartari & Turcæ Astrachan frustra cum quotidiana diminutione suorum obsidentes, de naualis classis, in qua spes eorum recumbebat, perditione audientes, vndique hostis imminentis, famisque & sitis angustia pressi, coangustati, & ad extrema redacti 21. die Septembris cum ingenti dedecore, damnoque irreparabili, absque vllo Moschouitarum detrimento, obsidionem soluere coacti sunt. Ad Azoph 23. Octobris die venerunt, quinq; hebdomadis in reditu cum ineffabili periculosissimaque miseria, & intolerabili angustia transactis, per campestria enim desolata & lis iter erat, vt nusquam pabulum acquirere, & pro se & pro equis reficiendis poterint. Moschouitæ enim gramina omnia passim succenderant, & aqua interdum quinq; integris diebus carebant, omnesq; fere

Turci à Moschouitis profligati.

illo exercitu Turcico, cum equis pariter fame & frigi coangustati, miserè perierunt: quidam in paludibus Mæotidis Constantinopolim repetentes, aquis submersi sunt, ita vt 225 000. equitũ, 3000. Ianiczarorum, & centum quinquaginta galeris amissi, vix 1000. Constantinopolim redierunt. *Turcarum clades.*

Est quoque Schamachia vrbs Tartarorum, ad mare Caspium condita, quæ ab Astrachan sex dierum itinere abest, ab ea tota regio siue Horda Schamachia nuncupatur, hanc rex Persarum possidet. Incolæ autem huius regionis texendis sericeis vestibus excellentissimi sunt artifices. Turcomanorum Horda vltra Caspium mare sita est, eius imperium inter quinque fratres partitum est, quorum qui primas tenet Azynchan nominatur, reliqui verò Soltani appellantur, in totoque imperio solummodo quinque oppida reperiuntur. Incolæ Mahometicam hæresin amplexantur, viuuntque iuxta Nabayssium Tartarorum consuetudinem, & cum Persarum principe, vulgò Zophi nuncupato, frequentissimè bella mouent. *Schamachia vrbs & regio.* *Turcomani.*

Sarmacandia Orientem versus procedendo, vltra Turcomaniam, vrbs est amplissima, quæ olim totius Tartariæ metropolis extitit, nunc verò ruinis deformis iacet, vnà cum multis antiquitatis vestigijs. In ea sepultus est Tamerlanes ille Tartarorum rex, qui olim Turcarum imperatorem Baiazethem cum exercitu numerosissimo profligatum, captiuum aureis catenis vinctum, in cauea velut auem per totam Asiam circumuehebat. Huius regionis incolæ Mahometani sunt. *Tamerlanes.*

KYRGESSORVM HORDA.

Ritus Kirgessorum.

KYrgessi Tartari cateruatim in campis degunt, habentque ritum gentilem huiusmodi. Sacrificus ipsorum quo tempore rem diuinam peragit, rúcsanguinem, lac, & fimum iumentorum, terramque sumit, commixtioneque insimul facta, in vas quoddam infundit, & vnà cum hoc arborem ascendit, ad populumque circumstantem concionatur; concioneque peracta in stultam plebeculam, prædictam commixtionem spargit, populus verò in terram pronus prouoluitur, aspersiunculamque hanc pro Deo colit, firmeque credit nihil esse perinde salutare humano generi, ac terram, pecus, armentaque. Mortuos loco sepulturæ arboribus suspendunt, his finitimi sunt Baschirdi Tartari ab Occidente, & Hieselli ab Oriente.

Baschirdi. Hieselli.

Molgomozani, Badaij, ritusq; eorum.

Ab ijs vltra Imaum montem longo tractu procedēdo ad Oceanum Scythicum, Molgomozani, Baydaique Tartari occurrunt, hi Solem vel rubrum pannum stipiti appensum, cultu diuino adorant; in cauernisque subterraneis vitam ducunt; omniumque animantium & reptilium serpentum, vermium, murium, & id genus aliarum rerum incomestibilium, carne vescuntur. Idioma proprium habent, ijs contermini sunt Macriti, & Samogidæ quasi seipsos comedentes populi.

Hijs longè positis & penè ignotis Tartaris, populisque campestribus in Oriente vltra Imaum montem & Oceanum Scythicum degentibus breuitatis descriptis ad reliquos Tartaros campestres Moschouitico imperio confines, qui Crimskij, Præcopskij, & Pietiorskij, id est quinquemontani appellantur, reuertemur.

CIRCASSI PIETIORSCZII Tartari.

A Regno Astrachan, quod mari Caspio, vt suprà diximus, adiacet, in Occidentem tandemque in Meridiem reflectendo, circa Mæotidis paludes, & Pontum Euxinum, ad fluuium Cupa, qui in Mæotidem exoneratur, Aphgasi populi in primis occurrunt, vbi etiam vsque ad fluuium Merulam, qui Pontum Euxinū ingreditur, montes eminentissimi sunt, in quibus Tartari Circassi, Pietiorsczij dicti, id est quinquemontani, habitant. Viri sunt strenui, & bellicosi, montium, quibus intercluſi sunt, asperitate, & difficili aditu (à quibus & nomen traxerunt) freti, Turcis & Tartaris fortiter sæpissime repugnant, linguapropria vtuntur, & Christianissimum cum Ruthenicis siue Græcis ceremonijs conuenientes, profitentur, linguaq; Slauonica, sacra Ruthenorū more peragunt. In castris vt cæteri Tartari viuunt, & in propinquorum funeribus pompas ducunt, magnificasque exequias celebrant, & in memoriam mortis amicorum auriculam integram, partemve eius, testificantes amorem, sibi ipsis amputant. Audacissimi piratæ sunt, nam fluuijs qui ex montibus eorum fluunt in Euxinum Pontum, siue paludes Mæotidis nauibus delapsi, quoscunque reperiunt spoliant, & excutiunt, eos præsertim qui ex Capha, Constantinopolim versus nauigant.

Aphgasi.

Circassi Christiani.

Circassorū funebres exequiæ.

CRIMSCII SIVE PRÆcopsczij Tartari.

INter Cazan & Astrachan regna Tartarorum, quæ nunc Moschorum principi subsunt, longo secundum Volgam fluuium celeberrimum tractu, ducentis videlicet & triginta milliaribus Polonicis, ad Borysthenem vsque fluuium campi deserti sunt, quos Tartari nullis certis sedibus obseruatis incolunt, præter Azoph & Achasz ciuitates, ad Tanais fluuij ostia sitas, Turcis tributarias, quas Tartarorum magna pars incolis, & circumquaq; certis sedibus morantur, remq; familiarem magna ex parte exercent. In his prædictis campis desertis ciuitas Crym olim regum Tauricæ sedes, à qua Crymskij nominabantur, sita est. Postea verò toto Isthmo spacio mille ducentorum passuum, ad insulæ formam perfosso, reges Tauricæ non Crymskij, sed Præcopskij, ab illa nimirum perfossione sumto vocabulo, (*Precop* enim Slauonica lingua fossam, vel aliquid perfossum sonat) appellantur. Hæc autem ciuitas Præcop nominata, in Taurica chersoneso sita est, quæ ab Azoph ciuitate celebri, vbi est emporium insigne, quinque dierum itinere distat. Tota autem chersonesus Taurica, silua quadam per medium scinditur, eius mediam partem quæ ad Pontum Euxinum vergit, Turcarum imperator possidet, in qua Capha insignis vrbs olim Theodosia dicta, Genuensium quondam iuris existens condita est. Hanc autem Capham emporium totius Asiæ celeberrimum, Mahometes Turcarum imperator (expugnata Constantinopoli) Genuẽsibus quatuordecim annorum spacio obsidione eam

Campi deserti.

Azoph & Achasz.

Crym vrbs.

Præcopskij vnde dicti.

Præcop vrbs

Taurica chersonesus.

Capha.

eam premens, proditione quorundam Genuensium largitionibus corruptorum ademit.

Alteram peninsulæ partem Tartari Præcopenses tenent. Omnes autem Tartari Præcopenses siue Crymscij (qui nunc Tauricæ regnum incolunt) originem suam ex Zauolhensium Tartarorum Horda ducunt. cùm enim propter intestinam domesticamque seditionem regno pulsi fuissent, nec vsquam in vicinia firmum domicilium habere possent, hanc Europæ partem occupauerunt, veterisque iniuriæ haud immemores cum Zauolhensibus Tartaris, varijs bellorum euentibus belligerabãt, donec eos regno prorsus exuerent, regesq; eorum extinguerent.

OCZAKOW castrum & ciuitas, in ostijs Borysthenis fluuij, ad Pontum Euxinum sita, quam Tauricæ rex ademtam Lituaniæ ducibus tenet, Tartarique Præcopenses eam incolunt. Turcarum verò imperatori nunc tributaria est, à Præcop ciuitate quadraginta milliaribus distat, ab Alba, quæ Moncastro antiquis dicitur, vrbe Valachiæ ad fluuij Tyræ ostia sita totidem, à Circas verò oppido ad Borysthenem condito quadraginta. Porrò ab hac ciuitate Oczakow Tartari Præcopenses, qui eam incolunt, Oczakowsczi Tartari dicuntur, frequenterque varijs excursionibus Podoliam Russiæ regionem sibi in vicinia adhærentem; & aliquando Lituaniam ipsam, cæterasque Russiæ partes infestant, prædasque & spolia cum hominibus abigunt, maximè verò ea de caussa huiusmodi excursiones facere solent, cùm illis stipendia consueta à rege Poloniæ plus iusto retinentur. Solet enim rex Poloniæ huic regi Tauricæ

Tartari Oczakowsczij.

ſtipendia certa quotannis ſoluere, ea conditione, vt opera illius quauis vrgente neceſſitate vteretur, qui aduerſus quoſcunque hoſtes Polonorum, & Lituanorum, cum certis copijs militare quolibet tempore paratus eſt. Præcipuè verò Moſchouiæ principis regiones ex parte Polonorum infeſtat, varijsque excurſionibus debilitat, vnde & princeps Moſchorum miſſis ſubinde muneribus aliquando illum ſibi deuincere ſolet. Tartarus verò muneribus interdum vtrinque acceptis, vtrumque etiam vana ſpe lactat, regi tamen Polonorum impenſius fideliusq; & obſtinatius militat; ac omnes prouincias Moſchouiæ monarchæ ſubiectas nomine illius deuexat; & frequentibus inſultibus igne & ferro vndiquaque peragrat; ampliſſimaque ſpolia educit, prout & nuper anno Domini 1571. menſe Maio, ipſo die aſcenſionis Dominicæ Moſchouiam ipſam vrbem cum arce & totam circumiacentem regionem, ad quinquaginta milliaria in latitudinem & lõgitudinem flamma ferroque protriuit, vaſtauit, mancipiaque & ſpolia dictu incredibilia eduxit, exercitum etiam ingentem ſibi oppoſitum cum multis ducibus & inſignibus belli præfectis fudit, & ad internitionem profligauit, trucidauitque, adeò vt memoria tantæ crudelitatis Tartaricæ (quamuis antea quoque frequentes eorum excurſiones forent) non extaret.

Moſchouia à Tartaris exuſta.

Hij autem Tartari Præcopenſes Chriſtianis infeſtiſſimi ſunt, Turcarumque imperatori quotannis trecentos Chriſticolas pro ſtipendio pendunt. A Septentrione magni Ducis Moſchouiæ regionibus, ab Oriente Tartaris Quinquemontanis, ab Occidente & aliquantulumque à Septentrione Ruſſiæ Polono regi

Fines Præcopenſium.

regi ſubiectæ, à Meridie Moldauiæ, Valachiæque contigui ſunt. In Campeſtribus circa Pontum Euxinum & paludes Mæotidis, in totoque Iſthmo & cherſoneſo Tauricæ degunt. Rex eorum frequentius in caſtris, interdum verò in Oczako W ciuitate (quæ quondam Vitoldi tempore Lituaniæ colonia erat) commorari ſolet. Horum Tartarorum ſitum mores, & barbaricam crudelitatem Ouidius Naſo ibidem exulans, ſuis in Elegijs de Ponto latiſſimè deſcribit, hosq; fluuios in Pontum Euxinum exonerari carmine infraſcripto (quod ſubſcribere libuit) Elegia ad Albinouanum decima, recenſet.

Adde quòd hîc clauſo miſcentur flumina Ponto,
Vimq; fretum multo perdit ab amne ſuam.
Huc Lycus, huc Sagaris, Peneusq;, Hipanusq;, Oratesq;,
Influit, & crebro vertice tortus Halis,
Partheniusq; rapax, & voluens ſaxa Cynapes
Labitur, & nullo tardior amne Tyras.
Et tu fœmineæ Thermodon cognite turmæ,
Et quondam Graijs Phaſi petite viris.
Cumq; Boryſthenio liquidiſſimus amne Dyraſpes,
Et tacitè peragens lene Melanthus iter.
Quiq; duas terras, Aſiam Cadmiq; ſororem
Separat, & curſus inter vtranq; facit:
Innumeriq; alij, quos inter maximus omnes
Credere Danubius ſe tibi Nile, negat.
Copia tot laticum quos auget, adulterat vndas,
Nec patitur vires æquor habere ſuas.
Quin etiam ſtagno ſimilis, pigræq; paludi,
Cæruleus vix eſt diluiturq; color.
Innatat vnda freto dulcis, leuiorq; marina eſt,
Quæ proprium miſto de ſale pondus habet, &c.

Hîc Ouidius solummodo præcipuos eosq; capitales fluuios recensuit, reliquos verò complures & absq; numero amnes insignes, qui prædictis immiscentur carminis breuitati consulens omisit.

DE MORIBVS, CONSVETVDINEQ; VITA TARTARORVM.

ABsolutis breuiter Tartarorum hordis siue regionibus earumq; situ, nunc de vitæ eorũ moribus, vestimentorumq; vsũ & victu pauca subijcietimus. Omnes autem Tartari prædicti, Machometi dogma, exceptis Circassis Quinquemontanis amplectuntur, Turcarum ritu. Turcas tamen se appellari molestissimè ferunt, probriq; id loco ducũt, sed Besurmanos, quasi gentem electam se nominari gaudent.

Statura Tartarorũ.

Homines sunt statura mediocri, obesa, lataq; facie, distortis & concauis oculis, barba capris simili horridi, capite rasi, exceptis excellentioribus viris, qui crines contortos, eosq; nigerrimos secundum aures protensos nutriunt, corpore valido robustoque, animo audaci, in Venerem eamq; naturæ contrariam lasciui. Victũ ex omnibus animalibus quomodocunque mactatis, maximè autem ex equis habent, exceptis porcis à quibus ex præscripto legis, vt re fœdissima & immunda abhorrent. Famis sominaque supramodum patientes, vt ea nonnunquam toto triduo quatriduóve perferant, tandem verò occasionem ad vorandum nacti, supra modum le cibo & potu ingurgitant, eaque crapula priorem iediam resarciunt, sicque cibi & potus superfluitate obruti, biduo triduóve dormiunt, in quos sic somno penè

penè suffocatos, & oppressos Lituani & Rutheni (in quorum frequenter regiones excurrunt) derepente irruentes, incautos profligant, prædasq; repertunt. Cùm autem aliquò proficiscuntur, & si fame sitiq́ue cruciantur, equis quibus insident venas incidunt, haustoque eorum sanguine sitim famemq; sedant, equis verò huiusmodi venarum incisionẽ maximè prodesse putant. Equarum lacte supramodum delectantur, quo robustos pinguesque se fieri arbitrantur. Herbis varijs, maximè autem ijs quæ iuxta fluuium Tanaim crescunt suauiter vescuntur, sale rarissimè vtuntur, ideoq; visum sibi acutiorem inesse dicunt. Quòd si aliquando reges siue duces exercitui suo commeatum distribuunt, quadraginta vitis vnum equum dare solent, quibus mactatis militares carnes inter se partiuntur, præstantiores verò intestina tantum vt rem opiparam & suauiorem sumunt, quæ ad ignem parũ calefacta, vt videlicet adhærentia stercora excuti possint, vnà cum cineribus & carbonibus de igne otius erepta rapaciter vorãt. Non solùm autem digitos pinguedine perunctos, sed etiam cultellum, lignúmve, quo stercora deterguntsuauiter lingunt, suguntque. Capita equorum apud eos in delicijs habentur, insignioribusque tantummodo apponuntur. Cibum verò capessuri, locum quo cibus apponitur circumsedent, pedibus subtus transuersim attractis, eodem quoq; modo mẽsam si adest (præcipuè legationem apud Polonos Lituanósve obeuntes) circumsedent; præstantiores verò super mensam accumbunt, sed suis in regionibus nunquam ferè in mẽsa, nisi super terram comedunt. Insigniores tapetas sibi substernunt.

Arma Tartarorum.

Arma quibus in bello vtuntur hæc gestare solent, arcum cum pharetra sagittifera, cestum, securim, frameamq;. Sagittas autem veneno subtiliter inficiunt, de quibus etiam Ouidius de Ponto, Elegia secunda & tertia ad Maximum libro primo testatur, cùm dicit:

Hostibus in medijs, interq; pericula versor.
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.
Qui mortis sæuo gemmant, vt vulnere causas,
Omnia vipereo, spicula felle, linunt.
His eques instructus, perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circumeuntis oues.
At semel intentus neruo leuis arcus equino,
Vincula semper habens irresoluta, manet.
Tectaq; rigent fixis veluti vallata sagittis,
Portaq; vix firma submouet arma sera.

Ad eundem Elegia tertia.

* *Tartarorũ scilicet.*

Maxima pars hominum nec te pulcerrima curat*
Roma: nec Ausonij militis arma timet.
Dant illis animos arcus plenaq; pharetra,
Quamq; libet longis cursibus aptus equus.
Quodq; sitim didicere diu tolerare famemq;,
Quodq; sequens nullas hostis habebit aquas.

Idem Tristium libro tertio, Elegia decima.

Et vlterius ibidem.

Sauromatæ cingunt, fera gens Bessiq; Getaq;,
Quæ non ingenio nomina digna meo.
Protinus æquato siccis Aquilonibus Istro
Inuehitur celeri barbarus hostis equo.
Hostis equo pollens, longeq; volante sagitta,
Vicinum latè depopulatur humum.

Diffu-

Diffugiunt alij, nullisq; tuentibus agros
Incustodita diripiuntur opes.
Ruris opes paruæ pecus, & stridentia plaustra,
Et quas diuitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis
Respiciens frustra rura, laremq; suum.
Pars cadit hamatis miserè confixa sagittis,
Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quæ nequeunt secum ferre, aut abducere perdunt,
Et cremat insontes hostica turba casas.
Tum quoq; cùm pax est, trepidant formidine belli,
Nec quisquam presso, vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quẽ non videt hostem
Cessat iners rigido, terra relicta situ.

Equi Tartarorum.

Equos quorum (genus *Bachmat* vocant) ceruice depressa, pusillosque, sed fortes habent, qui more dominorum suorum, laborem inediamque & cursum longissimum diutissimè sustinent, ramisque & corticibus foliisve arborum radicibusque vngulis è terra excussis, & eulsis pascũtur, his ita ad laborem assuefactis Tartari commodissimè vtuntur. Habent quoque alios eodem nomine appellatos equos generosos, corporulentos, & obesos, qui caput sursum erectum inter currendum gestant. Hos autem omnes equos castratos habent, quibus scilicet in bello vtuntur: tales enim plus laboris & inediæ tolerare posse arbitrantur. Dum autem in regionem aliquam depopulandam, vel ad confligendum cum hostibus proficiscuntur, vnusquisque eorum binos treſve equos secum ducere solet, vt scilicet vno defatigato, in alium ascendere possit: lassatos verò ma-

nuducũt, vel ad comedẽdũ mactãt. In his eqs flumina trãsnatãt, qui forte fugiẽtes insequẽtiũ hostiũ vim extimuerint, sellis, vestibus cæterisq; impedimẽtis à se abiectis, armis tãtùm exceptis effusissimè fugiunt. Equos baiulos qui vitę bellíve necessaria portant, sic assuetos habẽt, vt ipsi absq; ductore vel stimulatore equos cæteros (licèt ipsis fugientibus aquásve trananantibus,) sequantur. Frena autem leuissima & simplicia habent, flagellisq; prę calcaribus vtũtur; cellas quoq; leuissimas, firmissimas tamen habent.

Ornatus equorum.

Confligendi cũ hostibus ordo.

Conflictum cum hostibus eminus audacissimè ineunt, in quo non diu perseuerantes, hostibus insequendi occasionem dant, fugientes autẽ maximè cauendi sunt: nam in hostes insequentes à tergo tela scitè peritissimeq; retorquent. Tandem conuersis derepente equis in dissipatas hostium insequẽtium ordines, denuo impetum faciunt, pugnamq; redintegrant. In patentibus autem campis cum hostibus confligunt, agmine sinuoso in gyrum ordinato, quo certior & liberior nulla re obstante, hostem iaculandi via pateret, iamque manus conferentes vndiquaque hostium tela extorquẽdo circumferuntur, estque euntium & redeuntium mirus quidam ordo. Ductores verò quos sequuntur harum rerũ peritissimos habent, qui si fortè, vel ab hostibus occisi fuerint, vel metu perculsi in ducendis ordinibus aberrauerint, tanta totius exercitus fit confusio, vt nec amplius in ordinem reduci, nec tela in hostem torquere possint, hocque genus certaminis à similitudine *Choream* appellant. In angusto autem loco si fortè eis decertandum venerit, nullus huius ordinationis est vsus, atque ideo fugam arripiunt: nam neque

neque clypeo, nec lancea, nec galea muniti sunt, vt hostem in stataria pugna sustinere possint. In equitando verò hunc morem seruant, vt contractis in sellam pedibus, breuissimè stapedibus insideant, quo facilius in vtrumque latus se possint conuertere, telaque in hostes identidem contorquere, & si quid fortè in terram delapsum fuerit, id continuò, nulla re obstante stapedibus innixi tollunt. In hoc autem adeò exercitati sunt, vt etiam celerrimè currentibus equis id efficiant, hastis verò lanceisve impediti, in alterum latus subitò se demittunt, altera duntaxat manu pedeque equo adhærentes, & sic frequenter aduersariorum ictus eludunt. Peditatu inter confligendum nunquam vtuntur, arces ratissimè oppugnant, tormentis enim & bombardis vti prorsus ignorant: quòd si fortè aliquas arces dolo occupare, vel igne suppositò succẽdere possent, eas funditus exurunt, captiuisque & exuuijs eductis vacuas dimittunt.

Cùm autem incertis & nullis finibus obseruatis sedibus vagantur, inter ducendos exercitus, stellarũ aspectu, maximè verò poli Arctici (qui Slauonica lingua, *Zeseſnij Kol*, quasi ferreus stipes dicitur) cursum suum dirigere solent.

Vestitus Tartarorũ.

Vestibus oblongis ad talos demissis pileisque apicatis communiter tam enim viri quàm fœminæ vtuntur, nec in cultu mulieres à viris quicquam differunt, nisi quod velo lineo caput tegunt. Caligas quoque lineas gestant. Reliqua communis turba quę in campis passim degit, vestes ex ouium pellibus confectas habent, quas non mutant, nisi longo vsu prorsus attritæ laceræque fuerint. Eorum reginæ &

magnatum nobiliumq; præcipuorum vxores, dum in publicum procedunt, facies velis lineis obtegere solent.

Mutatio locorum Tartaris dulcis.

Vno in loco non diu cõmorantur, sed depastis pascuis cum armentis, vxoribus, & liberis, quos in plaustris, & equis secũ circumferunt, aliò cõmigrãt, exceptis ijs qui in oppidis degunt. Grauem autem infelicitatem putant, diu in eodem loco morari, itaque liberis suis sic graue malum imprecantur, dicentes: O vtinam eodem in loco perinde vt Christianus perpetuò hæreres, propriumque fœtorem olfaceres. Si verò bello aliquo grauiore vrgentur, vxores, liberos, senesque in loca tutiora collocant. Quotiescunque in aliquas prouincias excurrunt, eas deprædatas captiuis abductis, igne ferroq; funditus proterunt, & tandem otius fugiunt. Quo verò plures prouincias desolauerint, hoc se regna sua (in campis enim sub dio viuere solẽt) ampliora reddidisse dicunt.

Homines sunt rapacissimi, alienis bonis semper inhiantes, pecora hominesque in captiuitatem, præcipuè Christianos abigunt, prædaque & spolijs vicitant, laborem enim remque familiarem prorsus detrectant, inde & panis vsum (exceptis ijs qui sunt confines Podoliæ, regioni Russiæ Polonis subiectæ) penitus ignorant. Auri argentique apud illos vsus nullus est, extra mercatores, rerumque tãtum permutatione vtuntur. Quod si aliquid pecuniarum ex spolijs rebusque venditis à vicinis adepti fuerint, ea vestes in Russia cæteraque necessaria vitæ comparant. Captiuos in seruitutem quosdam sibi redigũt, cæteros Turcis alijsque quibusuis extraneis negociatoribus aut vendunt, aut redimendos cõcedunt, virginibus reseruatis. Senes autem & infirmos, qui ad perferendos labores inutiles sunt, vel qui magno vendi non possunt, hos illi iuuenibus velut canibus lepores exponunt, quo prima militiæ tirocinia inde addiscant. Eos itaque illi iuuenes aut sagittis velut certum iaculandi signum conficiunt, vel obtruncant, decollant, lapidibus obruunt in aquasque precipitant.

Panis & vsum ignorant.

Mercatores.

Captiuis quomodo vtuntur.

Iusticia apud eos nulla obseruatur: nam vt quisque re aliqua indiguerit, eam ab altero impunè rapere potest, & si apud iudicem de vi illataque iniuria conqueritur, reus non negat, sed se ea re carere non potuisse dicit. Tum iudex huiusmodi proferre sententiam solet: Si tu vicissim re aliqua indigueris, rape ab alio. Si in contentione aliqua quispiam occidatur, authoresque sceleris capti fuerint, equis, armis vestibusque spoliati dimittuntur: in dimissione verò iudex vilem equum & arcum dat homicidæ dicens, abi, remque tuam cura. Cumq; quietis impatientissimi sint, mutuò tamen se non interimunt, nisi reges inter se dissideant.

Iusticia Tartarorum.

Nomina dignitatum apud Tartaros hæc ferè sunt, *Chan* regem sonat, *Soltan* filius regis, *Bij* dux, *Murfa* filius ducis, magni nominis vir, *Olbout* nobilis vel consiliarius, *Olboadulu* alicuius nobilis filius. *Seijd* verò supremus sacerdos dicitur, qui apud Tartaros in tanta authoritate & reuerentia habetur, vt reges ei aduenienti occurrant, stantesque equo insidenti manum porrigant, capiteque inclinato manum illius osculantur, idque ipsis regibus permissum est. Duces verò non manum sed genua, nobiles pedes

Supremus sacerdos Tartarorũ.

deoſculant. Plebei autẽ veſtes tantũ aut equũ manibus attingunt. Homo priuatus *Xi* appellatur. Officiorũ verò *Vlan*, horũ autem ſecunda eſt à rege dignitas. Nam reges Tartarorum quatuor viros præpuos iuxta ſe habere ſolent, quorum conſilio in rebus grauibus vtuntur, ex his primus *Schiryn*, ſecundus *Baryn*, tertius *Gargyn*, quartus autem *Tripizan* vocatur, & omnes ſub hoc nomine Vlan comprehenduntur.

Tartarorũ audacia.

Fines hij Tartari Campeſtres nullos habent, ſed cateruatim paſſim in campis degunt, idque à natura inditum habent, vt ab hoſtibus equis deiecti, vulnerati, armisque omnibus ſpoliati, ſemiuiuique relicti, manibus, pedibus, dentibusque, quoad & quacunq; ratione poſſint, ad extremum vſque ſpiritum ſeſe defendere ſolent, & tunc temporis maximè cauendus eſt, dum eum victum moriq; incipientem putas: moriturus enim alium poſt ſe trahit. atq; hic finis totius deſcriptionis Tartarorum eſto.

RELI-

RELIGIO MOSCHOVITARVM IOHANNIS FABRI, AD FERDINANDVM REGEM

Romanorum cui à confeſſionibus erat.

MOſchouitæ fidem Chriſtianam ſequuntur, quam à ſancto Andrea apoſtolo fratre Simonis Petri, primùm eis prædicatam affirmant. Ea quoque quæ ſub Conſtantino Magno à CCCXVIII. epiſcopis, in Nicea vrbe Bithyniæ primo Niceno concilio concluſa, ac à Baſilio Magno & ſancto Chryſoſtomo tradita & prædicata fuerunt, tam ſancta, tam firma, tam ſincera eſſe credunt, vt ab illis hactenus nunquam licuerit tranſuerſo digito (vt aiunt) recedere cuiquam, ſicut neq; ab Euangelio Chriſti. Ea quoq; modeſtia eſt eorum, vt quę à ſanctis Patribus in ſuis cõſilijs, ſemel ſunt deciſa, nunquam audeat quiſquam ſuæ profeſſionis, in dubium denuo vocare. Verùm ſi qua vel fidei difficultas, vel ritus religiõis inciderit, vniuerſa ad archiepiſcopũ ac reliquos epiſcopos, per ipſorum tantùm ſpiritũ definienda refertur: neq; quicquã incõſtanti vulgo & incõcordi relinquitur. Sacerdotis enim labia cuſtodiunt legẽ Dei, & lex ex ore eius requirenda erit. Habent aut archiepiſcopum qui in vrbe Moſchouia, in eo loco vbi ſedem imperator habet cathedram archiepiſcopalem obtinet. Sunt & epiſcopi quamplures in Nouogradia, vnus, in qua & Iſidorus extitit, ſub Eugenio pontifice Rom. Cardinalis teſte Raphaele Volaterrano. In Roſciuia alius,

alius in Sustali, alius in Otiferi, alius in Smolne, alius in Resani, Colmum, Volut, & Frotini præficiuntur episcopi, qui & suas habent diœceses. Hi quidem omnes episcopi, archiepiscopum velut supremum agnoscunt. Archiepiscopus autem ille, antequam Patriarcha Constantinopolitanus à Machometica tyrannide suppressus esset, semper hũc Patriarcham vt superiorem recognouit. Huic tamen Romanum pontificem, veluti Petri successorẽ præcelluisse semper ac meritò fatentur. Neq; hodie huius rei immemor Ruthenorũ imperator, adhuc pietatis eius modi diligens custos: quotannis enim Constantinopolitano Patriarchæ in hanc vsq; horam quo viuere & Ægyptiacæ seruitutis finem æqua mente expectare possit eleemosynam mittere consueuit. Apud Moschouitas ea lex & sanctio est, vt presbyteros & omnes quotquot clerici sunt soli ordinent episcopi. Neq; vlli presbytero vnquam quenquam cõfirmare licet. Hoc enim muneris episcopo soli incumbere asserunt, vt posteaquam tinctus aqua, adultus fiat, per impositionẽ manuum episcopi & signaculum crucis, adeptæ fidei testimonium reddat, firmeturq; per vnctionem quæ in fronte fieri solet. Ijdem in cœna Domini chrisma & oleum celebrant, atque conficiunt. Cuius dein vsus sit in baptizando, confirmando, vngendo infirmos. Soli sunt qui instituũt & destituunt presbyteros. Neque vnquam licet laicis in ipsos animaduertere, rectè ob oculos habẽtes Pauli doctrinam ad Timotheum qua dicit: Accusationem aduersus presbyterum ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. Ita nec se vnquam Imperator ipse de pœnis clericorum ingerit. hoc episcopalis

alis tantùm animaduersionis constanter affirmãt & prædicant vt eos arguat & castiget quos sibi subiectos Euangelicus ordo, ac in sortem Domini vocatio fecerit. Habent & episcopi suos vicarios & officiales, quemadmodum & nostri qui iurisdictionem in subditos exercent, & iusticiam in rebus ecclesiasticis administrant. Decimis quemadmodum à Deo decretum est quoq; viuunt episcopi: dominijs vtuntur iure concessis: villas ac castra possident. Reliqua verò sacerdotum turba, aliquibus decimis, oblationibus, & alijs quamplurimis tã viuorum quã mortuorum aluntur. Pro ijs enim beneficia habent funcata, quorum patroni sunt tam spirituales quàm laici. Seueriori tamen cura hîc agitur, quàm soleat interdum nobiscum, negligentius scilicet. Nemini enim facilè aliquod munus Ecclesiasticum cõmendatur, neq; cõfertur beneficium, nisi prius huic ipsi satisfacere posse comprobetur, per eius rei tamen peritos velut episcopos aut vicarios. Sunt episcopis suæ familiæ, tum nobilibus tum alijs constitutæ. Hi certè sunt episcopi, per quos stat q; caditque vniuersa Ruthenorum religio. Diuina sæpe, quum cum Imperatore conueniunt peragere solent. Pro insignibus huius muneris, baculis vtuntur & mitris. Perinde atque nostri solent episcopi. Ea verò abstinentia est, quæ nunquam satis laudari poterit, insignis admodum & magna, tum archiepiscopi, tum reliquorum episcoporum, cibi atque potus, nec minor ferè quàm monachis eius regionis, quibus ipsa solet esse refertissima, qui quidem ea lege obstricti sunt abstinentiæ, vt nunquam in perpetuum carnibus vesci liceat. Nõ procul ab vrbe Moschouia monasterium

est amplissimum, in quo trecenti fratres, perpetuò ferè sub regula magni Basilij degunt. in quo etiam sepulcrum sancti Sergij abbatis, quod ab exteris è longissimis etiam agris frequentatur. Multis enim miraculis celebre factum est, Christianorum admiratione non parum dignis. E quibus vel vnicum in medium prolatũ sufficiet, omnium illustrissimum, quod paucos ante annos illic contigit, duobus cæcis quidẽ visus donatus est. Cùm enim abbas ille viueret, tanta vitæ sanctitate extitit, vt facilè sibi persuaserint, atq; credant iam multa ipsum precibus suis apud Deum posse efficere atq; consequi mortalibus. Ideoque monumentum eius, crebrò mira cum deuotione accedunt honorantq;. Vniuersi enim tum monachi tum virgines Vestales, quotquot sunt in monasterijs, vnicæ regulæ vniq; habitui obnoxij, nigro scilicet, vsque adeò religiosè viuunt, vt non mirentur solùm, verùm etiam summo honore eos prosequantur. Neque ipsis tam vilis ratio voti habetur velut hodie nobiscum. Verùm cùm quis ingressus fuerit monasterium, nunquam in perpetuum quoquo modo, quáve indulgentia ei licebit exire, aut aliquo votum irritum facere. Vota verò tria sunt quæ exhibent ceu nostri, obedientiæ scilicet, paupertatis, & castitatis. Quæ si quis prætergressus, è monasterio qui profilijt deprehenditur, perpetuo carcere in pœnã tanti sceleris clauditur. Tanta est votorum sanctitas, vt etiam quamuis multa apud Ruthenos archiepiscopi & episcoporum authoritas sit, in his tamen illis minimè quicquam concessum est. Quod vouendum & reddendum Domino, vtriusque testamenti scriptura edocear, imò

imò ipsa veritas requirat. Castitatis itaque adeò ratio haberi solet, vt nunquam monachis vxores ducere, neque monialibus nubere liceat. Ita enim à Paulo & tota ecclesia prohibentur. Is autem qui virginem bonæ famæ duxit in sacerdotem ordinatur, in monachum tamen nunquam recipitur. Episcopus autem vel sacerdos, posteaquam cælebs in sortem Domini vocatus atque conscriptus fuerit, connugio non copulatur, sed perpetuæ castitati adstringitur. Quod si quis concubinatus crimen admiserit (quod tamẽ apud Ruthenos vitium est rarissimum) acerrima pœna ab episcopo affligitur, suoque beneficio priuatur. Cumque vxor semel mortua fuerit quã primò duxit, in perpetuum quoq; aliam in vxorem nunquam ducit. Non bigamum namque, at vnius vxoris virum episcopum instituit Paulus. Et quod pietati collophonium adferre videtur deuotionis spiritum augere, vt cùm sacerdos diuina celebraturus est, in coniugio constitutus, maximeq; in Missa celebranda obseruari solet, minimè fas esse putant præcedenti nocte cum vxore dormire, periculum enim illic esse verentur, si non cum peccatę sequenti ab vxoribus quoque abstinent. Ea est in his quidem tanti corporis & sanguinis mysterij reuerentia, is cultus, hæc spiritus persuasio. Videant igitur nunc nostri quàm pollutis manibus hoc sanctosanctum mysterium, pignus omnis redemptionis nostræ tractare soleant. Moueret optarim vel vnicum Dauidis exemplum, qui cum extremo iam ferè ieiunio laboraret, non tamen propositionis panes ab Abimelech obtinuisset, nisi ipse

& serui eius ab heri & nudiustertius ab vxoribus aut alijs mundi fuissent. Cur igitur non mundiciei illeq; studeret magis, qui vasa Domini, imò ipsum Dominum administraturus est & manibus contrectaturus? Est & aliud officium sacerdotum præcipuum, vt Euangelium Christi populo annuncient, salutem scilicet & pacem: id quod fieri cõsueuit vbique omnibus diebus dominicis, festis quoque diuæ virginis Mariæ: Apostolorum item & quorundam confessorum martyrumq;. Verbum autem Domini pari deuotione & prædicatur & auditur. Magnaquoq; est illis reuerentia virginis Mariæ, crebris quidem orationibus, veluti Christi mater pro intercessione apud filium rogatur. Verè enim ea putatur, cùm θεοτόκος sit, quę pro nobis in terris, plurima possit à Filio consequi. Festa itaq; eius Annunciationis, Purificationis, Natiuitatis, Assumptionis, & quot quot deniq; inciderit, ieiunijs indictis, orationibus, missis tum lectis, tum decãtatis celebrare, pro communi ritu ecclesiæ solent Græcorum: quemadmodum & toto anni spatio, excepto quadragesimali tempore, quando S. Georgij missam theologi celebrare consueuerunt. Est autem vtraq; missa ter prolixior, quàm sit ea quæ apud Latinos communis habetur. Deuotis quidem mentibus accedunt, illam populi audituri, tanquam participes futuri eius. Solet autem hoc differre illorum Missa à nostra, quod Moschouitæ in pane fermentato, Græcorum more conficiunt. Calici item tantum aquæ quantum vini rubei miscent: quam aquam & calidam esse volunt, quod ex latere Domini non sine mysterio magno, profluxerit sanguis & aqua, quam calidam fuisse credere

Missa.

dere fas est: alioqui enim miraculum vix censeri posset. Hocque Sacramentum corporis & sanguinis à solo sacerdote consecratur, qui veluti nostri ferè, stola alba indutus, tota mente ad Deum eleuata, id efficere conatur mysterium, quod pro sufficienti pignore omnium promissionum suarum Christus, in vltima Cœna reliquit, quemadmodum vniuersus orbis fatetur. Epistolam item & Euangelium æquè in Missis habent. At lecto Euangelio, non mox Nicenum illud Symbolum, sed post angelicũ cantum, qui Sanctus appellatur, primùm fides Nicena decãtari solet, cumque dominicæ orationis finis factus fuerit, mox antiphonia de beata virgine Maria sequitur. Consecratio itaque æquè ab ipsis verbis fit à Christo probatis, quibus & eam vim cõcessam credunt, vt prolatis ipsis à sacerdote, mox creatura creatori suo cedat, illudque quasi necessarium esse. Dum verò sic cõficitur, ecce panis iustę magnitudinis hordeaceus apponitur, in cuius medio hostia est, cui crucifixi forma perinde, vt apud nos, impressa cernitur, quam vi benedictionis in corpus Christi cõuersam, sacerdos sibi sumit & manducat, reliquum verò partes per frusta diuisum petentibus distribuit: quem singuli nõ vt corpus Christi, sed veluti benedictum aliquem, & quodammodo sanctum panem, cum summa deuotione suscipiunt. Solent itaq; has Missas celebrare de Trinitate, & beata Virgine, deq; alijs sanctis. Et quoniam illis proculdubio Purgatorij opinio est, assidue pro defunctis orant, Missis subueniunt. In qua quidem re tanta illorum est religio, vt plerique bina pro mortuis anniuersaria, vt vocant, agant. Alterum, qui fatalis quo mortuus est die agi-

tur. Alterum autem, quo ab ecclesia institutum, sancti illius, cuius nomen habuit proprium festum celebratur. Ad hæc fiunt frequentes oblationes & eleemosynæ Christianorum. Hoc quicquid est rituum & potissimum Missarum, omne quidem ex institutione primæuæ ecclesiæ esse affirmant, vti tradunt etiam Chrysostomus, Basilius Magnus, aut Gregorius theologus. Hæc igitur sint breuius dicta quàm vel par sit huic mysterio: Eucharistiæ quidem Sacramentum quantum ipsis in vsu est, populo administrari solet, tempore quo Christus ipse instituit: & dein sequuta ecclesia, paschali scilicet. alia tamen serie forsan quàm Romana ecclesia faciat atq; decreuerit. Baptismum pro Sacramento primo, adeoque præcipuo ducunt. Quapropter hoc si quisquam neglexerit deriseritque, mortis pœna affligitur. Baptisant itaque pueros, in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Huic muneri fungendo quæcunque necessitas inciderit, nemo hominum sufficere putatur nisi sacerdos extiterit. Prius verò quàm Baptismus administretur, orationes fiunt frequentes ac deuotę, à sacerdote, à parentibus, à patrinis, à proximis, ab amicis, & quicunq; deniq; adsunt, quo Deus opt. max. esse è cælo per plenitudinẽ gratiæ suæ puero per vniuersum vitę suæ curriculum assistere dignetur. Quibus certè precib. ad Deum fusis, in ecclesia, ad quod peragendum illic baptisterium ordinatum est, aut tempore brumali molestiam frigoris fugientes, in loco secretiori puer baptizari solet. In cuius rei testimonium adhibẽtur patrini, pro more etiam nostro quibus expollicitis incumbit, vt huius baptismi memores esse velint, vt puerum olim, cùm ætas paterit aut

Baptismus.

aut expostularit, in fide erudire non negligant, vt Deum pro tanta gratia laudent, ac orent, vt donum hoc diuinissimum fidei datum, indies augere dignetur. Præfictis itaq; orationibus, atque etiam exorcismis, cùm puer fortioribus naturæ viribus apparet, ter totus immergitur, alioquin aqua tingitur, rarò tamen, consperso enim minus sufficiens iudicatur. Oleo & chrismate interim quoq; appositis frontis & scapulis. Sal verò quod à nostris adhibetur, & lutum ex saliua, & puluere, non admodũ receptum est Moschouitis, abrenunciationem verò trinam fidei quoque confessionem trinam in vsu retinent. Interrogati dein per nos quantum ipsi Circumcisioni tribuerint, num & ipsi in vsu haberent: Procul quidem ab eis abesse responderunt, vt vel scintillam veteris & aboliti ludaismi obseruent; imò in detestationem illius nec quisquam ludæorum per vniuersum Ruthenorum imperium admittitur, etiam si multis millibus aureorum hoc consequi præsumeret. Cùm verò iam adultus est puer, & perfectam ætatem consequutus, ita vt suæ fidei Christianæ testimonia reddere potest, ad episcopum ducitur, vt confirmationis huius modi fidei Sacramẽtum recipiat, quod & chrismate in fronte per signũ crucis conferetur. Administratio verò huiusmodi Sacramẽti, nulli concessa nisi episcopis: quo coniecturare licet atque argumenti loco haberi, quandoquidem omnẽ religionẽ suam per manus traditã habent ab apostolis, impositionem illam manuum vel in cõfirmatione, vel in ordine sacro, soli episcopo traditam esse, sicq; hactenus monumẽta omnia tenuerunt, atq; perpetua obseruatiõe custoditũ est. De matrimonio si quę

dicenda sunt, hoc certum esse affirmarunt, consanguinitatis simul atq; affinitatis, multum curæ ac solicitudinis esse ipsis, neq; vnquã facilè negligi, adeò quoq;, vt nec vnquam in quarto gradu repertus sit, qui contraxerit, neq; indultum, verùm perpetuò illicitum. Hocenim à sanctis patribus sancitũ semel, nunquam irritum facere conãtur. Et quod plus est, illud quicquid est cognationis quod in baptismate, & confirmatione contrahunt patrini, in vniuersum æquè obseruare solent atque ecclesiæ Romanæ decretis cautum est. Quod si in his decernendis cõcertatio oborta fuerit, lis omnis episcoporum arbitrio dirimitur, ita tamen, vt nequaquam indulgentia causſam leniorem fecerint, quo nulla fraus fiat omnino constitutionibus. Adulterij abominatio fortassis maior illis quàm nobis existit. Illudnim summa execratione detestari & persequi solét. Lex est etiam firma, vt quamdiu vir vixerit, simul alteri nubere vxor non possit. At hoc defuncto primùm etiam lege liberatur, alioqui indiuidua consuetudine vitæ cum marito commorandum est. Sacri ordines quoque apud ipsos suis quibusdam obsecrationibus & cærimonijs sacerdotibus conferuntur. Neque illis clauium potestas tradita creditur, nisi ad imitationem Christi in aures illorum dicatur, Accipite Spiritũ sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Huiusmodi certè Euãgelij formã à Christo nobis præscripta, omni huic qui ab episcopo vocatus, ordinatusque in presbyterum fuerit, authoritas tribuitur, qua vel à peccatis soluere, vel ijs ipsis obnoxios sinere potest. Sacerdotali enim hoc ministerio, Moschouitæ ad pœnitentiam vtuntur.

tur. Quisquis namque ad prouectiorem ætatem, atque eam venerit, quæ ingenij sui viribus vti potest, ac discernere inter bonũ & malũ, rectũ & prauum, leprã, & nõ leprã, per cõtritionẽ sese peccasse agnouerit, rectè spiritus cõtribulati sacrificium reddens, *Confessio.* mox ad pedes sacerdotis procidit, & in aurem illi, vt qui sedem Dei teneat, scelera omnia admissa sigillatim, quantum memoria recolligere potest, ex ordine cum planctu aut gemitu declarat, à quo postea beneficium absolutionis, tanquam Christi vicario accipit. Huic rei conficiundæ, tempus quoq; habent constitutum: quotannis enim Paschæ festo pro ecclesiastica ordinatione facere coguntur, plerique tamen deuotiores, ad celebriores festiuitates exomologesin auricularem facere non negligunt. Id si quis constituto tempore Paschatis neglexerit, anathema esse solet omnibus, abominaturq; ipse ab omnium conuersatione, adeoq; ab ecclesiæ ingressu coercetur. Confessus itaque, quò dignè particeps fieri possit tãti mysterij corporis & sanguinis Domini, prius *Præparatio ad sacram synaxim.* per aliquot dies corpus affligat oportet, & in seruitutem vsque redigat carnem suam, reliquosq; pœnitẽtiæ fructus dignos in testimonium afflictæ conscientiæ peragat. Proin ieiunium illud quadragesimale, à Christo & apostolis nobis institutum prorsus affirmãt, quo quidẽ tempore, quoniam omnium procreantium, Veneri commodissimum est, atque pruritus acerbissimos, animantiũ cunctorum, non est, quod plus prouocet, opus est summè vt veteris illius Adæ insultus, perdomemus carnis abstinẽtia, quæ certè abstinentia, apud hos quidẽ septem hebdomadis summa diligentia perficitur, adeò vt hoc

tempore in perpetuum nulli suorũ hominũ carnibus, ouis, caseo, & butyro vesci liceat. Præter hoc etiam à decima die Nouembris, ad festum vsque Natiuitatis saluatoris nostri Iesu Christi, ieiunant: habent & alias hebdomadas continuas, quibus ieiunant, vt in Iunio ad festum Petri & Pauli. Aliquot item hebdomadas in Augusto ad festum assumptionis Mariæ, tum diẽ Veneris per vniuersum annum, quidam & Mercurij. Votum proin fecerant octo ex peregrinis illis, qui cum sua serenitate fuerunt, vt singulis hebdomadis tres dies ab esu carnium abstinerent, Lunæ scilicet, Mercurij & Veneris, id quod diuina gratia hactenus obseruatum aiebat interpres. Tanta est autem illis harum constitutionum obseruantia, vt quocunque ieiunio piaculum esset, aliquem carnibus vesci aut ouis. Narrabant interim quoq;, ex suis inueniri, qui cùm ieiunia persoluunt, nihil quod vnquam visum sit vita fungi, neq; pisces ipsos ederent. Inueniri & alios qui ieiunio statutis diebus, neque vinum, neq; quicquam aliud potuum bibant. Qua re audita ita moti, vt mente, ἐκβουσιασμῷ correpti, destituti videremur, quod admodum iniquam esse nostrorum Christianorum cum illis, in rebus istis Christi religionem concernentibus comparationem apparebat. Nec magis vnquam quicquam animis nostris tenacius inhæsit, quod nos qui nobis ipsis multum persuademus de arbore fidei nostræ, fructu quidem deteriores illis esse contingat. Tuentur & alios pœnitentiæ gradus, quibus Deum nobis reconciliari credunt. Ex quibus & potissimus est oratio, in qua frequentanda non facilè similes reperiri censeo. Omni namq; diluculo cuiq;

dei eorum, toto corpore in puluerẽ ipsum prostrati, prolixas orationes, & quotidianas ad Deum fundũt, & ferè absque omni temporis intercapedine orant precibus. Quarum primum locum obtinet oratio Dominica, dein cum archangelo Gabriele, diua Virgo salutatur. Dicunt & fidei professionem symbolo, quod apostolorum esse à veteribus persuasi sumus: & nullus eorum est, qui nõ singulis diebus litaniam persoluat. Qui verò ditiores sunt, è quorum facultatibus est magnos pro ijs sumptus posse facere Ruthenicis literis imbuti, libros orationum sibi comparant, earum solùm tum quæ ab ecclesia receptæ sunt, cuiusmodi apud Oratores vidimus. Imaginum verò non tam leuis cura, aut contemptus apud ipsos viget, veluti apud nos his factionibus huius sæculi increbruit, præter omnem pietatem: verùm vt monumenta, quò nec vnquam immemores beneficiorum Dei fieri cõtingat, præ oculis habent. Frequentes conueniunt in ecclesijs quas & ipsi magnis sumptibus extruunt, orationis domos ex Euangelio vocitãtes, quas q; imaginibus varijs crucifixi, diuæ Virginis, apostolorum, & aliorum quorundam ornant, id quod licere sibi ex moribus vetustissimorũ Christianorum prædicant. Neq; tam facilè ipsos mouet, quod apud Græcos Constantinopoli ante septingentos annos extiterunt, qui imagines idololatris conuenire docuerunt, neque fas esse, vt cum verè Christianis reperiantur. Qui certè secunda dein Nicena synodo damnati fuerunt, quotquot pertinaci animo hanc sententiam sunt tutati. Neq; est vt vel vnum aut alterum, qui his vt monumentis vtitur, adorare, facilè reperiri queas. Quoniã nemo est

qui vel ignoret à lege prohibitum esse ne veneremur lapides. E contra etiam nullibi scripturæ locus est, quo nõ vti liceat ijs monumentis, qui vetet. Imò & in conuiuijs illi ob oculos ponere consueuerunt monumẽta huiusmodi, vt in perpetuum animo obuersentur, quæ præstitit nobis Deus, atq; facilius recordentur vniuersę vitæ nostræ exempli Christi. At quod è cærimonijs est, communẽ habent nobiscum vsum, in sacris cãdelarum. quoniam cera opulentissimi sunt, frugibus verò terræ, & ijs omnibus, quæ ex substantia sunt alicuius, venerandũ ducũt Deum, quæ candelæ tunc potissimum accenduntur, quando totius redemptionis nostræ mysterium corporis & sanguinis Domini, Missa à sacerdote cõtrectatur. In organa verò illa Pipiniana, quæ tamen nobis primò à Græcia sunt missa, nullos omnino sumptus faciunt neq; hactenus vsi.

Neq; illud quidem minori, quàm reliqua quæ egregiè faciunt, loco habendũ erit, quod plurimum commendatos habent pauperes, quibus quisq; pro sua facultate, atq; quãtum Euangelij pietas consulit, exponit eleemosynas, vestit, potat, pascit, hospites colligit, & reliqua agit huiusmodi, quibus filios Dei in vita prouehere potest. Constituunt ad hæc peregrinationes, ad præscripta quædam ac sancta loca, quam rem nunc lubens prętereo. Is quoq; qui morbo aliquo prægrauatus est, cuiusmodi in extremum mortis periculum ducere videtur, non solùm auriculari confessione sua peccata enumerare solet: verùm ad hoc etiam, vt fidem suam testetur in Christum qui hoc modo testamento reliquit se remissurum noxam, sacramento Eucharistiæ prouidetur. Extre-

Extremam item vnctionem minimè negligit. Tum pro ægrotante frequenter fiunt orationes, atque litaniæ res agitur. Sicque tãdem exacta exomologesi, proritúq; communi Christianorum omnibus perpetratis, cõfessus ille à sacerdote absoluitur. Septem igitur numero Sacramenta habent, velut ea quæ sine omni fraude promissionum suarũ eum qui pro Christiana pietate ipsis vtitur, participem, ac compotem faciunt. Præcepta item decem eadem authoritate tenent, qua Mosi primò tradita sunt, quasi nunquam intermoritura, certi per verbum eius, quod venerit vt impleret legem, minimè vt solueret. Indulgentias ab archiepiscopo & episcopis accipiunt, magis tamen castè forsitan ab ipsis agitur in ea re, quàm à nostris. Impijssimum enim esse dicunt, vt quæ ipsi gratis acceperint sibi magnis sumptibus redimenda essent. Neque fas est vlli episcopo dare potestatem vescendi carnibus. Matthæus, Marcus, Lucas, Iohannes, epistolæ Pauli, & reliquæ à nobis receptæ cum Apocalipsi, inter canonicas noui Testamenti scripturas recensentur. De canonicis verò veteris Testamenti idem asserunt, quod decreuit ecclesia catholica. Pontificem Roma. vt Christi vicarium & successorem Petri agnoscunt. Propterea S. Clementis S. Leonis, & diui Gregorij festa apud Moschouitas celebrari consueuerunt. Quod autem abeo veluti apostatæ ac schismatici damnentur hoc se iudicio iusti iudicis Dei cõmittere, dicebant. Sæpissime certè tentatum est eos persuaderi, quò ad occidentale in ecclesiam redirent. Quæ tamen fuerint, quæ infelicius homini frustrata sint, fortè plus profuerit obticere quàm commemorãdo vel scan-

Extrema Vnctio.

Indulgẽtiæ.

dalum infirmioribus præbere, vel odium quorundam in me cõtrahere. Dissentiunt à nobis in Sacramenti cõsecratione aliquantulum, ac fractione panis. Spiritum sanctum à solo Patre nec à Filio procedere perinde atq; Græci tuentur. Quanquam verò sint apud Græcos plerique qui purgatorium negant, & alij qui purgatorium scripturis probare conẽtur. In hoc tamen se non facilè scissuram pati affirmant, quin id ipsum firmiter cum Romana ecclesia teneant. Missas nostras animo prõptissimo audiunt, neq; aliud magis cruciari aiunt, quàm quod à quibusdam quasi alieni à fide vitentur, quando omnia ferè nostra sacra cum studio obseruent. Festa item quatuor solennia celebrant. Natalis scilicet Domini, Paschæ, & Pentecostes, atq; diei quo mater Domini assumpta est in cælum. Magno loco habẽt apostolos, præcipuè tamen sanctum Nicolaum, quem celebrant, honorant atq; inuocant. Diem Palmarum adimitationem ecclesię Rom. celebrant, palmas & oliuas, atq; reliquas huiusmodi arbores benedicẽtes. Hácque benedictionem creaturarum, nõ solùm ab ecclesia piè receptam, sed & sacris literis rectè fundatam probant. Ex qua enim quæ est in Numeris cap. quinto & decimonono apertè mõstretur, quid execrationes possint. Et è Paulo ad Timotheum, sanctificari creaturam per verbum & orationem, notissimum est omnibus. Apud ipsos denique per verba incantari serpentes, per verba eijci dæmones & liberari obsessos cõmune sit. Per ieiunium enim & orationem expelli Dæmonium Christus post se scriptum reliquit. Signum crucis ac imaginẽ crucixi, etiam contra hostes pugnaturi secum deferunt, inde

inde triumphari desiderantes vnde & Christus, Sanctos verè pro nobis apud Deum intercedere posse credunt, ac quod sedulò faciant sperant, quorum etiam vota facilius exaudiri autumant. Quare & eos inuocant & venerantur. Eos quoq; qui publicè peccant, excommunicatione persequuntur, quam eorum lingua *Obscha* vocant, quam si quis incurrit, è communi omnium hominum consortio, & cõuersatione ecclesiastica ejcitur. Vnicum est quod à nobis sanè probari non potest, & à nostris institutis alienissimum, quòd pueris vix dum tres annos natis, Eucharistiæ sacramentum præbent, quodque in pane fermentato conficiunt, & ex cocleari panem vino intritũ pro corpore & sanguine populo ministrant. Hi sunt itaq; mores Moschouitarum, hæc religio, illa pietas, serenissime princeps, quę in vniuersum incidit a tua in rebus diuinis procurandis sedulitas ignorare omnino doluit, ideoq; iussu tuo hæc certè illorum hominum perquisita sunt. Data Tubingæ XVIII. Septembris, anni M. D. XXV.

ELVCIDARIVS ERRORVM RITVS RVTHENICI, IOANNIS SACRANI CRACOVIENSIS ecclesiæ Canonici, anno Domini 1500. scriptus.

EX omni gente Christianum gerente titulum, præcisa tamen ab vnione ecclesię, in defensione sui erroris schismatici, nulla pertinacior inuenitur gente Ruthena. Adeò namque in secta & errore

suo, dura & inflexibilis est gẽs, vt nulli scripturarum veritati, nulli Ecclesiasticę determinationi, nulli doctorum Catholicorum, aut conciliorum sententiæ, assensu cedit vnquam, quando potius visæ & agnitę veritati, proh dolor pertinaciter contradicit, & doctos Catholicos, etiam sui ritus viros refugit, sanamque doctrinam eorum odit semper, ac disciplinam salutarem exhorret. Et hæreticorum Valdensium more (quorum temeratissima rusticitas Innocentij secundi temporibus, virus pestiferum admodum in ecclesiam iniecerat, quod necdum est in Bohemia consepultum) ambitionis fastu inflati, se duntaxat veros apostolorum, & ecclesiæ primitiuæ sectatores audent astruere & in eo, quod abscisi ab ecclesia vltro dissident, eius excommunicationem contra se tanquam schismaticos, æternam reputant benedictionem. Multa contra ecclesiæ Catholicæ ritum, ordinem atque authoritatem blasphemantes, quæ sequenti capitulo notabuntur, qui tamen & Græcanico ritu in plurimis abutentes, ab eis semper, & vsque modo pro hæreticis eorum habiti sunt, tenti, & reputati. Hi Christianum sanguinem, non minus hostibus crucis Christi sitiunt assidue, toto nisu conantes, vt è medio fideles quosque exterminent, vt sic nomen Ecclesiasticæ religionis, apud & inter eos abolitione prorsus interiret, nec probatione aut exemplis externis nobis opus est. Missō quidē execrabili, nulla tamen obliteratione præteribili sacrilegio, quod in dominū Isidorum Kyouiensem Metropolitam, de cōcilio Florentino missum cum collega, quodam episcopo ad se venientes, vt iuxta Florentini concilij determinationem cum Græcis, occidentali seu ecclesiæ Romanæ concorporarentur & vnirentur, commiserunt, oppugnatione rabida consentientes nequaquam, tum decretæ vnioni recens hoc de anno Domini 1500. facinus admissum vniuersorum obtutibus ante positum innotescat. Diuus ac religiosissimus princeps, dominus Alexander magnus, Lituaniæ Dux modernus, ignitus Catholicæ fidei amore zelotypo, instar Vitoldi incliti aui sui, qui prima fidei ecclesiæ fundamenta in Lituania iecerat, secum deliberans, quemadmodum in amplissimo Ducatu suo honesta quapiam ratione, ad vnitatem ecclesiæ ditionis suæ Ruthenos reduceret. Dum itaque pia, benigna ac paterna adhortatione adoriendos statueret, ipsique præsentirent propositum deuotionis suæ in eius cunctorumque sibi subiectorum, fidelium perniciem, & exterminium, rabido furore coniurati duces, & certi primores eorum, ad magnum Moschouitarum Ducem schismatis & eorum sectæ tutorem, è vestigio defecerunt. Cuius quidem filiam infectam paterno contagio, idē Deo deuotus & innocentissimus princeps suorum optimatum & armigerorum suasu, & instantia coactus, pacis & affuturæ amicitiæ fiducia, paulò antè thoro matrimonialiter sibi constituit. Sanè præfatus Dux Moschouitarum ad iniuriam sibi referens, religiosissimi principis huiusmodi propositum, gaudēs hac occasione sibi (longè antè prę-conceptam) præbitam licentiam, ad inuadenda, deturbandaque ac populanda eius dominia, & ad pacem vnionemq; Christi fidelium cōuulnerandam, mox neruis Tartaricarum gentium vicinarum obfirmatus, socer genero patentibus indictis insidijs,

Valdenses. Coronatus Innocentius Anno 1130. sedit in templo Dei 13. annos.

Circiter annū 1386.

non ante cruentum plenè saginauit affectum, donec innumera millia Christianorum, iam per suos ex Lituano dominio, iam per subinductos Tartaros ex dominijs sereniſſimi Chriſtianiſſimique domini Iohannis Alberti Poloniæ regis in perpetuam, atque infamem ſeruitutem abigeret. Hæc enim ſchiſmatis huius Ruthenici, vna eademque eſt voluntas omnium, vt aduerſus Romanam eccleſiam, & eius ritum odio fremant, inſectenturq; eam maledictis ſuis, & fideles de obedientia eius, fide, bonis, gloria, vitaque nudare, ac priuare moliuntur ſemper, nec mirum. Nam cùm non ſint de vnitate & ſocietate eccleſiæ, & per conſequens nec de regno Chriſti, aliud agere nequeunt, niſi vt adinuentionibus varijs, moleſtent Chriſti fideles & perſequantur, blaſphementque ſanctam matrem eccleſiam. Non habentes illud in proſpectu, quod ſcribit Hieronymus ſuper epiſtolam ad Titum 3. & habetur XXIIII. quæſtione III. capite. Si igitur quomodo Michael archãgelus, non fuit auſus Diabolo certæ maledictionis dignisſimo iudicium inferre blaſphemiæ, diſputans de corpore Moyſi, vt in epiſtola Iudæ apoſtoli ſcribitur, ſed dixit imperet tibi Deus. Si igitur Michael nõ fuit auſus blaſphemiæ iudicium inferre Diabolo per cuius os maledictum blaſphemiæ, ipſius exire non debuit, quomodo ipſi Rutheni blaſphemare audent ſeruos Chriſti, & eccleſiam ſuam Catholicam, quæ vnica eſt, & in duo vel plura diuidi non poteſt, quæ corpus Chriſti eſt, qui vnus & indiuiſus eſt, vt habetur 24. quæſt. 1. cap. Didicimus c. Schiſma & ſuper vnam petram ædificata eſt, vt habetur 24. quæſtione. 1. capite, loquitur Dominus. Cùm & apoſtolus cuius fingunt

fingunt ſe imitatores fieri, ad Titum 3. dicat, admone ad omne opus bonum paratos eſſe. Neminem blaſphemare. Et quia dicit, neminem, Ergo non tantùm hominem, ſed nullam creaturam Dei, vt exponit Hieronymus ibidem, & per conſequens, non eccleſiam Catholicam in qua ſola eſt Chriſti regnum. Nam dicit beatus Auguſtinus ſuper Iohannem, quod ſoli fideles Chriſtiani, ſunt regnum Chriſti, quod non colligitur, ſed emitur ſanguine Chriſti. Et in alio loco ibidem, quid eſt regnum Chriſti, niſi credentes, quod demonſtrat etiam Auguſtinus in homilia zizaniorum, vbi dicit, hi quos ſchiſmaticos communionis direpta ſocietas facit, ſpicis corruptis comparantur vel paleis ariſtarum fractis, & ereptis de ſegete, quæ non ſimiliter cum frumento intrant in promptuaria dominorum, & contra ibidem Gregorius dicit eos eſſe zizania, nec in vnum concludi ſagena eccleſiæ, in qua regnat Chriſtus, & non obſtante quod ex eodem ſemine Euangelij & nomine Chriſti procreati ſunt. Non habent tamen fidei aut eccleſiæ niſi ſolius Chriſtiani nominis ſocietatem, quamobrem hoſtes vnionis facti, pacis & veritatis, ac in diuerſorum errorum præcipitium lapſi commentis varijs, quæ monſtroſa & peſtifera hæreticorum ingenia ab initio conflauerunt, ſtatum, auctoritatem ritumque ſanctæ matris eccleſiæ deprauare non formidant, &

quæ qualiave vomant audiamus.

CAPITVLVM II. DE ERRONEIS

articulis Ruthenorum qui in hoc capitulo demonstrantur esse quadraginta, quamuis multò plures sint, quos inserere tadiosum fuit.

I.

NEgant Rutheni sanctum Petrum, verum Papam & verum Romanæ sedis antistitem & ecclesiæ militantis caput vnicum fuisse, nec accepisse plenitudinẽ auctoritatis à Christo, quod & de quolibet Romano pontifice successore eius tenent, & cõmunem eum cum alijs pontificibus esse dicunt.

II.

Negant ecclesiam Romanam caput esse ecclesiarum omnium principem rectricẽ & magistram, secundum quod scribitur dist. 23. c. Sacrosancta.

III.

Dicunt omnes obedientes ecclesiæ Romanę, veros Christianos non esse, neque saluandos, eò quòd ab ecclesia primitiua discrepent. Se verò solos esse veros Christianos asseuerant, sectatores Christi & apostolorum, & sic esse de numero saluandorum. Imò dominum papam cum ecclesia Romana dicunt hæreticum esse, de hæresi Arriana, & Catholicos omnes Arrianistas vocant, & anathematisant ipsum tempore cœnæ Domini cum suo clero, dicuntque non habere plenam potestatem ligandi & soluendi, quod sumpserunt ex sectione seu diuisione Græcorum decima ab ecclesia Romana, de qua infrà.

Dicunt

IIII.

Dicunt omnes Latinos ecclesiæ doctores nullius veritatis & efficaciæ esse, fuisseque, hinc nec aliquins eorum dicta suscipiunt, quantumcumque forent ab ecclesia susceptа & approbata, nec credunt afflatu Spiritus sancti locutos fuisse aut scripsisse, hinc nec libris aut scriptis beatorum Hieronymi, Augustini, Gregorij, Ambrosij, & ex consequenti aliorum doctorum fidem dant, & eorum auctoritatem nullo modo suscipiunt.

V.

Dicta doctorum Græcorum suscipiunt, dummodo nihil aduersus eorum errorem in eis inuenerint. Si verò quid ex eis quod aduersus sectionem & ritum eorum erroneum fieret acceperint, corrupta dicunt & vitiata esse ac fidem eis adhibere, non debere asseuerant.

VI.

Sanctos ex ecclesia & fide Catholica, Romanæ professionis & obedientiæ blasphemant, & dãnant sicut infrà patebit in septimo schismate.

VII.

Imagines operis, & artificij catholicorum horrent, & quãtum ex eis est, inhonorant, etiam si crucifixi, aut eorum Sanctorum fierent. Sui verò artificij venerantur, dummodo in synagogis eorum locatæ aut pictæ fuerint, aliàs non.

VIII.

Ecclesias catholicorum spernunt, confutant, inhonorant, ac blasphemant contra canonem Innocentij tertij de Baptismo c. Licet Græcos. Nec vllam

in eis exhibent reuerentiam sacerrimo sacramento nisi coacti, aut metu maiorum offensæ, aut simulata assentatione, & sic de eatũdem ecclesiarum consecratione, nihil tenent. Sic & de consecratione corporis Christi dicentes, in azymis ipsum cõsecrari nó posse. Eorum verò synagogas per simplices eorum sacerdotes consecrari posse dicunt, prout de facto consecrant.

IX.

Statuta Ecclesiæ dictaq; aut scripta seu Canones, & Conciliorum determinationes, ac decreta, nulla esse dicunt, etiam & de primis Concilijs dicũt, quod à septima Synodo omnia concilia nullius efficaciæ fuêre, neq; de iure Catholico, quod sine eorũ consensu agebantur & approbatione.

X.

Omnia ecclesię sacramenta profanãt & blasphemant, ridentq; & inhonorant, præcipuè sacramenta Baptismi & sacræ Eucharistiæ, eò quòd non secundum formam ritus eorum fiant.

XI.

Nullum pontificem Catholicũ habere potestatem dicunt chrisma cõsecrandi, solùm patriarcham, quem se habere iactant Constantinopoli, per quem si semel consecratum fuerit dicunt, ad annos plurimos illud efficaciam habere ad vnctionem.

XII.

Ordines, benedictiones, pontificia, sacerdotia, orationes, ieiunia, indulgentias, iubileos, & omnia ecclesiastica officia, & ea quæ auctoritate clauium dispensat ecclesia damnant, nec vllius efficaciæ dicunt esse. Similiter obedientiam ecclesiasticam auctho-

thoritatemq; rident, & sicut de indulgentijs, sic & de excommunicationibus ecclesiæ nihil tenent.

XIII.

Dicunt confirmationis Sacramentum nullum esse. Ideo nec illud accipiunt, sine quo promouent sacerdotes suos, nec habent tempora limitata ad ordines, sed passim & vno die promouẽt, & plures ordines conferunt.

XIIII.

Dicunt Sacramentum extremæ vnctionis, nullam aduersus peccati reatũ medelam cõferre posse, & B. Iacobum vnctionem intellexisse, tamẽ ad medicinam languoris corporalis.

XV.

Sicut quandoq; baptizant in acetabulo, id est, in qua acida, expressa de succo pomorũ, aut fructuum, confecta cum aqua naturali & fermento: dum aqua pro tempore caruerint, discretionem in aqua non ponentes: sic in defectu vini in eodem acetabulo sacrificant, imò execrant.

XVI.

In præparatione calicis duas aut tres guttas vini aquæ immiscent calidæ, nec vinum sentitur in aqua absumptum, & damnant ecclesiæ ritum quòd aquam frigidam ad calicis præparationem accipiant, & panem fermentatum pro sacrificio recipientes diuidunt bifariam, superiorem partem in panis medio triangulariter, in profundam excidẽtes, in corpus Christi consecrant. Reliquum panis beatæ Virginis corpus designare dicũt, & in veneratione conseruãr, in cuius panis præparatione farinã recipiunt,

In nomine Patris, fermentum mittunt in nomine Filij, calidam fundunt aquam in nomine Spiritus sancti. Item ad panis sacrificium plures panes assòciant & apponunt, vnum in nomine Mariæ, alium in nomine precursoris, alium in nomine Basilij, tandem Leonis, Heliæ, & sic consequenter singulis panibus sanctos singulos inuocatione attribuunt. Vnde & in calicibus ligneis, in locis plurimis sacrificant. Vbi pane ex pluribus, vt tactum est polentis exempto, offam quandam faciunt, & consecrant, tandem in consumptionem coclearibus ligneis, & sordidis vorant, & micas seu reliquias panniculis detergunt, eijciuntque. Sic quoque communicant, & populum coclearibus, ex calice expromendo, & in esum offerendo.

XVII.

Sumunt experientiam de calicis consecratione, tanquam dubitantes de consecratione eius. Nam antequam communicant in sacrificio, faciunt eis dari aquam calidam quam infundunt in calicem cõsecratum, vnde si vapor exalauerit, credunt verè illic esse sacramentum, tum primò communicant. Et si pars in calice relicta fuerit, seruatur, & peractis prandijs à sacerdote redeunte voratur.

XVIII.

Consecrant pro bellantibus panem similaginem, in corpus Christi, & laicis in bella procedentibus tradunt in manus, qui cùm sunt cum hoste conflicturi & iam manus conserturi, replent vas escarium aut pocularium, quod in promptu fuerit aliquo liquore, qui tunc occurrerit, & illic pane illo posito, seipsos ordine communicant. Sacar-

XIX.

Sacramentum Eucharistiæ, quod die cœnæ sacræ consecrant, illud solùm dicunt pro infirmis procurandis valere, & non aliud, quod diebus alijs consecratur, & tale ad anni decursum conseruant in calice præparato, quod vermiculosum & tabidum, infirmiori imprimunt cocleari.

XX.

Ante præparationem calicis incensis cereis, panem consecrandum cum vino, & aqua calida in calicem fusa, velut dictum est, cum reuerentia summa spectandum populo offerunt, & circunferunt, vbi populus pronus cadit veneratur & idololatrat. Et pòst in altari positum, & consecratum nemo veneratur, neque eleuatur.

XXI.

Non solùm in forma Baptismi ab ecclesia discrepant, sed etiam in materia. Quanquam vt suprà in artículo 15. dictum est & sacro Epiphaniarum die, loco fontis ecclesiastici flumina rapidè manantia, dummodo haberi poterunt, pro Baptismate infantium consecrant, instar Iordanis. Et quem puerum in mersione ibidem mori frigore, aut è manibus elabi & mergi contingat, ab Angelo raptum dicunt in cælum, neque mundum eius præsentia fuisse dignum aiunt.

XXII.

Sacerdotes eorum communiter non orant, nisi quando missæ officium suo more sint habituri, & quæ aut quales horæ eorum sunt Deus videat. Et dicunt presbytero sufficere ad conscientiæ purifica-

tionem, cum vxore cubanti & celebrare volenti, quod se fermentata aqua calida abluat, à vertice capitis ad pedum vestigia. Hanc loturam tantæ dicunt efficaciæ quanta foret confessio.

XXIII.

Si casu quis Catholicorum presbyterorum in altaribus eorum celebrauerit, mox velut execratum violant & effringunt, & dicunt quod in vno altari tantùm missa vna debet in die celebrari.

XXIIII.

Dicunt populum mereri, & magnæ indulgentiæ fieri, quotiens quis hominem Catholicum obedientiæ Romanæ interemerit.

XXV.

Dicunt suos presbyteros irregularitatem incurrere, cùm passerem, aut aliquod volatile occiderint, qui non prius regularitatem acquirunt, donec idem volatile sub ascellis gestum ab eis, totaliter computrescat. Hæc eorum est pœnitentia, quæ non esset adeò dura si Christianum hominem occiderint.

XXVI.

Falso iurare aduersus inimicum & præcipuè contra virum Romanæ professionis nõ esse peccatum dicunt. Similiter & decipere, damnificare aut fraudare eundem.

XXVII.

Sicut Sabbatum in Quadragesima, nullo modo fore ieiunandum, & peccare eos mortaliter, qui ieiunauerint. Neque Missam celebrandam in tota Quadragesima, nisi Sabbaticis diebus & Dominicis. Vnde damnant ecclesiam Romanam, celebrantem alijs diebus Quadragesimalibus præter Sabbatum & Dominicum. Et simili errore ante ieiunia suæ octo diebus solennisant. Similiter & post ieiunia, carnes vorantes quotidie ferijs sextis. Imò & in Vigilijs, si quæ tum occurrerint. Nec piscibus licere vti dicunt nisi eorum intestinis, cum ieiunia Quadragesimalia peragunt.

XXVIII.

Christi fideles peccare mortaliter dicunt, quòd barbas radant, & manducant suffocata. Et similiter damnant Christianos carnes edentes vltima Dominica antè Carnisprium, & consequenter.

XXIX.

Dicunt licitè vendi posse prælaturas, ac beneficia, aut emi. Similiter & sacros ordines, & quæ beneficia patres tenuere dicunt, filij ad eaius hæreditariam se habere.

XXX.

Dicunt viuentem hominem, mortaliter peccare non posse.

XXXI.

Dicunt fornicationem simplicem non esse peccatum mortale, similiter & vsuram.

XXXII.

Dicunt furi sufficere rationem furti sui, septem sacerdotibus repræsentari, & fateri crimen, & petere olei vnctionem ab eis. Nulla tamen post hoc pecunia, nec restitutionis debito debere onerari.

XXXIII.

Asserunt non esse purgatorium, solùm esse duo receptacula animarum, cælum & infernum.

XXXIIII.

Dicunt animam ante diem iudicij beatitudinis gloriam non habere, quod & credunt. Corpore in terra manente. Omnia hæc in concilio Florentino cassata sunt, & per Bullam Eugenij correcta.

XXXV.

Dicunt quod viuorum suffragia prosint damnatis in inferno, & non alijs.

XXXVI.

Dicunt Spiritum sanctum non procedere à persona Filij nisi solius Patris. Aliàs duo essent principia, & duæ spirationes, quod tamen sufficienter explanatum est in Concilio Florentino 1439.

XXXVII.

Diuortia faciunt in matrimonijs nulla rationabili caussa interueniente, pro sola auaritia & libitu, quæ laici simplices inter coniuges faciunt. Et dicunt quemlibet qui petit separari licere.

XXXVIII.

Dicunt secundas & tertias nuptias, ac deinceps, esse illegitimas, nec facere verum matrimonium, nec inde sequi prolem legitimam.

XXXIX.

Mortuorum tumulos, peracta sepultura iubentur singuli per sacerdotẽ, suos osculari, & post ipsam sepulturam conuiuantur, vorantes quasdam polentas ab ipsis presbyteris benedictas. Dicunt

XL.

Dicunt secularibus dominis eorum præsidibus, licere sine nota excommunicationis maioris verberare & deponere eorum patriarchas episcopos, sacerdotes cuius rei origo cœpit, vt dicetur in 10. diuisione Græcorum ab ecclesia. sunt & aliæ plures leuitates & stultitiæ eorum & errores, quos præsentibus omitto inferere. Satis hinc liquidè patere poterit, quod horrendis erroribus, si veteratores & sectatores prophanam à veritate & salutari ecclesiæ Catholicæ determinatione discrepent, secti ab vnitate fidei orthodoxæ. Vnde in simplicitate & humilitate simulata, venientibus ad apostolicam sedem, an eueſtigio credendum dispensandumque sit cum eis de plano, non defimo.

CAPITVLVM TERTIVM DE PERtinacia Ruthenorum, qui nec in obedientia, neque in iurisdictione petenda ab ecclesia, Græcos redeuntes voluerunt vnquam imitari.

ET quia in Græcorum atque Ruthenorum schismate claruit semper, & vsq; modo liquidè cernitur, inobedientiæ pertinacia maior esse in Ruthenis quàm in Græcis, qui non solùm animaduertere volunt potestatem & iurisdictionem omnem, non nisi ab ecclesiæ Catholicæ auctoritate manâre: nec aliunde consequi eam oportere. Quin potius impetium authoritatemque eius omnem nihili ducentes, à tertia Græcorum ab ecclesia sectione, seu ab Ephesina synodo hæretica diuisi cum eis ab ecclesia.

Vbi Dioscorus Alexandrinus episcopus Leonem papam primùm contumelioſis verbis afficere, & excõmunicare primus temere ausus est. Pòst in Chalcedonensi catholico concilio damnatus, nunquam deinceps vniri ecclesiæ voluerunt.

Græci duodecies defecerunt à Roma. eccles.

At verò Græci post eandem diuisionem tertiam, redire nouies perhibentur. De quorum abitione & reditionibus præsens quoque capitulum introducitur incidentaliter. Græcos itaque seu Orientales ecclesias à Romana seu Occidentali ecclesia omnium ecclesiarum matre & magistra, cui singuli quique omnium conditionum statuumque subesse & obedire, eamque sequi, venerari, ac in credendis audire tenentur, velut habetur Distin. 19. cap. in memoriam: duodecies præcidi legimus per diuersas hæreses & schismata. Ipsam tamen Romanã ecclesiam, semper in vna vera & solida fide Catholica perstitisse, perstituramque ad sæculi consummationem iuxta illud Lucæ 22. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Secundum quod & beatus Hieronymus ad Damasum papam dicit, & habentur verba eius 24. Quæstione. 1. Can. Hæc est fides. Sacra Romana ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino prouidente & beato Petro apostolo opem ferente in futuro permanebit sine vlla hæreticorum insultatione, scilicet præualente, atque firma & immobilis omni tempore persistet.

Vnde huiusmodi præcisiones eorum, post translatam imperij sedem ab vrbe Romana in Constantinopolim per Constantinum Imperatorem secutas legimus ad illam vltimam, in qua nunc obstinati persistunt, quę post Florentinum cõcilium accessit. Quibus redeuntibus, tamen minus susceptionis ab ecclesia gratioſe impendebatur semper, vt habetur 22. Distinctione. Ca. Sacrosancta. Quæ quidem Orientales ecclesiæ, principales & patriarchales fuerant quatuor: Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana. Quæ iam diutiſim, iam quandoque coniunctim se ab obedientia ecclesiæ Romanæ subtrahebant. Constantinopolitana tamen ecclesia, fiebat semper alijs occasio huiusmodi abcessionis.

4. Patriarchales ecclesiæ.

Vnde prima sectio fuit anno Domini 335. tempore Iulij papę & Cõstantini imperatoris, Constantini magni filij, Arriana hæresi plurimum infecti, qui seductus per Eusebium Antiochenum, patriarcham, & alterum Eusebium Nicomediensem episcopum, ambos sectatores Arrij hæretici: qui in Alexandria dogmatizabat. Filium in quantum Deus, minorem esse Patre. Imò potius dicebat eum creatum esse non Dominum non coæternum, nec eiusdem substantiæ cum Patre, & alia nefanda plura: multas & graues persecutiones intulit omnibus catholicis, tam Orientalibus quã occidentalibus, quosdam suffocans quosdam in exilium condemnans.

Prima diuisio Græcorũ à Romanis.

Eius igitur fauoris fiducia, idem Eusebius patriarcha Antiochenus, non quæsita papæ licentia: volens determinationem Niceni concilij in Symbolo damnare de consubstantialitate Patris & Filij: Concilium in Antiochia congregauit. Et ad illud cunctos episcopos Catholicos citari fecit. Vtpote Athanasium Alexandrinum episcopum, & patriarcham Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Anchiræ episcopum, & Lucianum Andripoli-

tem, qui Orthodoxæ fidei erant veri zelatores.

Illi verò pro eo, quod sine papæ consensu interueniente factum esset: ad tale cõciliabulum venire contempserunt. Quapropter per eum excommunicati ad Iulium papam appellârunt. Eusebius verò literis papæ de audacia temera correptus atque citatus ad reddendam de tanta præsumptione rationem, spreto mandato papæ ab obedientia sua & ecclesiæ Romanæ se subtraxit. Mox in exilio Paulum Constantinopolitanum episcopum, eius suggestu imperator clàm sub altari in Ensa ciuitate suffocari præcipiens, Eusebium Nicomediensem hæreticum transtulit in sedem Constantinopolitanam. Quæ ab eo annis duodecim, pòst à Macedonio hæresiarcha Spiritum sanctum creaturam asseuerante occupata anno vno. Tandem à tribus alijs hæreticis Eudosio Demophilo, Euagrio, annis viginti tribus residentibus, vsque ad Felicis papæ, & Theodosij Catholici imperatoris tempora subsessione tenta est & gubernata. Donec à Gregorio Nazianzeno suscepta, ab huiusmodi erroribus & schismate fuerat purgata & reunita ecclesiæ Catholicæ, ac sub obedientia Romani pontificis tenta est. Posthæc annis 45. sub quinque pontificibus Catholicis, videlicet Nectario 16. Chrysostomo 6. Arsacio 2. Achito 20. Sisinnio 1.

Secunda diuisio fuit tempore Cælestini papæ & Theodosij imperatoris iunioris, anno Domini 406. Cùm Sisinio episcopo Constantinopolitano mortuo, Nestorius presbyter Hæresiarcha occultus, de Antiochia ad illam sedem vocatus esset, qui in concionando dogmatizabat, primò: Quòd

Quòd nullus audeat beatam Virginem dicere matrem Dei sed Christi, quia non genuit Deum sed hominem, cùm Deus generari nequeat ab homine. Dicebat quoq; duas in Christo personas distinctas vnam Filij Dei, aliam Filij Virginis.

Idem dogmatizabat Spiritum sanctum, nec esse à filio, nec habere existentiam à Filio, sed à Patre solo procedere. Hunc errorem Phocius maximè plantauit in Græcis, vt infrà patebit de processione Spiritus sancti, quem vsque modo Græci errorem defendunt cum Ruthenis. Hunc Cyrillus Alexandrinus episcopus, vir Catholicus venerationis plurimæ apud Græcos, plurimis epistolis reprehendit, de tam impio errore. Detulitque eum papæ Cælestino, qui sibi mandauit vt Cyrilli scripta catholica susciperet, & corrigeret errata, & credendis, ecclesiam Romanam sequeretur. Qui tandem mandata papæ respuit, eique contempsit obedire. Et quia nulla alia orientalis ecclesia eum secuta fuerat, sed nec tota Constantinopolitana. Quia multi clerici & laici resistebant suis erratis. Idcirco durare non potuit schisma & ille error. Nam post triennium Synodus vniuersalis per papam Celestinum in Epheso celebrata est. Vbi congregatione ducentorum episcoporum eadem est hæresis reuocata. Et constitutum vt nullus aliam fidem exponeret vel doceret, quam illam quæ scripta est à sanctis Patribus 328. in Nicena synodo congregatis de qua synodo in. C. Canones. dist. 15.

Concilium Ephesinum anno 430.

Tertia diuisio fuit, generalis omnium ecclesiarũ Orientalium tempore Leonis papæ, primi & prefati Theodosij iunioris imperatoris, anno Domini

quadringẽtesimo, quadragesimo quarto: dum post mortem Cyrilli Alexandrini episcopi doctoris Catholici, & zelatoris fidei Orthodoxæ, Dioscorus sedem eius accepisset, & ecclesiam Constantinopolitanam Flauianus Catholicus episcopus tenuisset. Monachus quidam Eutyches nomine Archimandrita, id est, plurimorum monasteriorum præses, seu abbas, qui Nestorij hæresim vehementer impugnans, duas in Christo personas asseuerantis in aliam illi oppositam incidit, dogmatisando vnam tantùm in Christo naturam fuisse diuinam, & humanam absumptam esse, & in illam conuersam. Dumque Flauianus Constantinopolitanus, illum hęc palàm concionãtem redargueret, & eius pertinaciam nequiuisset moderari, vt hæreticum de ecclesia eiecit, & abstulit monasteriorum gubernationem. Qui dum appellasset petijsletq; Concilium generale, ac se iudicari super erratis ab Dioscoro Alexandrino episcopo, Leonis papæ dicti auctoritate, synodus congregata est in Epheso, & legati missi qui nomine papæ illi præsiderent, Dioscorus monachis vallatus & militibus, veniens ad synodum, cõtra papæ mandatum violenter synodali præsidentia vsurpata, cogebat omnes vt subscriptione faterẽtur Eutychetis fidem esse Catholicam.

Hæresis Eutychetis.

Quo viso legati papæ fugerunt, ne errori tali & eius temeritati cõsentirent, qui tandem Flauianum episcopum mox detinuit, & pro sententia aduersus Eutychetem lata tanquam iniusta, coniecit in carcerem, appellantemque ad papam noctu fecit iugulari. Quo quidem iugulato, archidiaconum eius nomine Anatolium suę opinionis, in episcopum Constantinopolitanum consecrauit, & Eutychetem restituit officijs & monasterijs. Similiter Antiochenum tunc episcopum restituit, & alios quatuor. Et in eius sedem quendam nomine Maximum, eque hæreticum instituit, vt sic contra papam firmaretur. Quo tempore Hierosolymitanam quoque ecclesiam administrabat Iuuenalis episcopus, & pariformiter in omnibus consentiens. Sic itaque ecclesias Orientales omnes sibi concilians, ad inobedientiam papæ prouocauit. Audiens Leo papa & gesta omnia illius synodi irrita faciens, scripsit Imperatori vt annueret aliam synodum fieri intra Italia: vt & error ipse, & Dioscori nequitia corrigeretur, qui ecclesiam perturbauit. Ille verò non solùm non annuit, sed & decreta dictæ synodi potenter defendit. Sic itaque Dioscorus ab obedientia papæ cum ecclesijs Orientalibus se subtrahẽs, omnium primus contra papam non solùm libellum famosum scripsit, caput eum putridum nuncupans; sed etiam temerá præsumptione ausus est papam excommunicare. Et ista sectio stetit toto tempore Theodosij & duravit annis septem. Nullũ enim aliud Imperator concilium voluit admittere vt in loco quopiam celebrari potuisset. Verùm dum Imperator Catholicus Martianus, Theodosio mortuo in imperium successisset, papæq; annuisset vbi vellet synodum celebrare & intercessisset pro Anatolio Constantinopolitano episcopo qui timore depositionis ad vnionem accedebat, vt suæ sessioni consentiret, papa tandem & Anatolium suscepit & confirmauit.

Papa excõmunicatur.

Et in Chalcedone ciuitate synodo sexcentorum triginta Patrum congregata, cui & Imperator in-

Synodus Chalcedonensis anno 453.

tererat, vt habetur Dist. 96. C. Nos ad fidē ecclesias ipsas ad vnionem cum eis suscepit, & Eutycheris hæresim damnauit. Et declarauit in vna persona Iesu Christi, duas esse naturas distinctas, & cōstituit beatam Virginem matrem Dei dici debere Græcè θεοτόκος. Toleratisq; tribus episcopis in ecclesijs eorū scilicet Constantinopolitano, Antiocheno, & Hierosolymitano, solùm Dioscorum Alexandrinum condemnauit, ex eo præcipuè, quòd fuerit ausus leuare contra papam excommunicationem, vt habetur Dist. 21. C. In tantum. Et exinde fuit aliqualis turbatio in Alexandrina ecclesia ex parte cleri & populi particularis, qui Dioscori partibus fauebant. Hic Leo epistolam daturus Fabiano Constantinopolitano episcopo, contra hæreses Nestorij & Eutychetis, prius eam posuit supra sepulcrum beati Petri apostoli petens errata corrigi, & quæ deficerent in ea suppleri. Die tandem quadragesima beatus Petrus illi apparens dixit: Legi & emandaui, vnde vidit in ea aliqua manu Apostoli emendata, aliqua supleta.

Petrus apostolus mortuus scripsit.

Quarta diuisio fuit per Achatium Constantinopolitanū episcopum, in Orientalibus ecclesijs concitata tempore Simplicij papæ & Zenonis imperatoris, anno Domini quadringentesimo, septuagesimo. Cui diuisioni Sectio in Alexandrina ecclesia occasionem præstitit. In qua sede vacante, Catholici suum elegerunt episcopum, nomine Timotheum Fasciolū, & hæretici suum etiā nomine Timotheum Elurum, qui dum vix anno vno viueret, substituerūt ei alterum, scilicet Petrum Mongium. Achatius tandem ingratus primùm de Petro Mōgio à papa Simplicio

plicio literis obtinuit, vt nullo modo Petri Mongij sessioni cōsentiret, sed potius authoritatem ei conferret, ad eijciendum eum de sede tanquam hæreticum. Qua concessa vsus suffragio & potestate imperatoris, Petrum Mongium eiecit, & solum Timotheum Fasciolum Catholicum in sede reliquit. Quo breui mortuo, clerus Iohannem Catholicū virum elegit in episcopum. Et quia consuetum fuerat episcopis nouiter confirmatis, papæ & patriarchis ac coepiscopis suis literas synodales mox mittere, & in eis fidem profiteri: Iohannes, facta suorum synodo, ex ea papæ literas synodales misit. Misit insuper Antiocheno & Hierosolymitano episcopis. Miserat non minus & Achacio Constantinopolitano, quæ neglectu nuncij redditæ sibi non fuerunt. Ille verò despectum huiusmodi ad iniuriam sibi referēs, cum Petro Mongio à se depositō, tunc Constantinopoli præsente conuenit: conciliatoque Imperatore voto suo Iohannem ipsum de sede repulit, & Petrū Mongium restituit. Expulit & Antiochenū episcopum & hæreticum quendam Petrum nomine in sua sede constituit, quod & fecit patriarchæ Hierosolymitano. Et sic omnes ecclesias Orientales suis fautoribus occupauit & rebelles fecit Romano pontifici. Et quamuis in tali sectione papa plures illi miserit epistolas corripuitque eum de temeritate & ille nihili duceret omnia, deposuit eum. Ille verò nihilominus Constantinopolitanam sedem imperatoris fauore & præsidio occupabat diutius. Quo deinde mortuo Flauitius in episcopum Constantinopolitanum electus, noluit nisi de approbatione papæ in sede residere. Quo vnico anno sedente Eufemia-

Mos episcoporum nouorum.

Achatius episcopus Cōstant. ecclesiam turbat.

nus electus, cum simili consensu papæ petito sedem accepit, & annis sex in ea sedit, donec ab Anastasio imperatore hæretico, qui Zenoni successerat deponeretur. Cui Macedonium substituit nequitiarum omnium sentinam, scripturarum falsificatorem. Quo deposito post annos tres Timotheus hæreticus surrogatur in sedem, qui diuinam naturam in Christo passam dicebat, & tenuit sedem annis sex. Et sic hæc scissio durauit annis 45. vsq; ad tempora Iustini imperatoris Catholici, qui succedens Anastasio, Iohannem Timotheo mortuo, in Constantinopolitana ecclesia sedere fecit, & sic ecclesiam Orientalem cum Occidentali vniuit. Quæ vnio durauit ad tempora Iustini imperatoris & Agapeti papæ.

Quinta diuisio fuit circa annum Domini quingentesimum octogesimum, tempore papæ Pelagij & imperatoris Mauritij, quæ venit ex fastu & superbia tumore cuiusdam Iohannis Constantinopolitani episcopi, qui se pro papa vniuersali gessit, & se papam vniuersalē appellari fecit. Dicebat enim quod ciuitas imperialis debet esse etiam sedes pontificis supremi. Quemadmodum Roma fuerat antè.

Iohānes papa Vniuersalis titulum vsurpat.

Vnde non ex aliqua hæresi, sed sola superbia hæc sessio prouenerat, vnde Pelagius papa corripuit eum epistolis suis, & friuolam eius rationem elisit. Similiter beatus Gregorius primus, qui Pelagio anno Domini 590. successerat, scripsit ei, & imperatori Mauricio suam superbiam redarguens, vt patet in Registro suo, & Dist. 99. ca. Nullus. & ad suppriment dam tam temeram superbiam suam, humilitatis tulum sibi apponens, se in literis omnibus seruum seruorū Dei intitulare cœpit. Quem vsq; modo sequuntur

Seruus seruorum Dei.

quuntur omnes Romani pontifices, licèt quidā putent Damasum papam hunc primū titulum assumpsisse, & ab alijs successoribus fuisse prætermissum, donec à beato Gregorio continuaretur. Hæc diuisio pauco tempore durauit, quia mortuo Iohanne successor eius in illa elatione non perstitit, sed ad ecclesiasticam vnionem accessit. Quibus temporibus fuit Artenius hæreticus episcopus Constātinopolitanus, qui dogmatizabat vnam tantum fuisse in Christo voluntatem & operationem. Quem papa Pelagius veniens Constantinopolim eiecit de sede, & sub ijsdem temporibus quinta synodus celebrata est auctoritate papæ Vigilij, imperante Iustiniano.

Quinta Synodus.

Sexta diuisio fuit, & cœpta est Sergij papæ & Heraclij imperatoris temporibus, anno Domini sexingentesimo octogesimo, & durauit annis 65. ferè vsque ad tempora Agapeti papæ & Constantini quarti imperatoris Catholici, filij Constantini tertij omnium imperatorum pessimi ex Heraclio geniti, qui papam Martinum ab vrbe Constantinopolim tractum, damnauit exilio in Cersonam, vbi loci & beatus Clemens exulabat. Quam diuisionem & scissionem fecit Sergius episcopus Cōstantinopolitanus hæreticus, qui similiter vt Artenius tenuit vnam voluntatem & operationem fuisse in Christo & pertināciter stetit sub inobedientia cum alijs sex episcopis, videlicet Piro, Paulo, Petro, Thoma, Piro, Theodoro se sequētibus hæreticis fiducia Heraclij, qui Heraclius post multa facta egregia, de quibus mētio fit in Legēda exaltationis sanctę crucis, quæ pro fide & ecclesia fecerat, lapsus erat in eundē errorē Artenij, suggestu Sergij seductus, do-

nec tempore Agapiti papæ Theodoro, in Constantinopolitana sede, Georgius vir Catholicus succesſit, & Constantino tertio imperatori, filio Heraclij deteriore patre in hæresi. Constantinus quartus filius eius princeps Catholicus succedens gessit imperium, sub quibus ecclesia iterum vnita fuit. Et sexta Synodus vniuersalis de qua distinctione 5 decima capitulo sexto Synodus, per Agathonem papam celebrata. durauit vnio quasi annis viginti tribus ad tempora Iohannis papæ sexti, tenentibus sedē Constantinopolitanam succesſiue quatuor episcopis Catholicis, Georgio, Theodoro, Paulo, Calonico. donec Titus succesſerat eidem Calonico liæreticus de errore Arteni.

Sexta Synodus.

Septima sectio cœpit à Tito Constantinopolitano episcopo hæretico, ferè totidem annis durans vt præcedens. Incipiens tempore Iohannis Papæ sexti, qui Græcus fuit, durauit ad tempora Adriani papæ primi, & Constantini imperatoris quinti, quicum Hirene matre tūc tenuit imperium. Qui Titus, cum duobus succesſoribus Iohanne & Germano sedit, sedi Romanæ inobediens annis 24. hæresim renens Artenij. Quæ quidem hæresis in succesſore Germani finem accepit. tamen alia consurrexit scilicet sub Anastasio, qui annis 24. sedit in sede Constantinopolitana ecclesiæ Romanæ inobediens, cum succesſoribus duobus, Constantio & Niceta. Vnde hæresis Iconomachorum consurrexit in destruentium & persequentium imagines. Contra quos est capitulum de Consecratione dist. 3. Venerabiles imagines. De qua hæresi fuit Anastasius cum duobus sequentibus.

Iconomachi.

Terasio

Terasio tandem episcopo Catholico Nicetæ succedenti in eccles. Constantinopolitana, qui in ea sedit An. 12. Et Imp. Constantino V. cum Hirene matre sua imperium gubernante, viro Catholico, synodus per Adrianum papam primum, in Nicea ciuitate Asiæ celebrata est, anno Domini septingentesimo septuagesimo quinto, & vnita ecclesia. Ibidem fuerat synodus illa quam tempore Constantinii imperatoris Syluester papa congregarat. Et duravit vnio ad tempora Leonis imperatoris, qui fuit Armenus genere, & Baro Michaelis imperatoris: & occiso Michaele, qui post Constantinū V. & Hirenē imperauerat, quæ filium Cōstantinū eundē exocularū, in carcerē cōiecerat, quòd eam priuarat imperio. Imperiū tyrānicè inuasit & occupauit, ac sopitā hæresim Iconomachicā à cōcilio septimo re accēdit, tēporibus Nicephori patriarchę Cōstantinopolitani, qui Terasio succesſerat, & sedit annis nouem.

Nicena synodus.

Hirene imperatrix.

Octaua diuisio circa annum Domini octingentesimum trigesimum, tempore dicti Leonis imperatoris fuit, sub tribus Patriarchis Constantinopolitanis hæreticis, Iconomachicis, scilicet Theodoro, qui sedit annis sex, & Antonio, qui sedit annis tredecim, & Iohanne, qui annis nouem.

Octaua synodus.

Qui tres nominatim anathematizati sunt, per octauam synodum, & durauit annis quasi 27. Donec Methodius vir Christianissimus in sede Constantinopolitana sedit. Sub quo totaliter defecit hæresis Iconomachica, qui annis quatuor residens ecclesiam minuit. Cui Methodio cùm Ignatius vir sanctus, & constans, miraculis succesſisset, & cùm iam sedisset annis 11. per imperatoris Michaelis, qui Leoni

in imperium succesſerat, auunculum, Vardam nomine, cognomento Ebriosum, de ſede pulſus eſt.

Qui excõmunicabat eum, quòd ſpreta legitima vxore nurũ ſuã ſuperduxerat, nec abſoluere voluit, niſi rediret ad priſtinũ cõiugium: & per violentiam fecit eligi quendã Phocium laicum ſceleſtum hominem in patriarcham Conſtantinopolitanum.

Phocius S. ſanctũ à ſolo Patre procedere docuit.

Nona diuiſio cœpit à prænominato Phocio Nicolai papæ primi, & Michaelis imperatoris temporibus, circa annum octingenteſimum quinquageſimum octauum.

Nam petẽte dicto Michaele imperatore vt papa Nicolaus Phocium ad ſedẽ Conſtantinopolitanam cõfirmaret, papaq; hortaretur, è cõtra pluribus eum literis vt Ignatium iniuſtè à ſuis inferioribus, contra Canones depoſitum reſtitueret ſedi ſuę, vt habetur 21. Diſt. C. Inferior ſedes, cum 5. capitulis ſequẽtibus. Dumq; cerneret ea in re obſtinatiorem imperatorem, Phocium depoſuit, & multas contra eum excommunicationum ſententias promulgauit.

Ipſe verò fauore & præſidio imperatoris ſedem occupabat violenter, modum & viam quærens conatu toto, quo ſe ab obedientia papæ eximeret. Et quia veteres hæreſes ſenſit ea in re nõ fore ſibi profuturas, nouam conflauit.

Nam verſuta calliditate conſtituit quaſi generale Concilium comportare, vt pertinaciter de proceſſione Spiritus ſancti Neſtorij dogma defenderet. Quod quia ſine papę auctoritate & conſenſu facere nequiuerat: ſubduxit ignotos viros, eos eſſe legatos ſimulans, nõ ſolùm Romanæ eccleſiæ, ſed etiã principalium ſedium aliarum, ſcilicet Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ. Et congregans metropolitas & epiſcopos per ſe agebat omnia. Nicolaum papam, multis criminibus accuſando, maximè quòd excommunicatus eſſet, eò quòd ad Symbolum addiderat Spiritum ſanctum & à Filio procedere, & eſſe depoſitum geſtis tertij Concilij cõtra cuius decreta fecerat. Qua pertinacia magis imbuit Græcos in hoc errore, & eos irritauit contra Latinos, qui & plures ac varios accuſatores cum teſtibus ſubduxit, vt coram Concilio contra papam acclamarent. & ſic adiudicauit contra papam vt petebatur. Et hæc

ſciſſio ſtetit annis nouem durante eodem Phocio & imperatore Michaele. Quo deinde Michaele occiſo, per Baſiliũ collegã ſuum, qui veritus ne in ebrietate furens eum aliquãdo occideret, qui etiã cariſſimos ſuos in hoc furore ſolitus fuerat occidere, eũ occidere maluit, & poſſeſſo imperio, voto papę Nicolai parens, Phocium de Cõſtantinopolitana ſede expulit, & Ignatium reuocatum in ea collocauit. Iſte ergo Phocius procurauit diuiſionem plus alijs inter Græcam, & Latinã eccleſiam occaſione proceſſionis Spiritus ſancti tantùm à Patre, & Græcos in eo ſeduxit, cum eorum ſequacibus Ruthenis. Interim papa Nicolaus moritur, & Adrianus ſecundus eligitur in papam, qui ſimiliter omnia facta contra Phocium per Nicolaum cõfirmauit. Et miſſis nihilominus legatis tribus in Græciam, Donato, Stephano epiſcopis & maximo Diacono, diſcernere cõmiſit eis inter Ignatium & Phocium. Illi cõuocato Cõcilio inuenerunt detectas fraudes, falſitates, & varias fictiões Phocij. Vnde cùm nollet fateri crimina, neque pœnitere pro tot reatibus, anathematizauerũt eum cum tota

Ebrietatis mala.

Synodo duodecim anathematibus, & expulerunt à Synodo, vnde vnita fuit ecclesia. Qui Phocius nihilominus clàm varias machinationes instruens, dolo cuiusdã à se cõfectæ, & tanquãveteris prophetiæ in vulgus emissæ, & velut sibi diuinitus reuelatæ ad intelligendum, gratiam Cæsaris adquisiuit. Sic quod post mortem Ignatij, vi quadam eum in sedem Constantinopolitanam reposuit. Ipse verò falsitate solita literas Iohannis papæ octaui super sua confirmatione, tanquam ad petita imperatoris cõfinxit & sedem occupauit, donec Stephanus papa Iohannis octaui successor eum palàm deiecit & expulit.

Decima diuisio fuit tempore Constantini sexti filij Basilij, qui Monachus dictus est. Et Leonis papæ noni, qui fuit anno millesimo quinquagesimo, quo tempore quoque fuit Michael quidam illiteratus homo & ambitiosus, patriarcha Constantinopolitanus. Cui Constantino dum Sicilia fuisset subiecta, veniensq; ad eam cum thesauris multis & gemmis, & vrbem & ecclesias eius spoliasset, missisetq; Constantinopolim ad constructionem monasterij sancti Gregorij, mox in eius egressu rebellarunt, & regem sibi constituerunt, Leoni papæ querela super tyrannica Constantini expoliatione exposita. Quo cognito Imperator dum apud papam instaret, vt eos à defectione per excommunicationem retraheret ab vna ipse quoq;, ab altera parte armis huiusmodi rebellionem se frenaturum disponeret: Papa rescribente quod id facere sibi non liceret, eò quòd iuxta querelam Siculorum occasionem solus præstitit rebellandi.

Indi-

Indignatus Imperator iudicauit papam eorum defectionis esse authorem. Et non valens se de papa quouis alio modo vindicare cum Græcia tota abeius obedientia se subtraxit. Ad quod facinus parati semper Græci extiterunt. *Græcia desicit à papa Romano.*

Constituens igitur patriarcham Constantinopolitanum vniuersalem papam facere tractatu super ea re cum Michaele patriarcha Constantinopolitano habito: ipsoque homine ambitiosissimo annuente voto suo, conuocato concilio, episcoporum omnium Orientalium, coram eis dictum Michaelem vniuersalem patriarcham orbis totius pronunciauit, & dextrauit eum super equum insidentem per hypodronium palatij, prout imperator facere papæ solitus est, ducens frenum equi sui aliaque omnia insignia papalia ei contulit. *Imperator papæ equisio.*

Mox miser stulta elatione inflatus, Romanum papam in illo conciliabulo cum omnibus occidentalis ecclesiæ episcopis ac clero vniuerso denunciauit esse depositos & excommunicatos. Quia contra Niceni concilij determinationem addiderunt symbolo, Spiritum sanctum à Filio procedere; quod Nicena eadem synodus non posuerat. Et in sequente synodo iterũ decretũ fuerat: omnẽ qui aliam fidem teneret vel doceret si foret clericus deponi: Si laici excommunicari debere. Quo facto dixit ad se iure pertinere regimẽ vniuersalis ecclesiæ cùm esset patriarcha primus post Romanũ pontificẽ nec deposi-tus nec excõmunicatus: Itaq; stulta præsidentia eius proceres milites & populus quisq; cœperunt in omnibus occurrentibus ad eũ velut ad papã recurre-re, & honorem ac reuerentiam exhibere tanquam

papæ. Audiens hoc Leo papa duriter literis exprobrabat Michaeli, redarguēs eum, & ostendens quomodo in prima synodo Nicena, cui Syluester papa & Constantinus magnus intererant, decretum fuit cum subscriptione totius synodi & Constantini, quòd summa sedes Romana à nemine iudicaretur, & vt Romano pontifici omnes sacerdotes totius orbis subditi essent vt capiti. Quod decretum synodi seu cōcilia plura approbarunt. Primò synodus Constantinopolitana prima, cui Theodosius senior interat: Ephesina prima cui Theodosius iunior filius Arcadij aderat: Chalcedonensis quæ præsentia Marciani imperatoris acta est: Constantinopolitana tertia, quæ tēpore Constantini iunioris fuit. Omnes hę cōcordi voto & subscriptione cōfirmarūt sanctā Romanā ecclesiam, & apostolicam sedē post Dominū Iesum Christum caput esse omniū ecclesiarū, hęc & alia plura illi obijciēs. Ille tamen velut temerarius nullis decretis attentus in sua pertinacia permansit, propter quod iusto Dei iudicio breui vindictā accepit.

Papæ sunt terrori imperatoribus.

Nam Constantinus imperator videns tantùm ei deferri honorem ab omnibus, vehemēter eum exaltationis suæ pœnituit. Timens quoq; ne sumpta aliqua occasione leui excommunicaret eum, & ne proceres in eius defectionem ceu excōmunicati aliquando cogeret, cùm præsertim habeatur pro papa vniuersali: arguebatq; intra se, quod si papa remotus Romanus hoc facere potuit, quid non faciet papa præsens? Vocato ergo ipso patriarcha Michaele, & alijs episcopis, sicut coram eis eum instituerat: sic & coram omnibus à cunctis dignitatibus eum deiecit, & spoliauit non solùm insignibus papalibus, & collatis

latis priuilegijs: sed & alijs quæ dudum antè patriarcha Constantinopolitanus habebat, ab alijs imperatoribus cōcessa, quo sibi audaciam omnem agendi contra se amputauit, libertates omnes adimendo.

Iustè igitur Dei iudicio factum est, vt careret prijs, qui aliena iura contra fas & ius vsurpatione inuaserat. Et exinde Græci imperatores similiter ius cœperūt, vti patriarchas & clericos omnes teneant subiugatos, quos, & quando volunt instituunt, & etiam destituunt.

Similiter Rutheni principes faciunt, & idem pessimus hominum Constātinus, volens Græcos cum Latinis in perpetuo ponere dissidio, & separatione sempiterna: fecit publicè proclamare, vt quisq; contra ecclesiam Romanam scriberet mala quę sciret & abominabilia, præmia scriptoribus pollicendo, vt sic populo Romanam ecclesiam contemptibilem redderet. Sic itaq; multi multa scripserunt fatua, ficta & nephanda, & quanto abominabiliora, tanto misero imperatori gratiora. Et sic apud eos, ac Ruthenos magis velut aduersus ecclesiam Romanam blasphemia. Vnde etiam ecclesiæ cōsuetudines omnes, quas habet Romana ecclesia, quæ non sunt apud eos, tenent pro hęresi. Sicut cōficere in azymis, comedere carnes feria secunda & tertia Carnispriuij, radere barbas & alia plura. Exinde fama in vulgus dispersa fuit, quòd Latini nonaginta nouem articulos erroneos haberent. Hinc Græci obstinatissimi fiebant, & cōtra Romanam ecclesiam sæuiebant. Quorum pertinaciam sequētes Rutheni aduersus Christicolas omnes, maledictiones, blasphemias calumniosè & mendaciter conflant, & latratibus ructuant. Et

Græci cum Rom. eccles. concertātur.

sciſſi ſemel ac diuiſi ab eccleſia Romana, nunquam redire, nec de eccleſia aliter, niſi impiè ſentire voluerunt. Et huius mali occaſio non minus etiam ſumpta eſt, poſtquam Carolus magnus, orientale imperium in occidentem tranſtulit circa annos Domini octingentos. Et hæc nephanda ſciſſio duravit, quousque Latini imperium orientale ſuſceperant circa annos Domini milleſimum ducenteſimum temporibus Innocentij tertij, Alexio filio Iſaurij Græcorum imperatoris cum patre occiſo. Quos Latinus quidam cum claſſe maxima Gallorũ & Venetorum à Venetis impetrata, promiſſione affuturæ vnionis eccleſiaſticæ procurandæ, dum Alexius Conſtantinopolim verſus educeret imperium recuperaturus, & captiuo patri auxilium prębiturus ac dimicaturus, contra germanum patris, qui eodem patre ſuo rapto & exoculato ac coniecto in carcerem imperiũ vi occupauerat. Cum quibus cõſerto bello cum occupatore imperij eum in fugam conuertit imperio reſtitutus. Vnde pro gratia Latinis reddenda homo peſtifer nitebatur primo claſſem eorum exuere: vbi præpeditus, cõſerto cum eis aperto prælio vnà cum patre occiſus eſt. Et Græcis hinc inde diſperſis, imperio Conſtantinopolitano potiti ſunt Latini annis ſo. & vnio facta eſt, de qua vnione habetur. Extra de bap. Licet Græcos.

Imperium ex oriente in occidentem redit.

Græci victi à Gallis & Venetis, imperiũ amittunt, anno 1200.

Et creatus Imperator primus comes Gallicus nomine Balduinus & patriarcha Cõſtantinopolitanus quidam Venetus. Poſt annos tandem quinquaginta Græci recuperauerũt imperium Genuenſium adiutorio de manibus Latinorum. Factusq; eſt imperator Græcus Michael Palæologus, qui miſit ad concilium

cilium Lugdunenſe per Gregorium decimum celebratum, offerens ſe velle concordare & vnire cum eccleſia Latina. De proceſſione tamen Spiritus ſancti cupiuit eruditi, ſi procedens à Filio non procedat à duobus principijs, eo quòd omnia ab vno procedunt principio.

Vnde in eodem Concilio declaratum eſt, & decretum Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio non ſicut à duobus principijs, ſed ſicut ab vno principio & non duabus Spirationibus, ſed vna, vt habetur de ſum. Trin. & fide Ca. lib. 6. cap. 1. Et hanc confeſſionem fecerunt legati Michaelis imperatoris Græcorum, & receperunt, ac reuerſi publicarunt in populis decantantes Symbolum Latinum ſcilicet in Spiritum ſanctum qui ex Patre Filioque procedit. Vnde ex hoc Symbolo Niceno nihil additur, ſed potius fit declaratio veritatis.

Symbolum Latinum accipiunt.

Et ſic quamuis eccleſia Orientalis in vnione permanebat. tamen deerant qui contradicerent vnioni, alij palàm, alij occultè. Tamen imperator multos hæreticos obſtinatos tales abbates & monachos occidi fecit, alios mergi, qui nec rationibus nec autoritatibus ſanctorum valebant à ſua pertinacia reuocari, qui etiam Ioſeph patriarcham Conſtantinopolitanum hæreticum depoſitum eiecit & priuauit ſede illa, & Iohannem dictum Vechum, hominem Catholicum in ſede collocauit, & ſub eius vita tota, duravit vnio.

Vndecima diuiſio cœpit per Andronicum filium Michaelis imperatoris, qui vnà cum patre in imperium coronatus fuit, vbi Gregorio decimo iurauerat de fidelitate fidei & obedientię Romana: patre tan-

Coronatus hic Gregorius anno 1272.

dem mortuo solus gubernauit imperium, homo pusillanimis, timidus & peruersus, qui fratrem anhelantem ad imperium & Græcorum à se defectionem ad eum, metuens, eum incarcerauit.

Et animaduertens Græcos in vnione fidei & Romanę obedientię vacillantes ac ad defectionem paratos, congregatis omnibus in ecclesia maiori sanctę Sophię Constantinopoli cõtra iuramentũ factũ ecclesiæ Romanæ palam dixit: Vobiscũ tenui semper, teneboq; fidẽ antecessorum nostrorum profitẽdo de processione Spiritus sancti à solo patre, patriq; suo defuncto maledixit voce alta, & anathematisauit eũ cũ omnib. qui fide sibi adhęrebãt. Cuius incitatione Græci reuersi ad vsitatum vomitum diuisi sunt ab ecclesia Romana, sed vindice Deo quod miser & ignarus metuebat, euenit. Namq; vecordia sua imperium penè totum amisit. Turci namq; totam sub eo minorem Asiam rapuerunt. Et citra maria dominia vastarunt, alijs quoq; ciuitatibus iam à Tartaris, iam etiam à varijs tyrannis direptis, Constantinopolim cum paucis ciuitatibus possedit. Qui nihilominus factus obstinatior, & vt aduersus Romanam ecclesiam Græcos concitatiores & pertinaciores efficeret, Iohannem Vechum patriarcham Constantinopolitanum virũ Catholicum, de sede turpiter eiecit & vnà cum alijs quos ad errorẽ suum deflectere nequiuerat cõiectum in carcerẽ fame necauit. Et Ioseph perfidum antè depositũ hæreticum in sedẽ eius substituit, quem ex eo quod pertinacissimè veritati fidei ecclesiæ Romanæ resisteret, magnam calumniam fidei appellauit. Finaliter tamen per nepotem suum constrictus, & imperio priuatus vitam miserabiliter finiuit.

Turcæ Asiã minorem vastant.

Durauit hæc iterum diuisio ad annum Domini millesimum quadringentesimum trigesimum ad Florentinum concilium, & à tempore Phocij sc. ab anno octingentesimo quinquagesimo octauo. Schisma hoc ad idem concilium stetit annis 581. vel citra, quo tempore venit ad concilium Florentinum per Eugenium papam celebratum Iohannes Palæologus, imperator Græcorum cum germano suo, & patriarcha Constantinopolitano Ioseph nomine, & multo clero ac proceribus. Qui auditis terminationibus luculentis ex varijs scripturis & præsertim doctorum eorum, Anastasij, Basilij, Cyrilli, Maximi, Dydimi, Chrysostomi quod procedat Spiritus sanctus à Patre & Filio, adquieuerunt & tandem confessionem susceperunt cum ecclesia Latina. Et sic denuo fuit vnita ecclesia Græca ad Latinam.

Schisma Græcum durat annos 581. & seq; ad annũ 1439.

Duodecima & vltima diuisio. Nam quamuis Imperator cum suis domum redijsset vnitus ecclesię, & eius dogma professus, cùm inde paucis profectus accessit. Nam etsi ordinati fuerunt doctores & prædicatores, qui hæc populo dissererent: clerici tamen eorũ & præsertim monachi à quibus populi informabantur in doctrina credendi & viuendi, pro maiori parte pertinaces existentes in errore & perfidia, aliud dogmatisabant & indurabant populum. Quapropter Dominus Deus malum hoc amplius non tolerans & ecclesiam Catholicam irrideri toties nõ sinens, post annos quatuordecim permisit in eos exterminium, vt capta Costantinopoli à Turcis, miseri impio tyranno & inimico crucis Christi curuarent, ceruices suas, qui Christi vicario

Constãtinopolis capta anno 1453.

Romano pontifici subesse voluerunt & qui Christianis Occidentalis ecclesiæ commisceri & conuiuere, mutua vnione fuerant dedignati, iustè cõmeruerunt, vt qui miserabilem mortem euaserũt cum Iudæis & infidelibus in ignominiosa seruitute vniti permaneant.

Qui Turcus nunc ecclesias Orientales omnes veraciter separauit. Sed proh dolor, homines miseri tam horrendo exterminio ferè imperterriti vsque modo permanet in sua pertinaci obstinatione; maluntq; calamitatem omnẽ perpeti, quàm ecclesiasticæ concorporari veritati, sapientia suorum maiorum prorsus fatuati, non attendentes quantam eis reuerentiam ecclesia Catholica exhibuerit, & vsq; modo exhibet. Itaque eorum sapientiæ dans honorem, & cultui iustitiæ ab eis exortę, ac recognoscens, quod Græci fidem salutarem, primùm à Paulo & Barnaba susceperunt, vt scribitur Actorum 13. à quibus ad ecclesiam Romanam deriuata est Petro & Paulo ex Græcia Romam venientibus, traditiones Græcorum certas in Missæ certis concentibus continet vsque modo. Et non mirum est, quod adeò fremant aduersus ecclesiam, desæuiantque in omnes quos sub eius obedientia cernunt consistere, quoniam à iustitia, caritate, & humilitate prorsus sunt alieni, cum omnibus sui ritus schismaticis Ruthenis. A iustitia inquam: dicit enim beatus Augustinus, & habentur verba in Canone vigesima quarta quæst. 1. cap. vbi. Quod vbi sana fides non est, non potest esse iustitia quæ scribitur Abacuc secundo, & ad Rom. 1. Iustus ex fide viuit, vbi subditur, neq; schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant. Et quod magis est de

Fides à Græcis ad Romanos deriuata.

est de quo constat, quod caret virtute verę fidei, prę-sumitur quod non caret omni vitio, & præsertim fidei opposito, scilicet perfidia. Huic ecclesiæ veram fidem profitendi, molesti sunt, & infensi & aduersi verę pietati religionis Catholicę, quę prima & summa iustitia est. Quod autem caritate careant, sola diuisione ab vnione ecclesiastica demonstratur, quæ ex odio caritati contrario procedit. Caritas namque imperat cõcordẽ fraternã vnitatẽ, quia dilectio proximi, malũ non operatur Rom. 13. & inclinat in actus omnes virtutũ omnium, quę vbi defuerit, irę & odij remanet incẽdium, nec nõ contẽtiones rixę, discordiæ, detractiones, contumeliæ, blasphemiæ, & cæteri quiq; actus vicioſi meritò succedunt, dicitur enim in quæst. & cap. quo supra. Quod si hæretici aut schismatici caritatem haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est ecclesia Catholica. Ex eadem tandem radice liquet, eos humilitate carere, quæ est ornamentum prę cipuum hominis Christiani, quia ecclesiæ suaue iugum abijciunt, & fortè detrectant, contra quos queritur Dominus in persona ecclesiæ Ierem. 2. Confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, dixisti non seruiam, scilicet constitutionibus & ordinationibus, ritui & sacramentis tuis, arguant te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Hæc ibi, & 24. 9. c. Audiuimus. Dicitur Christus non habitare in cordibus eorum qui superbię singularitatem secuti, à corporis Christi compage semetipsos abrumpunt. hinc præcisione sua laborantes, ad ecclesiæ Catholicæ detrimentum, famæ gloriæq; confusionem, semetipsos infames reddiderunt, iuxta illud Dionisij papæ 29. 7. cap. Alieni. vbi dicitur: Infames esse o-

In hæreticis non est caritas.

mnes cẽsemus, qui Christianam legem præuaricantur, aut apostolicam vel regularem postponunt auctoritatem, & ambientes superioritatis & prioritatis titulum in ecclesia, se tanquam primitiuæ ecclesię sectatores, primos & veros Christianos existimantes infimi facti sunt Christianorum omnium, iuxta illud Alexandri 2. 24. 9. 1. cap. Audiuimus. Item cùm Dominus. circa finem, liquido constat eum, qui ab integritate Catholicæ fidei recedit, maledicendi & benedicendi potestatem minimè habere. Catholicum nanque, vtpote se superiorem maledicere non valet, id est excommunicare.

APPENDIX DE ERRORIBVS MOSCHORVM.

PLura eiusmodi, quæ Sacranus Russica refutans, ex scholastica profert Theologia, existimaui per parum emolumenti, si hîc ponerentur Lectori allatura esse. Sunt enim meræ argutiæ humanæ, vel raris, vel nullis firmatæ testimonijs diuinis, quibus solis omnis redarguitur in fide error. Quamobrem ijs omissis, Petrum quoque Scargam Iesuitam Vilnensem, similia recensentem audiamus. Positis tamen in primis Græcorum rationibus, quibus suam à Romana ecclesia defectionem excusare conantur. Primùm inquit, octo capita, deinde nouem, postea sex & viginti, Gręci Russis aduersus ecclesiam Romanam edidere. Photius patriarcha Constantinopolitanus, octo conscripsit, quę Nicolaus papa ad Ignatium archimystam Renensem scripto recenset.

Primò

Primò quia Romani sabbatho ieiunant.
2. Spiritum S. à Filio quoque procedere asserunt.
3. A matrimonio abhorrent.
4. Sacerdotes confirmationem Baptismi facere non permittunt.
5. Interuallum temporis ante Quadragesimam producunt.
6. Agnum Paschalem vnà cum corpore Christi, in altari consecrant.
7. Sacerdotes illorum barbas radunt.
8. Diaconos absq; sacerdotio, episcopos faciunt.

Errores Latinorum.

Posthæc ducentis fermè interiectis annis, papæ Leonis IX. tempore, hoc etiam nouum capũt addidere. Quia ijdẽ Romani, pane azymo in Sacramento corporis Domini vtuntur. Plura deinceps alia, ira inuidiaque flagrantes commenti sunt & hæreses vocarunt. quo eò magis Russos, gentem simplicem, è quorum monumentis hæc producimus deciperent.

10. Quòd Romani pontifices in bella prodeunt.
11. Ieiunij tempore pueros, lacticinijs vesci sinũt.
12. Non contenti pictis imaginibus, sculptis etiam vtuntur.
13. Crucem digito humi factam pedibus terant.
14. Virginem Mariam Dei genitricem non vocant.
15. Ad altare mulieres admittunt.
16. Suffocatis auibus, alijsq́, cum sanguine, item ranis & vrsis vescuntur.
17. Ori baptizati, sal ingerunt, & luto ex sputo facto, aures illinunt.
18. Aqua se quotidie, ritu Iudaico aspergunt.

19. Tota manu benedicunt, signum autem crucis vno digito exprimunt.

20. Ab tempore ieiunij, vsq; ad Pascha, Halleluia non canunt.

21. Cadauera mortuorum episcoporum, aliquot hebdomadas insepulta seruant, nec illorum manus transuersim, figura crucis componunt.

22. Sacerdotes eorum, tres vno die Missas celebrant.

23. Consanguineas in matrimonium ducunt.

24. Monachi ipsorum carnes comedunt.

25. Tempore quadragesimæ sanctã crucem abscondunt, neq; flexu poplitum adorant.

26. Loco participationis Cœnæ Domini, sacerdotem sacrificantem osculantur.

Hæc Scarga cap. 12. libri 2. Polonici, anno 1577. Vilnæ excusi de vno pastore, vnitate ecclesiæ, & Græcorum ab illa secessione. Capite verò 2. partis 3. hosce errores tam Græcorum quàm Russorum enumerat.

Errata Russorum.

1. De processione Spiritus S. perperam sentiunt, æqualitati Filij cum Patre hac ratione detrahentes.

2. Datam esse à Deo ecclesiæ Rom. eam auctoritatem, vt totius mundi ecclesijs præsit, negant.

3. Nondum esse sanctos in cælis, nec dum fruitiue aspectu Dei, propterea quòd nondum resurrexerint, credunt.

4. Nullum esse purgatorium aiunt, nihilominus tamen pro mortuis orant.

5. Matrimonium voce diuina indissolubile pronuntiatum, posse per hominem solui putant. Vnus illorum aliquot vxores simul habet, Popæ, id est, sacerdotes atque episcopi, vota Deo nuncupata, ac id ipsum sacramentum disiungunt dissoluunt q;. Potentiores autẽ, tonsas monachas in matrimonium sumunt.

6. Septem tantùm Concilia esse debere, si verò vel octauum vel nonum foret, id pro anathemate habendum dicunt.

7. Corpus Christi, in pane infermentato consecrari, nefas habent.

8. In Missa, panem nondum consecratum, genibus flexis adorant: cùm autem consecratus fuerit, nullum honorem sanctiss. Christi corpori exhibẽt.

9. Et corpus & sanguinem Christi in ara, non solo Dei verbo, sed sacerdotis etiam precationibus fieri existimant.

10. Idem sacramentum, feria quarta tantùm ante Pascha consecratum, propter ægrotos, totũ annum conseruant, negantes alijs diebus idem consecrare, dariq; ijsdem licere, cùm tamdiu haud possit panis species, salua durare.

11. Popæ, id quod reliquum est corporis Christi, à fidelibus non absumti, peracto prandio templum ingressi interdum semipoti, vel nulla vel parua cum reuerentia comedunt.

12. Parui id pendunt, si vino, accedentiũ frequentia exhausto, tantum aquæ post consecrationem affundatur, vt nullus eius sapor supersit, quod vbi fit, nec sacrari, nec esse sanguis Christi potest.

13. Nec pluris faciunt cõfessionem peccatorum, nam Popæ peccatis contaminati, nulla alia confessione facta præter eam, quæ vulgo fit ab omnibus semel in anno, ad Liturgiam obeundam accedunt:

quo pacto non id solùm quod sacramento absque pœnitentia sumpto iniuria fiat, verumetiam communicantes sibi exitium attrahunt.

14. Confirmatio Baptismi nõ est illis Sacramentum, quæ etsi ad solùm pertinent apostolorum successorem episcopum, tamen eam vulgaris sacerdos peragit.

15. Extremam olei vnctionem, errore intolerando, homini mortuo adhibent, quasi soli corpori anima destituto, accommodanda sint Sacramenta.

16. Neminem, vxore carentem ad sacerdotium admittunt, nec vllam Popam, cui Popadia non sit habent. quo facto castitatem excelsam noui Testamenti virtutem contemnunt, donum Dei corrumpunt, quodque idem Deus largè nonnullis dare potest, id omnibus detrahunt, & a sacerdotali dignitate reijciunt.

17. Cleri apud eos consecratio, non fit sine pecunia. Dare enim consecrandum episcopo consecranti, aliquot florenos oportet, quod tamẽ minimè dicitur esse peccatum.

18. Negant chrysma, episcopo siue metropolitæ, præter solum patriarcham consecrare fas esse. Atverò tam longè petitum, aut in itinere perit, aut adulteratur, vel ætate consumitur. Id autem apud Catholicos, episcopus quotannis renouat, sacramentis quibusdam adhibendum.

19. Cærimonijs ritibusq; plus quàm par est confidunt. Ad hoc in imaginibus, sanctis inuocandis, alijsque ecclesiasticis rebus, multa iniquè committunt. Hæc sunt Scargæ verba paucis comprehensa, qui capite tertio ait Moschos, adeò abominati detestatique

statique ecclesiæ Romanæ homines, vt illos pro Ethnicis habeant, & si occidant, obsequium se Deo præstare, sibi persuadeant. Addit idem allegatum superioribus annis ad Lituanos, à patriarcha Constantinopolitano, quendam sacrati ordinis virum, perduci eò non potuisse, vt Valerianum episcopum Vilnensem salutaret, negans sibi suisque quidquam commercij in rebus fidei, cum hominibus Latinæ ecclesiæ, qui ipsis hæretici essent, habere licere.

Et Scarga quidem ecclesiastes, doctissimi Andreę Volani Euangelici aduersarius, ista de odio Græcorum Russorumque aduersum Romanenses, suum in Euangelicos egregiè dissimulans. quod tum re ipsa declarauit, cùm anno 1580. Lutheranos, ita esse omnibus exosos debere, suos Vilnæ doceret, vt & obuios conspuerent. Cuius rei, cùm ipsemet obtutius concionatori Euangelico factus, exemplum edit alijs imitandum, (audita refero) contusum os, ex quo sputum exierat, manu cuiusdam, id spectantis pij nobilis, homo maledicus domum retulit.

DE RVSSORVM RELIGIONE, RITIBVS NVPTIARVM, FVNERVM, VICTV, VESTITV &c.

ET

DE TARTARORVM RELIGIONE AC MORIBVS

vera & luculenta narratio,

AD

D. Dauidem Chytræum recèns scripta.

IN epistola mea, XVII. Kal. Maij ad te missa, pollicitus sum, de Russorum religione & ritibus pauca me tibi perscripturum, accipe igitur recta fronte quod mittimus, & hoc tibi persuade, fieri posse, vt verba quidem nõ satis Romana scribam. Res autem ipsas mendacij & vanitatis penitus fore expertes. Nihil enim ex alijs auditum, nihil ex aliorum libris haustum, nihilque incognitum commemorabimus, sed quidquid oculis vidimus nostris, de illo contestabimur.

Polocia deditione recuperata, Soccoliæ, Czusli, Turobla & alijs Albæ Russiæ oppidis ferro & flamma funditus euersis, Germani omnes, qui sub Christophoro Bomlstorffio militabant, dimissi sunt. Solis Borussis, in Russia manendum fuit, vt aliquo tamen

men præsidio istarum terrarum incolæ defenderentur, si quam fortè eruptionem facere vicini vellent Moschi.

Ego itaque media in barbarie hærens, amaras animi molestias ista ferè ratione semper excussi: Flaminnes Ruthenicos adij, cumq; illis per interpretem de fide & religione collocutus sum. Si verò interrogantur, an in sanctam Trinitatem credant, constantissimè quidem hoc ipsum adfirmant, si testimonia sacrarum literarum tibi dari petis, illi in libris suis quos per manus à maioribus acceperint, ita scriptũ esse aiunt. porrò si LIBROS istos videre quis auet, Psalterium prophetæ & regis Dauidis, quod ipsorũ lingua apud Ostorocenses impressum Excel. tuæ mitto, ostendunt. Nouum præterea Testamentum, apostolorum res gestas. D. Pauli epistolas omnes: Item Homilias Chrysostomi, Basilij, Gregorij Nazianzeni ex Græco conuersas & manu scriptas habent, cum preculis quibusdam ad beatam Dei genitricem & S. Nicolaum dicentis, neque tamen quare hos libros possideant, scire possum, cum diebus Dominicis puras solũmodo fabulas populo prælegant. Ista enim feria qua nos legimus Euangelion de renato ex mortuis filio viduæ Nainicæ, hospes meus, consul Deisnensis, Alexius Cæsarinus Ruthenus in suo se templo hanc lectionem audiuisse dicebat: Christum matri Mariæ obuiam factam suppliciter ab ea vnum rogasse numum. Matrem verò cùm & ipsa nihil haberet argenti filium Christum cum dolore suo dimisisse è conspectu. Vides qualibus nugis decipiant miseram plebeculam, sed nec ipsi doctores meliora sciunt, & si audiunt, cachinno quo-

Religio Russorum.

Doctrina.

dam explodunt, soli namque suam admirantur barbariem.

Archiepiscopus. Papæ Romani nomen ægrè in aures dimittunt suas, seq; Græcorũ socios in religione, & pontificis Byzantini maiestatem venerari clamant, qui quidem suum metropolitam in vrbe Moschouia habet, virum apud Ioannem Basiliadem summæ auctoritatis & existimationis, quod ex Christiano Boccortnio, magni Ducis concionatore, qui triennium in aula Moschorum cum suo principe vixit, intellexi.

Rutheni verò, qui regis nostri imperio parent, metropolitam suum Vilnæ habent, cui nomen est Anicephoro. Hunc magnifico & splendidissimo habitu indutum, senioq; & cana barba venerabilem, 20. Iunij Vilnæ sacra peragentem vidi.

Templa. Russi delubra habẽt plerumq; lignea, tecto scandulari, in summitate templi signũ Christi in crucem sublati cõspicitur. Horologijs sciotericis planè destituuntur: & tamen die Solis circiter quartam matutinam νεκροδαλπίν eorum tintinnabulis pulsans populum ad sacra vocat. Tum verò matres atq; viri, pueri innuptæq; puellę lecto valedicentes, vestem sumũt, & ad ecclesiam summa cum festinatione properãt.

Verùm enimuero pedem domo non efferunt, nisi prius genium suum dictis precibus mitigauerint. Habent autem tabellam quisque ligneam, in qua capita aliquot depicta conspiciuntur, ad hanc cum tota familia accedentes, cum gemitu & lacrymis S. Nicolaum, eiusq; in cælo commilitones pro salute domus suæ supplices deprecantur, atq; interim tanta cum deuotione pectus tundunt, vt cuiuis astanti facilè cordolium excitent. Iamq;

Iamq; penatibus placatis ad sacram ædem discedunt, cuius limina quamprimum tetigerunt, magna cum reuerentia caput telluri illidunt. Et sanè, si frons animi ianua rectè dicitur, non video quali sub fidere homines Dei numen religiosius adoraturi sint, quàm hi de quibus loquimur, si modò pro vanis fabulis verbi cælestis veritatem aliquando cognoscant. Dolendum autem magnopere est, lucem clarissimam Euangelij illis nondum pœnitus illuxisse.

Locum templi secretiorem Flamines bini occupant, hîc ara sancto Nicolao dedicata videtur cum eiusdem imagine. Auditores & populus in ambitu templi sese continet. Fœminæ verò quæ præterita nocte Veneri militârunt in penetralia sanctæ ædis non veniunt, ne locum profanent. Cæterę accedentes propius candelas cereas inflammant, & sacrificulo offerunt. Ille candida veste bombycina indutus est, caluitio & pallida facie deformis, crucem sanguinei coloris à tergo pensilem habens.

Tandem è sacrario egreditur, & thuribulum dextra tenens, tam forti odore Diabolus ex loco sancto abigit. Mox rituales libros promit, & aliquam fabellam de S. Nicolao recitat, quem illi tanquam Deum tutelarem semper colunt. Euangelij lectionem vnam nunquam hîc audiui. Interea adytũ claudi tur. Sacerdos si inter legendum aut erret, aut lingua tituber, aut vocem aliquam depressius enũcier, grauissimè propterea ab auditoribus obiurgatur qui eum & sacro loco indignum, & libros alij tradendos vnanimi voce proclamant. *Conciones.*

Lectione finita ad anticum sacrarij in quo ima-

go Nicolai asseruatur, sese conuertit, Deumque patrium multis suspirijs rogat, vt commoda Russorum & gentem sibi deditam contra hostes incolumem seruare dignetur. Orantem lamentabili vociferatione & quiritatu excipiunt non tantùm scholastici, sed omnes quotquot isto videntur in fano: subindeitemnes quotquot isto videntur in fano: subinde ite-rantes hanc vocem, *Hospody pomyloy*, hoc est, propitiare nobis ô Domine. Dum hæc aguntur, anticum sacrarij non aperitur.

Mysta autem per pseudothyrum in illud ingreditur daduchis tribus præcedētibus. Cùm in aditum ventum est sacram Cœnam verbis ab ipso Christo expressis consecrat, sed lingua tantùm patria. atque hæc fiunt in ara Nicolao sacrata.

Mox fores patent, populus verò quia certum numen in isto loco habitare existimat, egredienti sacrificio magno ciulatu occurrit, sexcenties hanc vocem decantans, *Hospody pomyloy*. Hunc clamorem & cymbalorum tinnitus mirum in modum auget.

Vt verò in toto iam facta silentia templo, sacerdos pedetentim procedens, arcana sacra toti populo commonstrat, calicemq; plumbeum, cum operculo serico in dextra, & scutellam ex eodem metallo in sinistra tenens, dum in genua procidunt auditores, ille lingua Ruthenica hæc verba proloquitur: *Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini Iesu Christi, quem Iudæi innocentem morte mulctarunt.* Tum denuo inter gemitus & suspiria muliebriter lamentantur, & tundunt pectora palmis.

Flamen illico in sacrarium regressus, in ara Nicolai sacramentum deponit, donec veniant qui communicentur, quod interdum fit sequenti die. Calicem, si vinum

vinum non habent, ex calido Medone consecrant. Panem verò azymum domi suæ pinsunt ciues, & deinde quoties cæleste illud conuiuium accedere gaudent, sacerdoti offerunt vt consecret, & cum calice distribuat.

Peractis sacris, libro ad manum resumpto Psalmum vnum vel plures demurmurat sacrificulus, crucemque ex argento puro factam omnibus exhibet osculandam, postea suam quisq; domum discedunt, & admodum rari ad vespertinas preces reuertuntur.

Polociæ autem & Vilnæ, maiori pompa & splendore rebus diuinis vacāt. Vbi supellectilem ex auro & argento copiosam habent in ecclesijs, Vilnæ triginta templa habent, omnia ferè opere lateritio structa.

Statuas nullas in templis venerantur, sed D. Nicolai & Mariæ virginis imaginibus scrupos quosdā argenteos, coralia & alias exuuias dono dederunt. Has quoque picturas, tanquam numinis aliquid habentes religiosè colunt, & quotannis in Duna fluuio bis abluunt, atq; tādem magna cum pompa pristinum reducunt ad locum.

Præterea mysticę ablutionis sacramentum in suo cœru retinent, ita tamēvt in hoc negocio per omnia ferè quàm proximè ad Romanenses accedant. Multum hîc perditur olei, operæ & vnguenti. Post longas tandem ceremonias Flamen toto congio perfundere solet infantem, ita inquiens: Baptizo te per nomen Patris, & Filij, & sancti Spiritus. A patrinis deinde more patrio vrnis aliquot tenellus pusio humectatur: & licèt hîc aspera hiems crudelissimè

sæuiat, tamen tanta gelidarum copia aquarum suam sobolem abluunt. Si quis causſam quærit, respõdent illi, à teneris assuescere multum est. Postremò Flamen infantulum iterum comprehensum blandè exosculatur, illiusque caput ad crucem, quæ templi foribus incisa est, magno impetu ter vibrat, & nisi testes baptismi ictus audiant, indignãtur propterea, neq; puerum rectè sacris initiatum credunt. Sacro finito Flamini tres panes (quos à forma pyramidali *Piracno* vocant) porriguntur cum numis aliquot argenteis, templumq; clauditur.

Sacerdotes. Sacerdotes Ruthenici proprias vxores habent, & sunt coniuges. Si quis dicit à papa matrimonium clericorum improbari, excandescũt vti rapidis cum ferrea flammis lamina Cyclopum excoquitur flagrante camino. Reditus certos & certa stipendia non accipiunt, & tamen auditorum beneficentia liberaliter aluntur. Cucullos prorsus ignorant. Caerulei coloris tunicam plerumq; duplicem habent, capillis ad humeros & pectus dependentibus appricame gaudẽt: & quo quisq; est nigrior, & adspectu amabilior, tantò maiori apud populum est indignatione. Raso præterea vertice & immissa barba gratuitatem præ se ferunt singularem. Vitę alioqui adeò impuræ & execrabilis, vt non delubris deorum, sed pistrinis molitorũ dignos adfirmare possis. Si quopiam enorme aliquod flagitium perpetrarunt, ad populum se satis arrogãter excusant, seq; deorum tres & vicarios esse aiunt, ita quidem, vt quicquid egerint, id cæli Quiritibus gratum exstitisse minimè dubitent. In tabernis publicis vinum adustum toros dies potant. Cumque iam nec mens nec pedes officium

sium faciunt, sæpe velut emortui in medijs plateis concidunt, & obdormiscunt. Germani certè milites non semel iacentes perminxerunt. Postero die cùm ad peragenda sacra in templum redeunt, non aliter coluntur à populo & amantur, quàm si nuper ex concilio immortalium deorum missi venissent legati.

Scholas semper templis adiunctas habent, in il- *Schola.*
lis triginta annorum iuuenis prima literarum rudimenta pueritiam docet. Literę ipsorum alphabeticę veteribus Græcis quàm similimæ sunt. Catechesi nulla vtuntur: sed preculas ad beatam Virginem & D. Nicolaum in libris descriptas pueris proponunt. Symbolũ tamen apostolorũ verbis quibusdã immutatis addiscunt. huic adduntur Hymni Dauidis, quos illi nocturna versantq; manu, versantq; diurna. Puer iam annorum trium & quatuor, si fortè inualetudine aliqua corripiuntur, statim Flamen aduolat, & sacramentum sub vtraque specie illis etiam exhibuit. Tum verò iussu sacerdotis seriò prouidendum est parẽtibus ne iste puer, sacra qui vsus est cœna, toto biduo oris excrementa in terram exspuat.

Ferijs esurialibus plebs miserè obnoxia est. Cũq; totus iam præterijt annus vix paucis diebus illis carnes comedere licuit.

Matrimonij contrahendi ratio talis est. Iuuenis si cui fauet puellæ propinquos treis quatuórve ablegat, qui parẽtes de elocanda virgine interpellent. hi verò vt vehementius animũ proci irritent, nihil isto de negotio cõfieri posse adfirmant, & quandã apud internuncios simulant granitatem. Sponsus tali spe frustratus, alia rẽ via aggreditur, tempusq; & occa-

sionem venandæ virginis diligentissimè obseruat. Illaverò si fortè domo paterna egreditur, ministri in insidijs collocati incautam, & nihil tale timétem in casses sponsi venatoris conijciunt: quæ simul atque defloratà fuerit, mittũtur alij ad parentes legati, qui partim culpam deprecentur; partim amoris vehementiam accusent. Tum demum parentum impetrato consensu, nuptijs dies dicitur: neque enim illis cohabitare licet nisi solennitate publica copulentur. Igitur circa horã noctis vndecimam, sponsi cum fidibus, facibus & fistulis ad delubrum deducuntur. Ante illorum aduentum, aliquot vascula, sicera, mellicrato & cereuisia plena huc aduecta sunt. Conuiuę itaque vtriusque sexus saltando, ludendo, clamando & ridendo bonam noctis obscurę partem consumunt. Interea mittuntur certi homines, qui Flaminem accersant, hi plerunque re infecta semel atque iterum discedunt, idque fit propter temulentiam deplorati sacrificuli, qui vino & somno sepultus iacet. Vulgus interim ducendis choreis occupatur. Postea moræ & absentiæ impatientes illi qui sponsum adfinitate attingunt, Flaminis poti domum effringunt, & vi abreptum ad peragẽda sacra eundem pertrahunt. Ille, dum solito vult fungi officio, nec tamen rectis pedibus consistere potest, sæpe concidit in medio templo. Exoritur igitur damnabilis risus & barbaries, vt vix opiner, Ethnicos Veneris sacra scurrilius peregisse. Accurrunt illico qui larcinem teneant, ne collabatur. Tum primò panes sibi debitos adferri iubet.

Deinde libro aperto stentorea voce aliquem Hymnum Dauidicum cantat. Postea intortam sponsi cæsa-

riem manu cõprehendens in hanc sententiam eundem affatur: Dic mihi, ô sponse, ô frater, ô amice, numquid tu huic teneræ vir esse potes? numquid eam fustibus aliquando mulctabis? numquid ægrotam, scabiosam & decrepitam derelinques? Hic sanctè iurat sponsus, se facturum viri boni officium. Ad sponsam igitur sermonem conuertens, eam quoq; interrogat, An viro ferendo sufficiat? (nam puellæ decem & vndecim annorum hîc nubunt) an rei familiaris curã agere? an cæco, curuo & decrepito marito fida velit esse comes? adfirmat illa. Mox Flamen ferto ligneo viridi vtriusque caput coronat. In circumferentia coronarum descripta sunt Ruthenicè hæc verba: *Crescite & multiplicamini.* Ille dum hæc agit, inflammantur ab omnibus cereæ candelæ, & patera medone spumãs sacrificulo traditur, eam nouis sponsis vno propinat haustu, illi simili alacritate euacuant, & viro religioso reddunt. Abiecto iam ligneo cassiculo & pedibus cõtrito, nouas instituunt choreas, hîc Flamen choragus est, cæteri longo ordine eundem insequũtur. Fœminæ etiam lupulum in templo spargunt, & linum, cum tali acclamatione: Dij nostri tutelares faciant, ne noui coniuges vllo vnquam destituantur bono. Sic tandem tumultuum finis est. Sacrificulus domum reducitur: coniugiæ sponsos comitantur, & in tali conuentione egregiè potant, & mœchantur. Viri autem qui ex coniuge fato functa masculam sobolem susceperũt, perfæpe impuberi filio sponsam quærunt, cum qua tamen illi dormiunt & liberos procreant. Nato deinde ex ephebis egresso, nouã nuptam à se cõstupratam & sobolem vnà adducit pater, ita inquiens: Vi-

des fili tuam coniugem & tuos liberos? Patris scortum, si filio placet, accipit illud, sin secus, prædam aspernatur, & de alia ducenda cogitat.

Funerum ritus.

Iam de Sepultura mortuorum quædam annotabimus. Homines rebus humanis exemptos in mensam nudos deponunt, & calidis vndis per integram horam abluunt, idque tantùm faciunt noctu. Sordibus ita abstersis, in sella mediæ domus constituunt eosdem, propterea nimirum, vt patrem familias etiam mortuum venerentur, & metuant quotquot ista degunt in habitatione. Vidi semel atque iterum, sed obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit. Funus tandem tertio die effertur, præcedunt in ordine scholastici, hi lamentabile carmen ingeminant, cuius sensus est: *Aspicite ô ciues hoc cadauer, & vobis cauete.* Nam nos omnes sic ibimus, ibitis, ibũt. Sandapilarios tres insequuntur Flamines, medius thuribulo circũ circà fumat. Existimant enim hunc odorem malis genijs ita contrarium esse vt perinde eum fugiant, ac sanctæ crucis signum. Cùm iam vẽtum est ad sepulturæ locum, Orciniana ista sponda deponitur. Fœminæ verò, quæ vt flerent, oculos erudiêre suos, magna cum lamentatione ad vrnam feralem, quę hîc aperitur accurrũt, & cadaueri oscula figunt, ita interrogãtes: Cur nostro abijsti è cõspectu ô carissime? numquid cibi & potus inopia te occidit? numquid infelicis coniugij capistro caput subtrahere voluisti? Fatere nobis, quæ te res mouere potuit, vt non tantùm suauissimam thalami consortem, & liberos dulcissimos tuos desereres, sed etiam delitijs pulcerrimi huius mundi, tuis præterea fortunis & familiaribus omnibus abrenuntiares? Sed hîc

hîc verum est illud, Surdo narratur fabula. Accedens igitur sacrificus, plorantes fœminas arcet à feretro, Deoq; manium imperat, vt ne vlla re mortuum impediat hominem, sed liberè eum abire permittat ad locum istum beatarum mẽtium, ad quem maiores ipsius iam olim præcesserint. vtque expeditius, tam longum nec satis tutum iter conficere possit, quidquid in omni vita preciosæ supellectilis habuit, illud in vrnam feralem inserunt, iamque antea domi suæ recentibus ocreis & veste noua abeuntem herum induerunt. Mortuo etiam ceruical substernunt, sicca terra refertum. Cumque iam ferale murmur Flamines absoluerunt, defuncti coniunx iterum accurrens cum eiulatu & clamore maritum ad vitam reuocat. Huius gemitum ipsi sacrifici cum cantoribus excipiunt, & sesquihoram vociferãdo perdunt: adfertur deinde, & argẽtea crux, eam capulo superimponunt, & demortuum monẽt, vt ne suam patriam in consuetudine cęlestium animorum obliuiscatur, sed pro ea apud cælites assiduè deprecetur. Rogant etiam vt ante omnes D. Nicolaum sibi cõciliet, hũc namq; Deum esse tutelarem omnium Russorum. Tandem cadauer in fossam demittitur, Flamen verò sicci pulueris tantum vrnæ superinijcit, quantũ manu tenere potest. Cæteri deinde mortuum sepeliunt. Atque ita piacularia sacra suum sortiuntur finem.

Conuiuia funebria.

Eodem die cęnam satis opiparè & apparatè instruunt, ad hanc Christiani (ita mendicos appellant) vocantur, vt nimirum tanquam ociosi pro mortuo Deos inclament. Flamines item & omnes consanguinitate propinquos inuitant. Cumq; & mihi hũc

haberent honorem lubenter ecastor eos adij, ea potissimum de caussa, vt mores eorum rectius cótemplari & obseruare possem.

Hospites osculo blandissimè excipiũt, & quemq; vt dignior est, ad mensam collocant. Sed hic ribilud ad mentem reuoces velim, Russos omnes S. Nicolaum tanquam Deum adorare, eiusq; imaginem in domibus omnium videri. Accumbentibus cõuiuis ardentem statim adferunt candelam, eamq; Nicolao consecrant, deprecantes sedulò pro salute & beatitudine amici demortui. Postea in scutella argentea triticum cum superinfuso melicrato apponunt.

Singuli ligulam sumentes, manibus defuncti rerum abundantiam, & nepotibus supellectilem copiosam vno optant ore. Mox calix vino adusto plenus obambulat, & hunc liquorem nõ aliter potant, quàm vaccæ algentes vndas, vt in prouerbio dicitur. Neq; tamen hoc ipsorum factũ certa ratione caret. Vix enim illos ob ciborum cruditatem viuere posse arbitror, si tam forti potu stomachi frigiditatẽ non propulsarẽt. Ferculis demum appositis senior inter Flamines iterum pinguia thura adolet, & lemures eijcit foràs, postea scripto crucis signo, cibo benedicit. Peregrinis hominibus elephantem honoris gratia præbibunt, illosq; si alicuius sunt dignationis & præeminentiæ, muneribus adficiunt liberaliter. Dumque omnes pro salute sui regis, pro beatitudine amici mortui, pro felicitate adfinium & cognatorum, plenis cantharis bibunt: fit ferè, vt vix duo vel tres istis ab exequijs sobrij domum discedant. Eleemosynas illi qui lautioris fortunæ sunt, die Veneris

tis distribuunt, sed exiguam tantùm gregarij panis particulam.

Porrò de vanis superstitionibus, quibus hæ gentes deditæ sunt, quid attinet dicere? Multi, serpentes in domibus familiares habent & alunt. *Aliæ superstitiones.*

Dæmonem quoque meridianum metuunt & colunt. Ille enim cùm iam maturæ resecãtur fruges, habitu viduæ lugentis ruri obambulat, operarijsq; vni vel pluribus, nisi protinus viso spectro in terram proni concidant, brachia frangit & crura. neque tamen cõtra hanc quoq; plagam remedio destituuntur. Habent enim in vicina sylua arbores religione patrum cultas, harum cortice vulneri super imposito, illud non tantùm sanant facilè, sed & dolorem loripedi eximunt.

Luem castrensem, quam nostri milites huc aduexerant, tali modo eos propulsare vidi. Funem accipiunt, eumque per foramen scamni in domo vetustioris tantisper trahunt & retrahunt, donec ignis scintillam ex arido assere eliceant: flamma conspecta, cereum in delubro vndis lustralibus perfusum accendunt. Omnes deinde qui ex hac fauilla prunas vel torrem domi conseruant, tutos fore credunt à pestifera contagione, & fit nonnunquam, vt euentus fidei respondeat.

Doloribus dorsi talem adhibẽt medicinam. Pueros illegitimos, quorum hîc ingẽs est numerus, certo ære conducunt, illorumque tergum pedibus sexcenties premũt & conculcant. Hoc medicamentum anodynum maioribus profuisse asserunt.

Magistratum de voluntate regis accipiunt. Oppidis Staroſtæ, hoc est, Capitanei imperãt, hi pro suo *Leges & iudicia.*

arbitrio leges figunt, & in plebeculam securi dominantur. Causſæ criminales ad iudicia rarò deferuntur. Qui ſe conuicia dixiſſe negat, abſoluitur. Nam palinodiam pro pœna irrogata reputant. Iuris Romani ſcrupuloſa volumina, Bartolos & Baldos frustra euoluiſti, ſi hîc eſſe voles. Statutis enim, id eſt, legibus ſcriptis vtuntur. In illis & hoc ſancitum eſt: Homicidam, niſi in ipſo facto deprehenſus ſit, quinque florenis vitam redimere poſſe. Homini autem qui alterius canem cæciderit, mulctam decem florenorum irrogandam eſſe. Fuſtuarij pœna ipſis inter præcipua tormenta eſt. Nobiles enim, ſuos agricolas, heri mancipia ſua ſi quando peccarunt, horrendum in modum fuſtibus dolant. Qui verò grauius deliquerunt, virgis ferreis lacerantur.

Gens eſt natura ad arma propenſior. Machæris, frameis, & falcatis enſibus pugnant: perſæpe etiam claua lignea, quam ſemper ad manum habent. Si rus abeunt, Coſtram in dextra tenent, arcum autem Tartaricum cum pharetra & arūdinibus venenatis lateri alligant.

Ludi. In commeſſationibus non tantùm rubri chartacea ſymbola regis lubenter tractant, ſed & ludo teſſerario gaudent. Summa autem ſolertia prælia latronum ludunt. Vt gemini inter ſe reges albusque nigerq; pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis. In hac profectò arte ita excellunt, vt haud ſciam an vlla gens cum illis comparari debeat.

Merces. Cùm pax eſt, ferarum pelles ex Moſchouia in Poloniam & Liuoniam venales aſportant. Mel, ceram, & corium magna copia peregrinis vendunt. Cæteri venando & latrocinia exercendo victum quærirant. Vndique enim denſiſſimis & inuijs nemoribus ſepti ſunt. Lupos, linces, & martes ſæpe intra ipſa oppidorum mœnia venantur. Martes quidem in ſummitatibus arborum plerumque manent, & mel ab apibus congeſtum auidiſſimè lingunt. Ruſtici igitur canes alunt veſtigatores, odoratu produnt animal inter arborum frondes abſconditum. Tum venator magno ictu arborem percutiens, martem de ſummo vertice deijcit, quem illico ἰχνευτὴς ille denique morſu necat. Κάστορες quoq; in locis paludoſis habitantes ſimili ratione decipiūt. Hoc animal, quia in extremis amnium oris commoratur, nō capitur, niſi Nouēbri & Decembri menſibus, cùm terra duriſſimo frigore riget. Fluuio igitur glacie conſtricto aduolat ruſticus cum cane odoriſequo. Κάστωρ aduenientis animū minimè ignorans effoſſos, in ripa cuniculos deſerit, & ſub glacie in algentibus vndis natat. Canis autem naribus locum ſupra caput natantis exactè prodit. Sequitur igitur venator, qui iam antè à glacie perfoſſa ad fauces fluminis rete de lino triplici factum diſpoſuit. Ad hoc cùm iam deuenit Caſtor, perrupturum ſe ſperans, occiditur fuſtibus, & extrahitur. Pellis eius apud hos populos ſummo eſt in pretio. Hanc quoq; venationē impune nunquam vidi: nam penè cæli intemperies me occidit.

Ferarum venatio.

Caſtores.

Moribus Ruſſi erga hoſpites ſunt tolerabilibus: niſi fortè eorum trullas ames. Nam inter pocula homines eſſe deſinunt.

Viri & fœminæ, ſi à fortunæ bonis firmiores ſunt, eodem ferè habitu veſtiuntur. Tunicam talarem variij coloris ex panno Britannico habent: limbis veſtium tænias ſericas, & globulos deauratos in-

Veſtitus.

tertexunt: vterque ocreis calceatus. Fœminæ vittis & mitra caput tegunt, viri cudone pileóve coloris diuersissimi. Rusticorũ filiæ ex capitibus serpentum torquem collo circumdant. Vulgus autem ex pellibus ferinis tunicas, ex cortice arborum calceos parat: Et tot hîc sunt sutores quot rustici.

Forma corporum. Natura profectò sub aspero cælo homines etiam elegantes producit. Corpora plerunque solida habent & succi plena. Neque adeò informis est sexus muliebris, si quis formarum velit esse spectator. Omnem autem decorem suum vnico potandi vitio mulieres obfuscant. In hac enim re si maritos non vincunt, certè non sunt illis inferiores.

Musica. Musicæ subtilioris ignari sunt. Panduras nulla arte tractant & tantùm tibias vtriculares in delitijs habent. In nuptijs & alijs solennitatibus persæpe ad manuum complosarum fragorem choreas ducunt.

Libri. Libros Latinos & Græcos nunquam viderunt, & tamen de religione Græcorum multa gloriantur. Ego cùm semel nouum Testamentum Tiguri Græcè impressum mecum haberem, rogaremque Flamines vt aliquam periodum legerent, illi hoc sese facturos pernegabant: sanctè affirmantes, eiusmodi typos nunquam sibi antè visos esse.

Victus. Mensæ elegantiam non magnopere curant, sed crudos cibos Deos Ægyptiorum, porrũ & cœpe auidissimè ingurgitant. Ditiores vinum & medonem, vulgus *Quastum*, hoc est, aquam bibit admixto sale vulgari, & pane mucido squarosoq; vescitur.

Ædificia. Domus Ruthenicæ ligneæ sunt, & quidem malè materiatæ. Ita tamen delipiunt, vt existiment parietem

tem cratitium lateritio præferendum esse. Cæmentia apud eos nullus ferè vsus est. Polociæ tantùm tria templa sunt, opere lateritio exstructa. Ex his tertiũ more Italico pulcerrimè expolitum nunc ibidem conspicitur. Cætera Moschorum Dux Ioannes Basilides deuastauit, cùm ante annos octodecim Polotiam deditione in suam accepit potestatem.

Pacis tempore opimos accipiunt ex agris prouentus: nec vllis ferè frugibus hominũ vtilitati seruientibus carẽt. Aues omnis generis, perdices putà, phasianos, attagenes erythrotaones summa solertia per insidias capiunt, & leui ære diuendunt. Piscium lautissimorum admirabilem copiam perennia illis suppeditant flumina, Borysthenes, Duna, Drisna, Drissa, Polotta, ex quibus innumeri lacus & ἰχθυοφορία sese effundunt. Ex cocto sale Iberico cibos condiunt. *Victus.*

Metallum quidem patrio in solo non effodiunt, & tamen auri obryci signatiq; argenti maximo desiderio tenentur, atq; hoc vitium cum cæteris mortalibus commune habent. Nummos eorum argenteos quali forma procusos ad tuam Excell. mitto: ij vno in latere Cataphracto signantur: in altero descripta sunt Ruthenicè hęc verba: Κῆς βελίκι Γέδι, hoc est, princeps magnus Ioannes. *Monetæ.*

Hæc ferè ea sunt, Dauid Chytræe, quæ in Orientaliori Russia obseruatione digna putaui, quæ quidem, vt tuæ cupiditati satisfacerem, libenter in has paginas conieci. Nec tamẽ omnia attigi, sed tantùm summa sequutus sum fastigia rerum, Apes vt tenero studens liquori libat summa thymi, aut crocum rubentem.

Armenij. De Armenijs quoque antea ad te perſcripſi, neque dubito literas tibi redditas eſſe. Hos frequentes habitare Leopoli, atq, ibidem pulcerrima templa habere, Tidemannus Giſius 7. Iunij Caunæ mihi dixit. Ego quidem, ſi aliquando officij ratione hoc ipſum licebit, Leopolim excurram, & vicinam Armeniam perluſtrabo, fuſiusque deinde omnia literis tractabo.

Tartari. Reſtat nunc vt de Tartaris perpauca ſubijciamus. Cùm verò epiſtolam ad te ſcribere decreuerim, nō eſt quod hiſtoriam expectes. Nolim namq; γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Tartarorum quidē copias minimè contemnendas regijs in caſtris perſæpe vidi, atque hi ex Præcopienſium Horda aduenerunt, ex qua nunc quoq, militem conſcripſit Stephanus Victor. Cæteri Polonis notiores ſunt Tauricenſes, Aſturcenſes, Naianenſes, Rezihorenſes, & Circaſſii. Principem Hordæ ſua lingua *Czar*, hoc eſt, Imperatorem appellant. Nobiles autem, quibus res mediocriter ſunt ſecundæ, *Cneſi*, id eſt, Principes vocantur. Tantus nimirum barbaræ gentis faſtus eſt, vt etiam titulos & magna miſeri aucupentur nomina. Religio eorum ſine dubio diuerſiſſima eſt.

Ego illorum ritus, qui regis noſtri ſceptrū agnoſcunt, breuiter attingam. Bellici ſanè tumultus eos à numinis cultu nō auocant. Nam Veneris die, cùm vix ſol ipſe nitētes ſpargere iam cœpit radios, in medio camporum æquore frequentes conuolant. Hic *Religio Tartarorum.* Papa nudo vertice & pedibus complicatis humi ſedens, ſchedulam ſiniſtra in manu tenet, in hanc deſcripta ex Alcorano paradoxa aliquot congeſſit, quæ voce clara ad circumſtantes recitat: illi ſi quando nomen Dei & Mahometis audiunt, gemitu & capitis inflexione reuerentiam ſuam declarant. Lectione finita, in ſtationem quiſque ſuam reuertuntur. Cæteri tamen, qui pacem bello, œconomiam militiæ præferunt, alijs quoq; ceremonijs occupantur. Hi vno à Vilna miliari, ad fluminis Veliæ ripas, gurguſtia aliquot & pagū amœniſſimo loco ſitum habent. Huc ego XII. Kal. Iul. cum Ioanne Gamrato Stralſundino, mercatore & ciue Vilnenſi exſpaciatus, delubrum eorum intraui. In illo certè, nec alicuius Diui, nec atri Dæmonis ſimulacrum vllum videtur. Nudi vbiq; parietes. Area tamen pictis tapetis inſtrata eſt. Die Veneri dicata ſemper ad ſacra conueniunt, ea, vti opinor, de cauſſa, vt ſignificent neq; Iudæorum ſuperſtitiones, neq; Chriſtianorum nomen & religionem ſibi probari. Delubrum nulli niſi diſcalceato ingredi licet. Campanarum boatum minimè tolerant. Papa autem, exorto ſole, in ſummitate templi exedræ inſiſtens, ſtentorea voce populum ad conciones vocat. Cumq; iam frequentes adſunt, ſumto ad manum Alcorano quem Arabicis literis ſcriptum mihi monſtrarunt, numinis colendi rationē illis exponit. Poſtea de apotheoſi Mahometis, deque illius maieſtate & præcellentia carmen agreſte decantant, & tunc comitiorum finis eſt. Si Alcoranum, vel alium quemuis librum typis editum hic videre licuiſſet, eum certè, magno vel pretio comparatum, ad te miſiſſem. In tanto autem librorum defectu nihil ſe vendere poſſe dicebant. De Deo Ieſu Chriſto & Spiritu ſancto fruſtra eos interrogabis. Veram enim pietatē ita curant, vt numerū

lupus aut torrentia flumina ripas. Non ſemel igitur

admiratus sum cùm inter Christianos habitent, cur adeò duri sint & Christianam religionẽ aspernentur, & video sanè Iesuitarum nugas, qui de conuertendis ad Romanam ecclesiam gentibus multa & grandia fabulantur, cùm nequaquam hos, qui vicinis in parietibus commorantur, à vana superstitione abducere possint. neq; tamen & hoc negare ausim esse in Scythia homines Iesu nomen adorantes, cùm dictum sit per Dauidem de voce Euangelij per Apostolos in gentes spargenda, in omnem terram exiuit amussis eorum, & in finem orbis oratio eorum. Porrò non fugit excellentiam tuam dogma Mahometarum magna ex parte Iudæorum superstitionibus & somnijs esse refertum. Tartari igitur Circumcisionem quoque retinent, sed diuersa ab Hebræis ratione. Secundo enim & tertio annis à natiuitate, prout papæ visum est, circumciduntur.

Lingua eorum à Polono idiomate tam longè abest, vt in Scythiam, illi in Sarmatiam cõmigrantes, ranæ Seriphiæ non iniuria dici queant. Quia tamen in Polonia, & Lituania, & vtraq; Russia longè lateq; disperſi sunt, plerumq; hominũ, quibuscum degunt, linguam addiscunt & callent.

Præterea illorum papa hoc mihi in sermone dixit: In multis suæ gentis regionibus, solem, ignem, malos item genios, tanquam Deos coli. Moribus feris sunt, & duri laboris patientissimi: nec etiam vna vxore cõtenti. Nam plurimas ducunt, quarum penè miranda domi est concordia. Sed prior cæteris gratior habetur & acceptabilior.

Mortuos hîc non cremant, sed defodiunt. Sponsos etiam fato functos addita dote & rebus œconomiæ

nomiæ necessarijs, matrimonio iungunt, ridiculis mehercle ceremonijs, quos alio in orbe & reuicturos, & vnà semper futuros autumant. De animabus demortuorũ ita sentiunt, eas videlicet ex vno corpore in aliud tantisper demigrare, donec præcellentem aliquam & diu quæsitam inueniant habitationem, atq; hinc magna ista mundi lumina Cæsares & viros principes enatos esse.

Victus illorum miserrimus & Cyclopicus. Nam prandentes aliquoties cum horrore aspexi. Carnes cerrè equinas ac semicoctas auidissimè deuorant. nullus illis mensarum & sediliorum est vsus. Cutes equorum iam tum fumantes, & recèns bestiæ detractas pro scamnis consessuri consternunt. Lac equarum tanquam vinum Cretense admirantur & epotant. Hi bellis, acynacibus, arcu & sagittis pugnant, bellatorum præstantia equorum omnibus facilè anteponendi.

Præcopiensium legatus XIX. Iunij Vilnam adueniens regi euangelion adferebat, de re à suis contra Moschos animosè & fortiter gesta. Quod videlicet non tantùm maximas hostis prouincias ferro flammaq; feliciter peruagati sint: sed & ad ipsa metropolis Moschouiæ mœnia penetrarint. Horũ studium voce sua rex collaudans, magnam se ipsis aliquando gratiã habiturum dicebat, si deinceps quoque magnanimo conatu in aduersam gentem arma & bellum inferant.

Iam de rebus Polonicis quales eæ nunc sunt, scribendum aliquid erit. Quia nihil enim abs te literarum tribus penè mensibus accepi, meas epistolas, quas Maio & Iulio exaratas, intercidisse video. Rex

Stephanus Victor, 29. Aprilis ex comitijs Warsauiensibus Vilnam reuersus est. VIII. autem Kal. Iun. Bogdanus Bielscius, Moschus nobilissimus, à suo principe profugus ad regem venit Vilnam, qui non tantùm humanissimè nouum & insperatum hospitem excepit, sed & muneribus adfecit liberaliter. Sunt homines qui ominis loco illius aduētum excipiant, & fore confidant, vt ex solius consilio rex plurimis in rebus adiuuetur.

Sequenti die, qui erat 26. Maij, legatos Moschicos aduentare vidimus, comitatum habentes satis splendidum. Cum illis aliquot diebus de pace tractatum est, effectum verò nihil. Conditiones à rege propositæ tales sunt: Moschus Liuoniam tradat. Impedimenta bellica & commeatum in arcibus dedipedimenta bellica & commeatum in arcibus dedimittis relinquat. Sumptus etiam duabus expeditionibus factos persoluat. Pacem perpetuam sanciat. Danorum & Suecorū reges hoc fœdere comprehendantur. Captiui λύτρῳ vel permutatione redimātur. Ipse princeps in finibus vtriusq; regni ad colloquiū se sistat. Internuncij cùm dicerent nihil horum suis in mandatis annotatū esse, intercessione procerum, decem dierum spacium impetrarunt, vt interea per veredarium principis sui mentem explorarent. Ille, quia die dicto reuersus non est, rex quidem legatos dimisit.

Ipse verò 19. Iunij, equum in gyros tortū conscendens, Vilna egressus est circiter decimam diei horam, cælo ita sereno & tam fastis hominum acclamationibus, vt dubitare nemo possit, hunc principem diuinitus Polonorum genti datum, ex hydra ista Lernæa feliciter debellata, famā reportaturum esse

esse immortalem. Equitabant in agmine variarum gentium proceres, inter quos non postremus erat legatus pontificius Ioannes Andreas Caligarius, episcopus Brittonoriēsis, qui pro confirmatione regni pecuniam papæ debitam deposcens, indulgentias simul & peccatorum remissionē largissimam attulit. Proximum ab illo locum tenebat generosus vir, Leuinus Bulouius, ab illustrissimo Marchione Brādeburgensi & Borussorū duce in legatione huc missus, qui postea Caunam reuersus, cùm ad prandium me inuitasset, amāter hoc à me petijt, vt suo nomine salutē tibi plurimā adscriberem, addens & illud: In Borussiam quidem te hoc tempore non venturū, id quod ego summo cum dolore audiui. Statueram enim salutandi gratia Regiomontē ad te excurrere.

Tidemannus quoque Gisius, I. V. D. & regis intimus Secretarius, homo omnium hominum humanissimus, & optimis literis egregiè excultus. 21. Iunij, historiam Augustanæ Confessionis tuam, ab Rittero Latina ciuitate donatam, Vilnæ mihi monstrauit. Cumque sumpto semel iterumque calamo scribere tibi vellet, neque tamen tanta & indicibili negotiorum mole oppressus, sibi ipsi satisfacere posset, inuitus quidem hoc tempore officium tuæ excellentiæ debitum intermisit, meque per Apollinem rogauit, vt hanc candidissimæ mentis suæ affectionem per epistolam tibi significarem, id quod me facturum, vti debui, ita lubenter promisi. De omnibus tamen rebus, quæ hactenus gestæ sunt, & quæ deinceps numinis auspicio gerentur, faciet te paulò pòst certiorem.

Regis nostri frater, Transyluaniæ princeps, nu-

per deceſſit, cuius obitum rex grauiter tulit, vt par eſt, metuit fortaſſis aliquam in iſtis locis mutationem, quanquam filius demortui, decem annorum puer, à ſubditis patris ſucceſſor nominatus eſt. Eodem die quo Tranſyluanorum dominus extinctus eſt, generoſiſſimus regis equus exanimis concidit & perijt, qui non procul ab arce Vilnenſi defoſſus eſt, & columnam habet ligneam.

Belli ſuſcepti moles hac æſtate Pleſcouiam tanget. Milites vndiq; huc confluunt, ille ex Germania, alter ex Calydonia, tertius ex Britannia, vt nimirum venales animas tantò citius Plutoni propinẽt. Nam vndiq; ad inferos tantundem viæ eſt.

Rex dum foris hoſtem quærit, nos domi propietate bellum gerimus. Proceres quidem Polonici, qui purioris doctrinæ profeſſoribus fauent, & partim Zuinglianos defendunt, partim Auguſtanam Confeſſionem ſequuntur: ante abitum ſuum de ineundâ concordia ſuaſerunt, certum eſſe adfirmantes, quod N. Romę nuper creatus in perniciem Lutheranorum iuramentum præſtiterit Pont. Max. Huius verò tyrannidem non adeò metuendam eſſe, ſi nos piè in religione conſentiamus. Maio igitur menſe conuenimus Vilnæ, effecimus nihil. Summam actionis adiunctæ continent paginæ. Ipſe Dei filius, vtinam glorioſiſſimo aduentu ſuo vulnera eccleſiæ citò ſanet, & beatitudinem nobis doneſempiternam. In hoc quidem ſeculo ſinceram ſperare pacem non licet. Anabaptiſtas vicinos per occaſionem erroris admonui. Horum ſuperintendentes Laurens Criſcouius, hæreſin ſe defenſurum ſcribit. cùm prodierint chartæ, habebimus ſanè quod

quod aut contemnamus, aut etiam quod auctoritate ſanctarum ſcripturarũ refutemus. Literas ipſius Criſcouij ad tuam Excellentiam tranſmitto. Iamq; Colophonis vice etiam atq; etiam vehementer te rogo, vt haſce paginas tuo iudicio emendes, ac vel legas, vel diuulges, vel abijcias, quidquid horum feceris, meo facies conſenſu. Summum Pontificem eccleſiæ, Ieſum Chriſtum, Dei ac Virginis filium, qui ſolus eſt longitudo dierum noſtrorum, toto pectore precor, vt tuam Excellentiam ſpiritu ſanctiſſimo ſuo gubernet, & diutiſſimè incolumem conſeruet, meque tuæ beneuolentiæ & amori totum trado. VIII. Kalend. Auguſt. anno. M. D. LXXXI.

EPISTOLA DE RELIGIONE ET SACRIFICIIS VETERVM BORUſſorum, Io. MELETII

Ad

GEORGIVM SABINVM.

CVm elegiam illam tuã, quam ad Petrum Bembum Cardinalem ſcripſiſti, mihi legendam exhibuiſſet Hieronymus filius meus, qui tuis ſcriptis plurimùm delectari ſolet, in qua de ſacrificio capri, & anguium cultu, quæ nonnullæ Sarmaticæ gentes faciunt, commemoras: continere me non potui, quin ea quæ de vano cultu earum gentium compeſperans, ſi earum gentiũ, ad quas fato quodam vocatus es, & in quarum vicinia vitam agis, mores &

idololatriam plenius cognoſceres. Multi enim ſuperſtitioſi ritus, idololatriciſque cultus paſſim in his regionibus adhuc occultè ſeruantur, qui tibi aduenæ nondum fortè cogniti ſunt. Itaque viſum eſt communicare tecum, quicquid de illis compertum habeo. Ac ne longiore vtar proœmio, referam primò ſacrificia, quibus olim Boruſſi, Samogitæ, Lituani, Rutheni & Liuones, coluerũt dæmonia pro dijs, atque etiam nunc multis in locis colunt occultè: deinde ſuperſtitioſos quoſdam ritus, quibus nuptiæ, funera & parentalia apud eaſdem gentes celebrantur.

Die Georgij ſacrificium facere ſolent Pergrubrio qui florum, plãtarum, omniumq; germinum Deus creditur. Huic Pergrubrio ſacrificant hoc modo. Sacrificulus, quem *Vurſchayten* appellant, tenet dextra obbam cereuiſiæ plenam, inuocatoque dæmonij nomine, decantat illius laudes: Tu (inquit) abigis hyemem, tu reducis amœnitatem veris: per te agri & horti virent, per te nemora & ſyluæ frondẽt. Hac cantilena finita, dentibus apprehendens obbam, ebibit cereuiſiam nulla adhibita manu: ipſamque obbam ita mordicus epotam retro ſupra caput iacit. Quæ cùm è terra ſublata, iterumq; impleta eſt, omnes quotquot adſunt ex ea bibunt ordine, atque in laudem Pergrubrij hymnum canunt. Poſtea epulantur tota die, & choreas ducunt.

Similiter quando iam ſegetes ſunt maturæ, ruſtici in agris ad ſacrificium congregantur, quod lingua Ruthenica *Zazinck* vocatur, id eſt, initium meſſis. Hoc ſacro peracto, vnus è multitudine electus, meſſem auſpicatur, manipulo demeſſo quem domum

mum adfert. Poſtridie omnes, primò illius domeſtici, deinde cæteri quicunq; volunt, meſſem faciunt.

Facta autem meſſe, ſolenne ſacrificium pro grãtiarum actione conficiunt, quod Ruthenica lingua *Ozinck*, id eſt, conſummatio meſſis dicitur. in hoc ſacrificio, Sudini Boruſſiæ populi, apud quos ſuccinum colligitur, capro litant, ſicut in elegia tua ad Bembum ſcribis.

Litandi verò ritus eſt talis. Congregato populi cœtu in horreo, adducitur caper, quem *Vurſchaytes* illorum ſacrificulus mactaturus, imponit victimæ vtranq; manum, inuocatque ordine dæmones, quos ipſi Deos eſſe credunt: videlicet, Occopirnum, deum cæli & terræ. Antrimpum, deum maris: Gardoæten, deum nautarum, qualis olim apud Romanos fuit Portunus. Potrympum, deum fluuiorum ac fontium. Piluitum, deum diuitiarum, quem Latini Plutum vocant. Pergrubrium, deum veris. Pargnum, deum tonitruum ac tempeſtatũ. Pocclum, deum inferni & tenebrarum. Poccollum Deum aëriorum ſpirituum. Putſcætum, deum qui ſacros lucos tuetur. Auſceutum, deum incolumitatis & ægritudinis: Marcoppolum, deum magnatum & nobilium: Barſtuccas quos Germani *Erdmenlen*, hoc eſt, ſubterraneos vocant.

His dæmonibus inuocatis, quotquot adſunt in horreo, omnes ſimul extollunt caprum, ſublimemque tenent, donec canatur hymnus, quo finito, rurſus demittunt ac ſiſtunt caprum in terram. Tum ſacrificulus admonet populum, vt ſolenne hoc ſacrificium à maioribus piè inſtitutum, ſumma cum veneratione faciant, eiusque memoriam religioſè ad

posteros conseruent. Hac conciuncula ad populum habita, ipse mactat victimam, sanguinemque patina exceptum dispergit. Carnem verò tradit mulieribus eodem in horreo coquendam. Hæ interea dum caro coquitur, parant è farina siliginea placentas, quas non imponunt in furnum, sed viri focum circumstantes, hinc illinc per ignem iaciunt absque cessatione, tãdiu quoad illæ indurescant, & coquantur. His peractis epulantur atq; helluantur tota die ac nocte vsque ad vomitum. Ebrij deinde summo mane extra villam progrediũtur, vbi reliquias epularum quæ remanserunt, certo in loco terra operiunt, ne vel à volatilibus vel à feris diripiantur. Postea dimisso cœtu, suam quisque domum repetit.

Cæterum, ex omnibus Sarmatiæ gentibus suprà nominatis, multi adhuc singulari veneratione colunt Putscætum, qui sacris arboribus & lucis præest. Is sub arbore Sambuco domicilium habere creditur. Huic passim homines superstitiosi litant pane, cereuisia, alijsque cibis sub arbore sambuco positis, precantes à Putscæto vt placatum efficiat Marcopolum, deum magnatum & nobilium, ne grauiore seruitute à dominis ipsi premantur: vtque sibi mittantur Barstuccæ, qui (vt suprà dictum est) subterranei vocantur. His enim dæmonibus in domo versantibus se fieri credunt fortunatiores: eisque colloscant vesperi in horreo super mensam mappa stratam panes, caseos, butyrum, & cereuisiam: nec dubitant de fortunarum accessione, si manè reperiant cibos illic assumtos. Et si quando intactus cibus in mensa remanet, tunc magna anguntur cura nihil non aduersi metuentes.

Eædem

Eædem gentes colunt spiritus quosdam visibiles, qui lingua Ruthenica *Colky*, Græca Coboli, Germanica *Coboldi*, vocantur. Hos spiritus credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum: nutriuntque eos lautè omni ciborum genere, eò quòd afferre soleant nutritoribus suis frumentum ex alienis horreis furto ablatum.

Cùm verò hi spiritus alicubi habitare ac nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant. In domo congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris lacte plenis imponunt varia animalium stercora. Quod vbi paterfamilias animaduerterit, nec dissipauerit segmenta, nec stercora è mulctris eiecerit sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit, tunc illi apparere & permanere dicuntur.

Præterea Lituani & Samogitæ in domibus sub fornace, vel in angulo vaporarij vbi mensa stat, serpentes fouent, quos numinis instar colentes, certo anni tempore precibus sacrificuli euocant ad mensam. Hi verò exeuntes, per mundũ linteolum conscendunt, & super mensam assident. Vbi postquam singula fercula delibarunt, rursus descendunt, seque abdunt in cauernis. Serpentibus digressis, homines læti fercula illa prægustata comedunt, ac sperant illo anno omnia prosperè sibi euentura. Quod si ad preces sacrificuli non exierint serpentes aut fercula super mensam posita non delibauerint, tum credunt se anno illo subituros magnam calamitatem.

Ad hæc eædem gentes habent inter se sortilegos, qui lingua Ruthenica *Burty* vocantur, qui Potrimpum inuocantes, ceram in aquam fundunt, atque

ex signis siue imaginibus inter fundendum figuratis, pronunciant ac vaticinantur de quibuscunque rebus interrogati fuerint. Noui ipse mulierculam, quæ cùm diu reditum absentis filij frustra expectasset: erat enim filius ex Borussia in Daniã profectus: consulit sortilegum, à quo edocta est, illum naufragio perijsse. Cera enim in aquam fusa, expressit formam fractæ nauis, & effigiem resupini hominis, iuxta nauim fluitantis.

Apud Samogitas est mons ad fluuium Nauuasam situs, in cuius vertice olim perpetuus ignis à sacerdote conseruabatur, in honorem ipsius Pargni, qui tonitruum & tempestatum potens à superstitiosa gente adhuc creditur. Hactenus de sacrificijs.

Nunc de ritibus Nuptiarum, funerum, & parentalium, narrabo non minus ridicula quàm superstitiosa. Apud Sudinos, Curonenses, Samogitas, & Lituanos, nobiles puellę multis in locis gestant tintinnabulum, quod funiculo alligatum è cingulo dependet vsque ad genua. nec ducuntur, sed rapiuntur in matrimonium, veteri Lacedæmoniorum more à Lycurgo instituto. Rapiuntur autem non ab ipso sponso, sed à duobus sponsi cognatis. Ac postquam raptæ sunt, tunc primùm requisito parentum consensu matrimonium contrahitur.

Cùm nuptiæ iam celebrantur, sponsa ducitur ter circa focũ. Deinde in sellam ibi collocatur. Sedenti super sellã, pedes lauantur. Ea verò aqua, qua sponsæ lauantur pedes, conspergitur lectus nuptialis ac tota supellex domestica: Consperguntur item hospites, qui ad nuptias inuitati sunt. Postea sponsę os oblinitur melle, & oculi teguntur velamine, velatis oculis

oculis ipsa ducitur ad omnes ædium fores, quas iubetur contingere ac pulsare dextro pede. Ad singulas fores circumspergitur tritico, siligine, auena, hordeo, pisis, fabis & papauere. Qui enim sequitur sponsam, gestat saccum plenum omni genere frugum: cumque illam circumspergit, ait, nihil horum defuturum sponsæ, si religionem piè coluerit, remque domesticam curauerit ea diligentia, qua debet. His actis, aufertur sponsæ velamẽ ab oculis, & conuiuium celebratur.

Vesperi cùm sponsa ad lectũ deducenda est, interfalkandum ei abscinduntur crines, quibus abscissis, mulieres imponunt ei sertum, niueo linteolo adornatũ, quod vxoribus gestare licet, donec filiũ peperierint. Tãdiu enim vxores pro virginibus se gerunt. Ad extremũ introducitur in cubiculũ, vbi pulsata & verberata, cõijcitur in lectũ, sponsoq; traditur. Tum pro bellatijs afferuntur testiculi caprini, vel vrsini, quibus ipso nuptiarum die commanducatis, coniuges creduntur fieri fœcundi. Hac de caussa nullum quoq; animal castratum illic ad nuptias mactatur.

In Funeribus hic seruatur ritus à rusticanis, defunctorum cadauera vestibus & calceis induuntur, & erecta locantur super sellam, cui assidentes illorum propinqui, perpotant ac helluantur, epotacereuisia, fit lamentatio funebris, quæ in lingua Ruthenica sic sonat *Ha le le, le le, y procz ty mene vmarł? ij za tij nie miel sto yesty albo pity? y procz tij vmarł? Ha le le, le le ij za tij nie miel kras ije mlodzice: ij procz tij vmarł?* Id est, Hei, hei mihi. Quare mortuus es? Num tibi deerat esca aut potus? Quare ergo mortuus es? Hei hei mihi: An non habuisti

formosam coniugem? Quare ergo mortuus es? &c. Hoc modo lamentantes enumerant ordine omnia externa illius bona, cuius mortem deplorant: nempe, liberos, oues, boues, equos, anseres, gallinas, &c. Ad quæ singula respondentes, occinunt hanc Næniam, Cur ergo mortuus es, qui hæc habebas?

Post lamentationem dantur cadaueri munuscula, nempe, mulieri fila cum acu: viro linteolum, idq; eius collo implicatur. Cùm ad sepulturam effertur cadauer, pleriq; in equis funus prosequũtur, & currum obequitant quo cadauer vehitur: eductísque gladijs, verberant auras, vociferantes, *Geygeythebegaythepeckelle.* id est, aufugite vos dæmones in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos projiciunt in sepulcrum, tanquam viatico mortuũ prosequentes. Collocant quoque panem, & lagenam cereuisiæ plenam ad caput cadaueris in sepulcrum illati, ne anima vel sitiat vel esuriat. Vxor mane & vesperi, oriente & occidente sole, super extincti coniugis sepulcrum sedens vel iacens, lamentatur diebus triginta. Cognati verò ineunt conuiuia die tertio, sexto, nono, & quadragesimo à funere. Ad quæ conuiuia animam defuncti inuitant, precantes ante ianuam. In his conuiuijs, quibus mortuo parentant, tacitè assident mensæ tanquam muti, nec vtuntur cultris. Ad mensam verò ministrant duæ mulieres, quæ hospitibus cibum apponunt, nullo etiam cultello vtentes. Singuli de vnoquoque ferculo aliquid sub mensam iaciunt, quo animam pasci credunt, eisque potum effundunt. Si quid fortè deciderit de mensa in terram, id non tollunt, sed desertis (vt ipsi loquuntur) animabus relinquũt manducandum, quæ nullos habent vel cognatos vel amicos viuentes, à quibus excipiantur conuiuio. Peracto prandio, sacrificulus surgit de mensa, ac scopis domum purgat, animasque mortuorum cum puluere eijcit, tanquam pulices, atque his precatur verbis, vt è domo recedant. *Iely, Pily ducisse: nun Wen, nun Wen:* hoc est, edistis ac bibistis animæ dilectæ, ite foras, ite foras. Post hæc incipiunt conuiuæ inter se colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt & viri vicissim mulieribus, seque mutuo osculantur.

De hac oblatione ciborum super tumulos defunctorum meminit etiam Augustinus sermone 15. de Sanctis, cuius verba hæc sunt: Miror cur apud quosdam infideles hodie tam pernicioſus error increuerit, vt super tumulos defunctorũ cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ, carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantùm requirit: Spiritus autem & anima ijs nõ indigent. Parare aliquis suis caris dicit quod ipse deuorat. Quod præstat ventri, imputat pietati, &c. Hactenus Augustinus.

Hæc, quæ de superstitioſis ritibus, & ceremonijs illarum gentium narraui, partim ipse vidi, partim ab hominibus fide dignis audiui. Tu verò, præstantissime vir, qui variarum rerum cognitione delectari solitus es, pro ea qua excellis humanitate, meum hoc qualecunque scriptum ab homine tui amantissimo profectum, boni consulas, oro.

FINIS II. TOMI
Rerum Polonicarum.

TOMVS III.

RERVM POLONICARVM, IN QVO RES PARTICVLARITER gestæ à Polonis comprehenduntur.

ILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS VIRIS, DN. NICOLAO Mieleczki, Voiuodę Podolię, Grodensi, & Nicolao Sieniauuski, Strensi præfecto, atque copiarum regni in Russia primario ductori,

IOANNES LASICIVS S.

NISI nos certa merces laborum, Christianorum caussa susceptorum, in cæteris maneret: nihil vobis, illustres viri, cæterisq; istic pacis publicæ conseruatoribus, foret infelicius. Tanta sunt vestra in Rempub. Christianam merita, me latet an iam remunerata. Hæc verò est illa maxima caritas, de qua sic inquit noster Seruator: Maiorem hac caritatem nemo habet, quàm si animã suam ponat pro amicis suis: hoc illud quod Strachus faciendum suadet, ne fratris & amici caussa pecuniæ parcamus, hoc quod Paulus scribit: Caritas non quærit quæ sua sunt: & omnia sustinet. Quæ, quanta sint, quis nõ videt? Testis rei huius est, inter alia, hæc quam ad vos mitto, VALACHICA HISTORIA: nam quid vos aliud in Valachia, tanto cum discrimine vitæ, nec absque impensis, & domesticis rebus postpositis, anno 1572. egistis, quam vt Bogdano, gentis nostræ amantissimo, in illam reducto, tutum ab illa parte a Turcis regnum Polonicum, firmissimum Germaniæ murum, redderetis? quo beneficio quod aliud maius a vobis in Rempub. proficisci potuit? Itaq; ne dubitate, veniet aliquando illud tempus, cùm, vt omnium Christo fidentium virtutes, ita vestra quoq; hæc de populo Dei merita, magnis præmijs afficientur. Nec ego valde miror, optatis, conatibusq; vestris fortunã non respondisse: cùm nemo sit hominum, cui semper secunda sint omnia. In magnis (ait Poeta) & voluisse sat est. Satis vos patriæ, satis amico dedistis afflicto. Si Deo, mundi, quem creauit, admirãdo rectori, secus visum: quid dolemus? voluntati illius quis resistet? is vt dat, ita aufert, reges, regna mutat, excitat & immittit hostes, non tamen absq; caussa: sed propter impunita scelera, idololatriam, superstitionem, pauperum oppressionem, iniurias, fraudes, furta, cædes, luxus, libidines, ebrietates. Ductus est in captiuitatem populus meus, ait vates Esaias, propterea quòd non fuerit præditus scientia: tympanum, tibia & vinum in conuiuijs illorum: opus autem Dei non respiciunt. Neq; verò vos tunc solùm præclaram patriæ operam nauastis: magna semper ab illo tempore, ex quo vos in Russia diuina cõstituit prouidentia vtriusq; vestrum, maiorumq; vestrorum, in repellenda vi Barbarorum, vigilantia, in-

dustria, fortitudo enituit: si modò alij conatus adiuuissent vestros, vel si plura persicere per iram diuinam licuisset. Vtinam autem nostri, tam crebris Scytharũ incursionibus exciti, qui mihi nihil nisi prodromi Turcarum esse videntur, de locis, quà illis accessus ad nos patet, muniendis tandem aliquando cogitarent. Vidistu, sapientissime Mieleci, in tua illa cum Comite Tarnouio & Stanislao Latalscio peregrinatione, vidisti inquam iuuenis, vt Itali Turcis, Hispani Mauris, Galli Anglis, Dani Suecis, Zelandi & Hollandis, quibusuis, cum bellum est, nauibus ad se aditum prohibeant: vt ijs in locis, quibus commodus est ad eos accessus, arces, præsidiaq; habeant: collapsa instaurent, dies & noctes excubent. Cuius rei documenta si nunc hac tua & ætate, & authoritate ad tuum Nestrum atq; Neprum, quà ferus Scytha incurrit, ederes: certè hoc inter tot tuos, quos in arcendis hostibus suscipis labores, præcipuum, idemq; immortale opus esset futurum. Ni verò id, hoste iam nobis propinquo, & incuria nostra animium audaci facto, maturè feceritis, quis mirabitur sequutam possessionis direptionẽ: qua, proh dolor, iam magna est, vbi nulla sepes fuit? Cui ducenda non dubito quin post tot calamitates, & Turcarum in Valachiam ingressum, manus sitis celeriter admoturi. Opto vobis Gedeonis fortitudinem, Samsonis vires, Dauidis felicitatem. Barcini, Kal. Octobr. 1577.

IOANNIS

IOANNIS LASICII HISTORIA DE INGRESSV POLONORVM IN VALACHIAM,

cum Bogdano Voiuoda, (cui successit Iuonia) & cade Turcarum: ducibus Mielezkio & Sieniawskio: an. M. D. LXXII.

VARIA esse gentis cuiusuis, vt virtutes, ita vitia, nemo est qui ignoret. Valachorum sanè ea est leuitas animi, & perfidia, vt maior esse nequeat. Ii paucis antè annis, ne superiora commemorem, Alexandro principe suo eiecto, quendam Iacobum Despotem, qui Rostochij Mathemata docebat, nostris quibusdam suo cum dispendio eum adiuuantibus, receperunt: quo occiso, rursus Alexandrum, postea Bogdanum admiserunt. Hoc fastidito, Iuoniæ se subiecerunt, isto Turcis prodito, ad Petrum defecerunt, quem quis diutius his regnaturum credat? Ita illud à Salomone verè dictum, vt omnia, propter improbitatem terræ, multos principes eius esse. Quamobrem haud mirũ est, proposuisse id in concilio Lucensi, anno Christi 1429. Sigismundum Hungarorum, Romanorumq; regem, (vt testis est lib. 4 Chronicorum Polonicorum noster Miecho-

uiensis)vt gens Valachica,vnà cum suis Voiuodis exterminaretur:quod nemini fida foret,furto ac præda viueret,sed Wladislaum regem Poloniæ, Vitoudo duce Lituaniæ, fratre suo,præsente, respondisse: non esse æquum vt Valachi,regni Poloniæ subiecti, exterminarentur: quorum si aliqui furto viuerent, id tamen nõ posse de omnibus dici. Licèt autem hoc tum discordia regum non fuerit factum: at nostra ætate, magnis eos cladibus affligi: tandẽ etiam diuino permissu, Turcarũ iugo subijci vidimus. Sic enim propheta Amosus, Dei nomine: Ecce, inquit, oculi Domini Iehouæ in regnum quod peccauit: disperdamq́, illud è terra. Sic & apud Ieremiam Deus ait: Ego feci terram,& dedi eã illi cui mihi visum est: dedi omnes has terras Nebuchadnesaro Babylonio seruo meo. Quis igitur miretur tot gentes, quarũ fides lubrica,iam in prouerbium abierat,in Turcicam deuenisse potestatem? nam quid Deo magis exosum, bilingui, perfido, fraudulento? Sed nos iam historiã aggrediamur,Paprocium sequuti.

Valachi, qui olim Getæ & Daci, post ab colonia Italorum,quos Wlochos vocamus, Valachi cognominati,gens misti seminis,ideoq́; ingenij varij & inquieti:cõcepto odio contra Bogdanum,suũ Voiuodam,(vox ea lingua nostra exercitus ducẽ significat) quòd Polonorum magna consuetudine sua in aula vteretur,his plurimum fidei haberet, horum benevolentiam liberalitate demereretur, vni illorũ sororẽ suam nuptũ dedisset, ipse quoq; vxoré genere Polonã ducturus esset: clàm ineunt consiliũ de alio in locum illius sublegendo. Erat tum apud Imperatorem Turcarum Iuoniã, (sic illi Ioãnem appellant) filius

filius Stephani, Voiuodæ illorũ,è cõcubina prognatus:qui anno salutiferi partus 1561. rege Sigismundo Augusto comitia Lublini agente, Ioannis Fierlei, Voiuodę Lublinẽsis, Marschalciq́;regni Poloniæ,senatoris grauissimi,minister fuit. Is Valachis visus est ad suscipiendum imperium satis idoneus. Ad hunc ergo de nouo principatu scribunt: quæ & quanta à Bogdano & Polonis perferãt mala,significãt: si citò cum aliqua Turcarũ manu veniret, prodituros se ei obuiam pollicentur: Polonosq́; vnà cum Bogdano, & Petro fratre ipsius, vinctos viuos in potestatem eius tradituros. Iuonia iamdudum cupidine dominandi flagrans, accepto tali nũtio, protinus colligit Cæsaris sui permissu, circiter viginti millia Turcarũ, Græcorum & Serborũ. Porrò Bogdanus, factus de his consilijs à quodam Valacho certior, simulq́; monitus vt profectus in Poloniam ad amicos, maturè pararet auxilia, quibus se ab iniuria tueretur, vitaret insidias: illo ipso quo hæc accepit die, (qui fuit Dominicus præcedẽs Bacchanalia anni 1572.) Valachia excedit: vbi primùm Polonis, suis familiaribus, perfidiam, insidiasq́; subiectorum suorũ aperit. Egresso è Valachia Bogdano, ingressus in eã est Ioannes, ipsius æmulus, magnis Turcarum copijs stipatus: cui obuiã primates profecti, Gabriel Logofet, Dinga dux exercitus, Craczonus eremita, Visternicus lasus, Lupulus Stroiz, cæteriq́; proditores: salutatũq́; reuerenter, lasum, vbi sedes Voiuodarũ est, deducunt. Tum verò cognouêre periuri Valachi, quàm leuia fuerint priora incommoda illis, quæ à Turcis patiebantur: nam nostri milites nihil aliud quàm pabulum in vsum equorum, ex agris, horreisque incola-

rum auferebant: at Turcæ, præter id, vxores quoq; illorum, virgines, pueros constuprabant: parentes, propinquos flagitia prohibentes pulsabant: omniaque alia arbitratu suo agebant: adeò licenter, vt illos tum pluribus incommodis vnus Turca affecerit, quàm antea triginta Poloni: nec dissimiliseorũ conditio Iuonia imperante, illi Israelitarum, Abimelecho rerum potiente, fuerit: quæ fors communis est ijs omnibus, qui excusso dominatu à Deo accepto, alium sibi pro sua libidine, nefariè accersunt. Nam & ipse Iuonia, vel ob leuissimum delictum, pœnam capitis insontes statuebat, viuos excoriabat, palis infigebat, oculis priuabat, (quæ pœna apud Valachos familiaris est) naso & auribus præcisis deformes homines reddebat: breuiter, si quis illo inuito seu racemum suæ vineæ, seu quidpiam aliud, ex quo census penditur, vendidisset: hunc ille aut occidebat, aut hamo per nares illius traducto, manibusque post tergum colligaris, tortoribus, vel, si isti non essent, Nigritis (quos Ziganos vocant) per plateas immisericorditer flagellandum objiciebat: & (quod immanius est) cæsorum cadauera, insepulta esse in foro sinebat, vt canes esu illorum saturarentur, homines aspectu obedientiores redderentur. Hac tali feritate, tantum sui metum, amoremq; (si modò in metu esse potest amor) plebi inculsit, vt illum postea non modò honorarint, horruerintq;, verùm etiam fortiter pro eo depugnauerint. Tale in illis locis, & ad Septentrionem, vulgi hominum ingenium est, vt castigatum promptiùs, quàm sua sponte officium faciat. Est in Russia nobilissimæ prosapiæ Casparus Panie Wskius, præfecti Zidaczouiensis

uiensis forma conspicua filius: huic Bogdanus suam sororem, matre id volente, bona cum dote locauit. Ipse etiam Bogdanus, Ioãnis Tarlonis, signiferi Leopoliensis, pudoris, pulcritudinisq; eximiæ filiam, ducturus in matrimonium erat: cui filiæ, matriq; eius, viro mortuo, rex Augustus tutores dedit senatores illustres, Georgium Iasslouiecium Russię, Nicolaum Mielecium Podoliæ Voiuodas: qui puellam sponso, nõ secus quàm si regia filia foret, tradituri erant. Ad hos ergo Bogdanus vbi venit, opem illorum contra infidos Valachos implorat: suum honorem tuẽdum vt suscipiãt, omnibus precibus rogat: idem petit & à militibus, finium regni custodibus. Hi itaq; omnes, rei indignitate commoti, & illud Sirachi consilium sequuti: Iniuriam (inquit) patientẽ eripe è manu iniuriam inferentis: neq; vindicando animũ paruum habeas: & eritis tanquam filij altissimi: quod & Dauid, Salomon, Ieremias, homines diuini, faciendum censuerunt: operas illi suas, ad vindicãdum ius amissum, obtulêre: miserat & ad Augustum regẽ certos homines, qui idem abs eo flagitarẽt: sed fœdus cum Turcis antiquum, auxilia ferre non siuit: tamẽ quod præstare potuit, fecit: misso ad Turcam nobili legationib. viro, Andrea Taranowskio, Bogdano vt reconciliaretur, si modò offensus ab illo esset, vtq; ejectũ in patrium principatũ restitueret, orauit. Egresso è Valachia absq; omni operæ pretio legato, cõfestim Bogdanus cum bis mille ferè, voluntarijs militibus è nobilitate conflatis, in patriam irrumpit: quos ducto Nestro flumine, voluntate omnium, Nicolao Mielecio, propter prudẽtiam & rei bellicæ sciẽtiam inter omnes summo, ducendos, regendosq; cõmit-

tit. Is sibi laboris socium & adiutorem adiungit Nicolaum Sienia Wskium, Palatini Russiæ filium, Striensem præfectum, non minùs quàm ipse, rei militaris scientia clarum: cui breui pòst, omnis ore illius militiæ cura à rege commissa est. Horum ductu ingressi in Valachiam, rei frumentariæ paulò licentiùs studere cœperunt: quare cognita, Mielecius furcam medijs in castris erigit, pœna capitis raptoribus statuta: quòd non ad hostes, sed ad suos venissent, quibus dominũ restituere conarẽtur expulsum. Habitus est ibidẽ delectus militũ, septingẽti, bello gerẽdo parũ idonei, domũ reuerti iussi, mille trecẽti relicti: pauci numero, sed animi, corporisq; virib. præstãtes. Postero die iter ingressi per syluã faginã (quæ quondã ab incolis callidè succisa, nostris pernicios a fuit) ad Prutũ amnẽ peruenêre: vnde misso Pila Wskio centurione cũ Bogdani famulis, vt Chocimo tormenta bellica adueherẽt: ad Stepano Wczum (qui locus ad eundẽ fluuiũ est), pcessêre: vbi facti de vicinis hostib. certiores: visum imperatorib. est, quò ad illos suis cũ cẽturijs, pficiscerẽtur insignis fortitudinis audacięq; viri, Stanislaus Lanczcoronskius Scalensis, Michael Iaslouiecius Chmielnicẽsis præfecti: Nicolaus Herburtus, Stanislaus Volskius, Crussielniczkius, Temrucus Pietichorensis cũ suis, & triginta Croatis. Hos Valachi cõspicati, quorũ ductor Dãbroua, Prutoceleriter traiecto, terga dedêre: ibãt ergo nostri secundum vnã ripam, hostes ex aduerso secundũ alteram: eius animi, vt sex millia virorũ quadringentos Polonos nõ fuerint adoriri ausi. Nostri, nulla re memorabili patrata, in castra reuersi, ire rursus ad excubias agendas iussi sunt: profecti, incidunt in Turcicos & Valachicos excubitores: q multis in locis ignes excitarant, vt hac ratione, quãuis mille capita nõ superarent, plures esse viderẽtur. His nostri cęlo iam albẽte visis, etsi impares, tamẽ se tenere nõ potuerunt. quin sublato clamore in illos irruerẽt: ac Turcæ, armis ꝓtinus correptis, cõclamant & ipsi: Volscianosq; atq; Croatas, qui eos inuaserãt priores, abs se propellunt. sed posteaquã Herburtus, Lanczcorõskius, Iaslouiecius, Crusielnizkius cũ tympanis excesserẽte, illico pedibus salutẽ quæsierũt: nostris fugiẽtes, veluti pecora cędẽtibus, viginti quatuor viui capti: nostri omnes salui. Croatę solùm vnius, cui effrenatus equus erat, Turca fugiens, caput acynace abstulit. Hic cùm quidã Temrukianus Scytha, Volskij cohortẽ repulsam esse ab hostẽ vidisset, inscijs omnibus, ad imperatorẽ cũ nuncio cæsorũ Polonorũ aduolat: cuj præmij loco, catenæ iniectæ, quòd vano rumore animos militũ frãgeret. Subiecti quęstionib. captiui, in proximo esse magnas suorũ copias cõfessi sunt. Quapropter centuriones, suos quisq; protinus instruunt ac ordinãt: imperatorẽ de victoria, & hoste vltra montẽ abdito, edocẽt, maioraq; auxilia rogãt Voiuoda, interrogato iuuene an nobili genere ortus esset: eoq; id aiẽte, Lesciniũq; dici, & Herburti famulũ esse, respõdet: Ergo (inqt) ea qúę refers, vera sunt: nã nihil magis nobili, quàm vt sẽper vera & cõperta dicat, curę est: accipe, ingenue adolescẽs, hoc lęti nũtij pręmiũ, quo seruus Scytha minimè dignus fuit. Lescinio munerib. affecto, & suorũ animis recreatis, præmissisq; ad illos q opẽ implorabãt, Ioãne Iordano & Cosielskio: ipse itẽ eos Voiuoda cũ reliqua manu sequitur: vbi cõuenerũt, primũ Deo, authori salutis omnium,

cædis verò hostiũ: pòst ipsis etiã, pro opera primo aggressu bene nauata, gratias egit. Interim Pila Wskius cum tormẽtis venit: quę Iacobi Iordani fidei tradita sunt. Progressi omnes ad Iasũm, animaduertũt, magna Turcarũ, Valachorũq; agmina tumulos Stepano Wcios insedisse: adhęc, Valachos cõspectis nostris, acies suas ostẽtare. Hic Mielecius, quid hostes auderent, periclitaturus: Herburtũ, Iasłouiezkium, Temrucum, eos ad præludiũ pugnæ lacere iubet. Verùm ij, animaduersis insidijs, (posuerat enim dux in occulto Czeremissios præstãtes iaculatores) prodire in aciem noluêre. Mielecius quoq;, cõsideratis hostium viribus, nec ignarus aliud resistẽdi, aliud cedẽdi tempus esse: regredi potiùs quàm temere cum paucis in Valachiam progredi, cõsilium capit: quare iubet per speciem quęri vada Pruthi, quasi Iasum iter flexurus, cùm (opinor) reditus Chocimum versus esset in animo: cur enim infinitis hostibus exiguum suorũ numerum, nulla habens certa auxilia, opponeret? Dies Iouis prima à Paschate fuit, cùm conuersi Chocimũ, sequẽtes se propè magnis agminibus habuerunt hostes. Quorũ audaciam minimè ferendã esse Voiuoda existimans, monet Herburtũ, Lanczcorõskium, & aliquot alios, vt illos suis à ceruicibus reijcerent: quod hi propter loci iniquitatẽ, & quia sol ad occasum vergebat, facere tũ detrectarũt, operã suã loco æquiore, temporeq; magis opportuno ipsi polliciti. Proin nostri procedebãt vlteriùs, hoste in cassum è decliui loco tela tormẽtis in eos iaciente, donec inter Pruth & alium fluuiolũ peruenerunt. Nocte sub armis vigilãter trãsacta, cernũt prima luce hostes id vnũ conari, quò ipsos circũuenirent, & in angustias redigerent. Sed Herburtus suã cũ centuria, quę semper extremum agmen claudebat, multitudiné hostium falcatã aggressus, in aquas compellit. Quibus actis effudit se quidam è suorũ grege Turca hastatus, more militari aliquẽ è nostris ad monomachiã prouocãs. Vix hęc effatus, aduolat à latere cũ venabulo Staniſlaus Vistẽpus, exigui quidẽ corporis, sed (vt tales sunt) pectoris impauidi: quo venabulo Turcã vno ictu trãsuerberat. Accurrũt Turcę subsidio prouocatori animam agẽti: nostri itẽ Vistẽpo triumphanti. Fit mediocre certamẽ: in quo Zebro, Polonus centuriæ Lanczcoronskianæ, occubuit. Turcæ tali viro amisso, ibãt quieti die illo, qui Veneris fuit: illis ideo sacer, vel quòd Mahometes creatus ab illis hoc ipso die rex foret: vel quia, vt à Christianis superstitione diuersi sunt, ita etiam aliud colendi Dei tempus, aliumq; modum habẽt. Nos enim ad orientem solem, patriæ orientalis, è qua Adam eiectus est, memores: illi, ad meridiẽ cõuersi, Deum hac die adorãt. Postera luce, nostros Chocimũ tendẽtes magna phalanx Turcarũ insequuta est: vbi rursum alius Staniſlaum Ciolcum, armis habituq;, qui luteus erat, inter cæteros fulgẽtem, ad singularem pugnam euocat. His auditis, currit ad Voiuodã Ciolcus, ac vt ipsum in sui honorem, tãto cum viro hasta certare permittat, etiam atq; etiã orat, obsecrat. Cui is: Ego verò (inquit) nõ sinam vt quisquam vestrum, qui diuitiores habemini, tali barbarico certamine, periculo se exponat. Ere magis vestra futurũ, si iunctis animis, dextrisq; hostẽ, vbi necesse erit, aggrediamini. Dolenter hæc Ciolcus tulit: Hoste in prouocatione perstãte, & lingua Sclauonica, veste, pennisq; nitentẽ prouocante,

obsecrat prouocatus, vt, si hoc sibi nõ liceret, saltem quispiam suorum famulorum cum barbaro in arenam descenderet: ne impune Christianis insultare videretur. Data facultate, statim contra illum cum hasta prorui Paulus Chauzowkius: nec id segnius Turca fecit: sed vterq; cursu irrito. Tum Paulus, manu promptus iuuenis, districtum subitò ensem frõti hostis infigit: adhæc vulneratum, ferrum hærens extrahentem, brachijs corripit. Visa longiuscula luctatione, decurrunt ad commilitonem Stanislaus Visga, & Stanislaus Niegoczkius: hic, Ba Woro Wskij, ille Herburti minister. Turca manib. Pauli elapsus, recipit se ad suos: qui subitò, lethali cognito vulnere, cõplures adorti illos tres, egregiè se à vi magna defendentes, vndiq; petunt. Laborantib. subueniunt suis cum turmis Herburtus & Volskius: fit cedes magno strepitu, sospitat Christus prælium Christianis, barbari in fugam vertuntur: quos ij cedentes acriter persequuntur. Exclamant imperatores, fine persequendi facto, pedem referrent, & ad signa redirent: clamitant & centuriones, inhibentq; frustra: adeò iam animi victorũ incaluerant, vt reuocari ab incepto nõ potuerint. Quod cernentes alij centuriones, nõ multis in castris relictis, pugnãtibus animos suo aduẽtu addidẽre. Tum verò omnes simul multo fortiũs hosti numeroso instare, cæsim pũctim ferire, donec illos ad ipsa statiua Valachica cõpulerũt. Prouecti calore pugnãdi vltra tubicines & tympanotribas, animaduertũt se nimiũ procul à suis abscessisse: quapropter coacti in vnũ ad eos redeũt. Res mira, nec alij quã Deo, suorũ pilos numeratos habẽti, adscribẽda, quòd eousq; pugnãdo progressi, nec circũdati ab hostibus essent, nec in cõflictu acerrimo plures vnico, qui fuit Volskij, ceciderint. Reuersos palàm obiurgabat imperator Mielecius, tacitè laudabat fortitudinem, quod præter suum iussum, rem summi periculi pauci tentassent. Nos verò, respõdent, collegæ tui permissu id fecimus: quidni enim, Deo conatus secundãte nostros, hostẽ fugientẽ persequeremur? Loco quodã cœnoso superato, qui haud procul Chocimo aberat, Turcæ nostros ea cum vociferatione assequuntur, vt viuos deuoraturi viderẽtur. Stanislai verò Czureli centuria maximè petebatur: ad quos conuertente se Czurelo, procurrit cũ malleo acuto Mielecij minister Radeczkius, bellandi cum Turcis gnarus: quẽ capiti vnius vbi impegisset, eximere non quiuit: hũc imitatus Czurelo, cum centũ suis equitibus, tantum hostium numerũ aggressus est, vt nostri inter illos dispersi, nõ iam apparerent: at imperator extemplo mãdauit Osso Wskio, vt cum suorũ equitũ manu perturbatis succurreret. Cæterùm Turcæ, visis pluribus nostrûm ad se, tãquã irritatis feris, currentibus eueſtigio retrocesserunt: vt enim Scythas, ita etiam Turcas, fortitudo statim deficit vbi quis illis viriliter resistit: imbellem si videant, magno eum impetu inuadunt. Sex tantùm è Czurelianis desiderati: at verò Turcæ atq; Valachi concisi, cõtritiq; passim iacebant. Tendentibus nostris Nestrum versus, Turcę suo incursu nouissimos penè attingebãt. Molestè id ferebat respectãs animosus Herburtus: nihil tamẽ iniussu sui ducis tentare ausus. Triginta Czeremissij ab tergo constituti, glandibus tormentorũ incursantes repellebant. Fuit ibidem quidam palustris locus, nostris transeundus: ad quem hostes celeriter

concurrerunt, aditu eos prohibituri: verum iussu vicarij imperatoris, exonerata contra illos à Stephano Garnissio, Herburti sub centurione, 12. minora tormenta, vnum maius ab ipsomet Ciolco, conturbatos vltra montem reiecerunt. Exantlatis tot aduersis, tandem ad Chocimensem arcem, concubia nocte venerunt: quam arcem Dobrossolouius Polonus, paruo præsidio tenebat, & fide bona (cuius gens nostra natura seruans est) Bogdano tamdiu seruabat: vbi Turcæ nostros, iam securiores, & ordinis negligentes, facilè oppressissent, ni Temrucus centurio, tamdiu illos sustinuisset, dum singuli suis sub signis consisterent. Godzisse Wskius prior è centuria Goraiskij hostes sensit, deinde alij: qui celeriter à Siena Wskio ordinati, productis ante aciem tormentis, hostem opperiebantur: nec res, tametsi copijs nostri multo forēt inferiores, certamini moram fecit. Vetuerat autem Mielecius, ne quid ipse Bogdanus attentaret: sed contentus ijs quæ alij pro eo subirent, in castris, vbi erant præstantiores, maneret. Ibi prima contentio inter nostrum exiguum peditatum, & Valachos de sepe quadam orta. Dehinc Turcæ nostros inuadere, premereque. Rogante Ciemerinskio auxilia, Temrukus & Herburtus, à Sienia Wskio ferre iussi, respondent, minimè committi debere velites loricatos, venabulis vtentes, cum Turcis hastatis & scutatis (nam facilè ab illis dispergerentur) sed hastatos cum hastatis, vt sit pugna æquior: se verò præsto fore, vt hostem alia ex parte inuadant. Tali excusatione vsis successit Sienia Wskij mandato, Iacobus Iordanus: cuius centuria hastata ex imberbibus cōstabat, sed quibus erant animi

mi Herculei, in hac quatuor fratres ipsius germani fuēre. Hi omnes, diuina ope implorata, eo impetu in hostem incurrunt, vt nullius hasta ab aduersario aberrauerit: pugnantibus subueniunt à latere Herburtus & Sigismundus Rozenus: sed protinus resilierunt saucij Turcæ: quos hi verberando, vsque ad ipsorum castra varijs tramitibus fugarunt. Callidè autem, dum fugerent, arma, pileos, cæteraque impedimenta abijciebant, dummodo se insequentes ad ea colligenda pertraherent: sed quia de vita & gloria certamen fuit, spreta hæc omnia à victore. Porrò Garnissius, vbi illos plus satis excurrisse vidit, alta inclamauit voce, vt seruato ordine retrocederent. Fecit hoc vnum Lanczcoronskio Herburtus: tedigunt paucos in ordinem à cæde retractos, & reducunt: Iordanianis nihilominus, varijs in sylua locis, hostem dispalatum persequentibus. Inest enim nostris quidam pugnandi ardor, vt cessare nesciant antè quàm vel vincantur vel vincant: ferrum nihil ducunt, modò ad illum qui ferit, perueniant, & cædendo cupiditatem expleant suam. Postquam Turcæ nostros longè digressos, & omnibus destitutos auxilijs vident: de integro circiter sexcenti integri, quadraginta defessos aggrediuntur, & magno concursu multi paucos premunt: opportunè autem tūc ad illos forte fortuna delati fuēre, Rozenus & Io. Radeczkius, generosi pugnatores. Tum Herburtus paucis socios cohortatur, ne ipsorū animi multitudine hostium labescerent: quos, Deo freti, non secus quàm prius disiecturi forent, modò honesti & famæ memores, quæ bona fortes sequitur, dimicarent viriliter. Quibus dictis, seq; sequi iussis, inci-

tat equum in hostes appropinquantes. Inuadunt in eos, etiam reliqui. Instauratur acris pugna, si quę vnquam alia. Qua crudescente, auulsum ab alijs Herburtum permulti impetunt. Et ipse quidē singulari fato patriæ seruatus est: verùm socij eius quatuor, Dobruczkius, Golinskius, Vodziraczkius, Conarskius, interemti sunt. Vagabatur aliquādiu inter hostes Herburtus, pro Valacho ab illis propter vestem habitus: ita oculi illorū diuinitus obcæcati erant, vt, cuius conspectū toties fugissent, eum nequaquam agnoscerent. Sic ne in bello quidē, diuina homines probos destituit prouidentia. Verùm enimuerone illinc quoq; sine damno dato discederet nactus opportunū tempus & locum cōmodum, vni è Turcis graue infligit vulnus, seq; subitò fugę mādat: fossam quandā mirè latam & profundā equo adacto transilit. Tollitur clamor Turcicè: *Gaur, gaur, vur, vur.* Valachicè autē: *Ocide, ocide*, hoc est, Occide Ethnicū. Ad quæ verba prosiliunt duo Turcę: quorū vnus à dextro latere ipsum ita sarissa petit, vt ex ephippio penè iā excuteret: alter, ab sinistro, momento eodē, (admirandam Dei prouidentiā) conatus trāsuerberare, in equū subleuat. Accepto tali beneficio, equo addit calcar. Fugienti, capite humerisq; gladio protectis, obuius fit Slesinskius, armiger Lanczkorōskij: hūc agnitū, sibi vt opituletur, si quid possit, orat. Facit hoc non impigrè armiger. Sed Turcę, viso præsenti auxilio, destitere cursu. Auxiliator benignè remuneratus, & magnā apud omnes, quòd tantū virū seruasset, inijt gratiā. Famuli mœsti, viso reduce heroe, maiorē in modū refocillati sunt, perijsse illū iam opinati. In tā impari pugna, præter hos quos cōmemoraui,

moraui, haud plures vel octo, vel decem interiēre, qui erant Lanczkoronskij & Ioannis Iordani: quos inter nobilior fuit Stanislaus Gosdzikouuskius, Iordani collega, quo cū sui famuli occumbere, quā illo deserto, vitæ suæ fuga cōsulere maluerūt. Vulnerati non pauci. Cæteri ictus hostium incurrentiū armis auertentes, incolumes ad castra reuenēre. Venientes Cosielskius centurio, Turcas esse opinatus, hastis excipere voluit, ni sermo Polonos esse prodidisset. Non desiēre Turcæ in Cosielskianam centuriā, quę primā aciē tuebatur, impressionē facere, donec eos Iacobus Iordanus, tormētis & peditatui præfectus, abegit. Fuit autē vnus ex illis, præ cæteris audacior, magni (vt videbatur) inter suos nominis: nam, quocunq; iter intendebat, semper illū turmatim cæteri sequebātur, is identidē nostros ad pugnam lacessebat, nimiùm gestientē Mlodeczkius, Kosielskij socius globo petit tormentario: labentemq; ex equo hisce verbis alloquitur: Itane vetò hīc iam iaces bacchanal? Fuit enim pennis struthiocameli, & exuuijs leopardinis, instar personę, cùm Bacchi festū agitur, perbellè ornatus: hunc assecłę correptū ad suos currim deferunt. Post hęc Mielecius, rebus hostiū bene cōsideratis, monitusq; à Pencoslauuskio, Iac. Iordani vicario, castra illinc aliò mouit, ab hostibus ita infestata, vt cassidem Gabrielis Remboskij, assidui sectatoris Mielecij, glans ferrea attigerit. Tū autē Cosielskius, & mādato ducis, & successu hortāte priore, castra adortus hostilia, cōplures in eis interfecit: insuper tormēta aliquot parua, & signū militare rubrū, illis eripuit: tā audaci incursu hostes haud mediocriter perturbati: frequentissimi paucis cedebāt,

quibus eo modo repulsis, castra locata sunt ad Chocimum. Primarij in arcem ingressi: cæteri, stationes suas foris seruabant. Hinc Bogdanus ad Iuoniam mittit Radeczkium, nobilem Mielecij famulum, orans eum ne sibi patrium dominatum, in quem ius haberet nullum, vi eriperet: alioquin non futurum diuturnum, iniquè acquisitum imperium, cogitaret, nihil esse grauius quàm de statu pristinæ dignitatis, propter vim alicuius, demigrare. Ideo expectaret ab alio paria ijs quæ faceret alteri. Deum enim hac ratione solere vlcisci omnem iniuriam. Auxit rē eam verbis pluribus. Quibus minimè motus Iuonia, legatum custodiæ Pyriczausi tradit: dehinc, cùm nulla alia ratione quenquam è Polonis nanciscì viuum potuerit, iure gentium violato, Selymo imperatori, domino suo, mittit. Perductum ad Mehmet Bassam, ait Pyrus captum in prælio esse: negat id Radeczkius, sed tamen non fit ideo liber. Fuerunt tunc temporis Constantinopoli nobiles Poloni, Andreas Taranouuskius, & Christophorus Dzierkius: hic interpres, ille nuncius regius. Ii non nihil tentauêre, ne quid grauius in insontem Radeczkium statueretur: verùm Bassa, postquam de strage suæ gentis hominum in Valachia, intellexit, non solùm tulit hoc acerbissimè, sed etiam captiuum, more aliorum remigum, toto corpore rasum, ad triremes damnauit: multa hi tum aduersa à Turcis experti. Non prętereundum hîc esse videtur huius Dzierscij, dum Constantinopoli discereret sermonem Turcicum, singulare in gentem Polonam studium: multos enim captiuos, varijs artibus, dura seruitute liberauit: sæpe hostium de nobis cōsilia, præsertim

sertim interregni tempore, Senatui aperuit: pericula hoc nomine adijt: impensis non pepercit. Huius opera Mielecius (cuius is munificentiam erga se maximè sensit) vsus apud Bassam primarium est, in liberando Radeczkio: qui Bassa, cùm & ex alijs Czaussis, (aulicos illi, qui huc atque illuc cum mandatis mittuntur, sic vocant) & ex Petro Bogdani fratre, qui pòst ibidem decessit è viuis, cognouisset, Radeczkium non in prælio, sed legatione ad Iuoniam fungentem, captum fuisse: diu perquisitum (iam enim triremes in pelago erant) reddi Dzierskio iussit: verùm (vt isti mali solent) clàm ei porrecto veneno: quod ipsi mortem attulisset, ni ibidem liberator, dato maturè remedio, succurrisset. Liberatus, redijt, pòst in patriam cum Martino Bronie Wskio, ad petendas inducias, dum in locum demortui Augusti, alius rex substitutus esset, misso. Mielecius, videns indies copias augeri Iuonianas, suas verò magis ac magis inedia confici, (nam dies aliquot equis nostrum, nullum aliud pabulum quàm frondes & frutices erant) ad hæc memor illius oraculi, Dei voluntate dari populis, abrogarique reges, quamobrem, ne cum Deo pugnare videretur, neve quos induxit, perderet, de reditu in patriam cogitare cœpit. Interim Iaslouiecius, copiarum regni Poloniæ ductor, cognito Valachiæ turbulento statu, iamiam erat Nestrum traiecturus cum equitatu octingentorum ferè virorum, ni id prudens Mielecius dissuasisset: opinor, ne magis irritatis barbaris, suos in discrimen adduceret. Ne verò nihil ageret, mittit quosdam è suis ad præfectum Bialogrodensem, qui hæc illi dicerent. Hi (inquit) Poloni, quos Bogdanus,

neq; rege, neq; me sciẽte, dominatum recuperaturus auitũ, è Polonia eduxit, amici mei sunt: quibus Cæsaris tui volũtas à Bogdano alienata, & in Iuoniã propensa, minimè nota fuit. At verò, vbi ita se rẽ habere, ex Cæsarianis quotidie crescentib. copijs perceperunt: reuerti illò vnde exierant, voluerunt, sed à tuis impediti sunt: quare, si lubet, ita tuos cõpesce, ne quod nostris abijciatur impedimentũ. Quod ni feceris, nécesse me erit cũ his paucis, quibuscum ad terminos regni nostri & tui Cęsaris veni, breui plures, habiturus, meos amicos ab omni iniuria tueri atq; vindicare. Quodsi factũ erit, vereor ne te cõsilij tui pœniteat. Præfectus (Sendziacũ illi vocãt) simul atq; hæc audiuit, cõtinuò Turcas atq; Valachos à ripa Nestri abscedere iussit. Traijcientibus nostris angustis nauigijs quinq; diebus flumen, multi equi ex eis præcipitati, vi fluminis abrepti ac suffocati sunt. Non discesserant verò à ripa omnes Valachi: qui extremum agmẽ carpere conati, & à peditatu in tergo collocato cum tormentis, & ex ipsa arce Chocimensi, iaculis repressi fuêre. Nostri, traducto Nestro, Deo in primis, deinde ductorib. suis gratias egêre: hi contrà illis, quòd obedientes, quòd fortes in prælijs se præbuissent. Vulgò creditum, Mielecium suis vitam à Deo deprecatum esse: non rarò enim pernox supplicare Deo visus. Quamobrem magnã hinc ille laudem suo cum collega tulit. Ibant autem omnes seruato ordine vsq; ad Cameneciam arcem, diuina manu munitam. Vbi Bogdanus, indignè patrimonio spoliatus, actis omnibus gratijs, qui se ipsius causa innumeris periculis exposuerant, cuius quidem eorum beneuolentiæ, quoad viueret, quaquaq;

licunq; fortuna, memor esse vellet: diuersum ab illis iter cum aliquot Polonis suscepit. Porrò relictus in arce Chocimensi Dobrosslolouius, cum septuaginta iaculandi peritis peditibus, fortissimè illam à vi Turcica aliquot hebdomadas, factis interdũ eruptionibus, defendit. Hũc Iuonia, cùm nec precibus, nec minis eò adducere posset vt arce excederet: scribit ad Iaslouiecium litteras, quibus illam tradi sibi petit: se tale iusiurandum daturum suis cum procerib. promittens, quale rex Augustus dari mandaret: (nondum enim mors ipsius diuulgata erat) annuit Iaslouiecius, quòd hæc mandata abs rege accepisset. Igitur in hæc verba iurat: Nos (inquit) Iohan Voiuoda, terrarũ Moldauiæ & Valachiæ dominus, atq; hæres: iuro per Deum omnipotentem, ac ritu feudali promitto, nos successoresq; nostros, vnà cũ senatu & subditis nostris, fideles, constantes, obedientes fore sereniss. Poloniæ regi Sigismundo Augusto, successoribus, senatoribusq; eius, ac ipsi reipublicæ. Idem Senatus iurauit. Fuerunt autem isti præcipui: Isaias episcopus Radziouiensis, Ioannes, Golofelt Moldauiæ, Bogdanus. Post hæc Dobrosslolouius, ab imperatore Iaslouiecio verbis regijs iussus, cum milite ex arce descendit. His ita transactis, Turcæ, Valachi, Scythæ, numero circiter centũ millia virũm, accepto de obitu regis Augusti nũcio, (erat autẽ septimus Iulij dies, quo vita functus est Sigismũdus Augustus) intẽti in Russiã, non priùs à Nestro secedere voluerũt, quàm ea de re Cæsarẽ cõsuluissent, & precibus Iuoniæ à proposito reuocati essent. Parci fœderatis Cæsar Selymus iussit: nisi fortè talẽ sibi ipsi cõstituerent regẽ, qui ipsius hostis esset.

(quo in numero & Moschum & familiam Austriacam habebat) Lectus rex Henricus, dux Andium, Henrici 2. regis Gallorũ filius: vbi regnum largitione quæsitum, & 4. solùm menses administratum, patrio postposuisset: hos eosdẽ Scythas discessu suo, anno Christi 1574. in Russiam, mense Octobre attraxit: quo anno Iuonia, iniquè parti dominatus: Valachi, perfidiæ pœnas dederunt.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO VIRO, DN. ANDREÆ, COMITI GORCANO, CASTELLANO *Miedirecensi, Capitaneo Gnesnensi, Valcensiq́, Leonhardus Gorecius, Eques Polonus, & se, & officia sua commendat, patrono ac mæcenati clementiss.*

ATTVLIT mihi magnifice Comes, Crassouius, puer fratris Rochi, à te ex castris literas: quibus mihi & gratias agis pro oratione ad te missa, qua Gedanenses ad deponenda arma, contra principem suum insolenter susceptа, hortatus sum: & ad maiora scribenda me excitas, eaque in parte operam mihi tuam polliceris. Agnosco, illustris comes, præstantem ac eximiam voluntatem tuam, ad iuuandos viros doctos promptam & alacrem: qui personam patris tui, olim in Repub. nostra florentissimi, & opibus, authoritate, acumine, iudicio facilè principis, nó solùm nomine, sed re ipsa repræsentas. Quare, vt me gratum esse tuæ huius beneuolentiæ declarem: hãc meam historiam Valachicam, in qua scribenda Barthol.

thol. Paprocium sequutus sum, ad te mitto: quã non dubito quin sis eodem animo quo tibi offertur, accepturus: mihiq́, commẽtaria rerum gestarum, non solùm de hoc Gedanensi bello, sed & quæcunq; de rebus maiorum nostrorum habes, suppeditaturus. Quibus ego habitis, & istud Gedanense bellum absoluam, & historiam meam ad hæc tempora in quibus versamur, pertraham: vbi se mihi præclarus locus mentionem honorificam Stephani, regis nostri potentiss. faciendi offeret: qui mihi & omni conformatione membrorum, & magnitudine rerum gestarum, illos priscos reges Poloniæ, Boleslaos & Casimiros, repræsentare videtur, qui non solùm Prussos cum vrbe Gedanensi, sed & vicinas gentes perdomuerunt. Singulare certè beneficium diuinum in nos Polonos extitit, quòd post occasum Sigismũdi Augusti, talem regem habeamus, qualem hoc regnum hac in perturbatione rerum omnium, poscebat flagitabatq́;. Cuius quæ & quantæ virtutes sint, initium regni demonstrauit, exitus pòst declaratus est: qui de se viuentibus materiam præclarã scribendi relinquet, & apud Deum immortalem æternum præmium consequetur. Quid enim hac in vita prodest alios laudare, eos ad summa sidera euehere, si diuinum iudicium non accesserit? Sed ego regem Stephanum vtrunq; habiturum & spero & confido: quem & cõsensus totius populi laudabit, (quod iam nunc faciunt principum Germaniæ ad eum missi legati) & præclaris eximijsque virtutibus suis habita in Christum fide, æternam immortalitatem consequetur. Cæterùm Christiani monarchæ cogitent quàm longè lateque virus acerbitatis suę Mahome-

tes propagarit ob hæc intestina eorum dissidia: quæ vtinã inter eos conquiescant, omnesq; simul iunctis armis, eadẽ huic teterrimo hosti nominis Christiani inferãt: quibus vt Deus successus det, ex animo precor. Sed iam lege, si placet, hanc historiam, ex qua & cognosces nõ tã validas esse Turcarum vires, vt consensu Christianorum ac cõcordia debellari nõ possint: & præclaras virtutes Polonicorũ equitum recognosces, quorum opera Iuonia vsus Turcas ad interneciõẽ persequutus est: à quibus minimẽ degenerasse tui quoque tunc visi, cùm pauci cum multis ad Dantiscũ 12. Augusti dimicarẽt, Sdrouusciusq; tuus insignem quendã Hessum cepisset, ex quo permulta rebellium contra regẽ suum cõsilia cognita sunt: ad verò id 17. Aprilis maximè apparuit, cùm duo millia nostrũm, Hungarorumq;, duodecim Gedanensium millia ita profligarunt, vt quater mille & quingenti hostes in acie ceciderint, mille viui capti fuerint, è nostris solùm duodesexaginta cæsis: quã historiam Lasicius noster, vt verè, ita breuiter, historico stylo descripsit. Vale illustris Comes, Gorecij tui memor. E Saniki, 15. Octob. anno 1577.

CASPAR LINDENERVS, MEDICVS ET philosophus Posnanensis.

Historiam vitæ veteres dixêre magistram:
Historiæ quando multa docemur ope.
Tam bene quis Romam, doctas quis nosset Athenas,
Liuius æternum ni fabricasset opus?
Non multi legerent Valachum, vel gesta Polonum,
Nobile Gorecij si latuisset opus.
Hinc potes effectus bellorum, & discere causas,
Et quam Turcarum sit male tuta fides.

LEON-

LEONHARDI GORECII, EQVITIS POLONI, DESCRIPTIO BELLI IVONIÆ, PALATINI *Valachiæ, quod is cum Selymo Turcarum imperatore, magno cum successu gessit ab initio, demum à Ieremia Czarna Wieczio Valacho proditus, & à Turcis contra fidem datam ac sacramento confirmatam occisus.*

BELLVM scripturus, quod ab initio magno cum successu Iuonia regulus Valachiæ, cum Selymo Turcarum Cæsare gessit, operæpretium me facturum puto, vt de situ Valachiæ, incrementis gentis, feracitate soli, moribus, & de alijs ad eam rem pertinentibus, ex secunda decade historiæ gentis nostræ Polonicę, quã viginti libris, vsq; ad exitũ Sigismũdi I. regis Poloniæ persecuti sumus, dicã. Valachia, quæ olim Mysia & Dacia dicta fuit, habet ab ortu Euxinum, à meridie Istrum, seu Danubiũ: ab occasu Transyluaniæ, ad Boream Russiæ, seu Roxolanis, contermina. Tota regio in partes duas diuiditur, in Valachiam Trãsalpinam, ac Moldauiam. Transalpina quidẽ, ab oriente habet piscosum lacum, quem Hirassus amnis, ab accolis Pruthes vocatus, efficit, suis deniq; aquis adauctum, ac latè stagnãtem relinquẽs, in Istrum euoluitur: ad meridiem vergit terminata Danubio, atq; item ab occasu Transyluanię fines attingens, ad oppidum Seuerinum, vbi Traiani pontis admirabiles pilæ triginta quatuor, nequaquam totas obruente

Situs Valachiæ.

Danubio, visuntur. Ad Septẽtrionem autem finitur Hoina, ignobili flumine, & directis terrestribus terminis ad Istrũ, curuata admodũ regionis frõte contra Paucem insulam, spargente sese primò in ingẽtes ramos profluẽte Istro, antiquis scriptoribus notam, quã hodie Barillanã dicũt. Oritur autẽ Danubius in iugis Arbonę mõtis Germanię, ex aduerso Rotwilę oppidi Sueuiæ, in Nigra sylua apud pagum Donesing. Vbi primùm Illyricum alluit, Ister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum nauigabili, in Pontum vastis sex fluminibus, euoluitur. Altera pars Valachię agrorũ & pastionũ multitudine maior, armẽtisq; & militarib. eqs opulẽtior, ab amne Moldaua, qui mediã intersecat, Moldauia dicitur. Is ortũ habet paulò infra Hirasli fontes è Transyluaniæ montibus, quibus antiqua Dacia ad ingentis theatri similitudinem, obuersa in occasum scena præcingitur, delapsusq; Soczauiam, quod oppidum est sedes Palatinorum, præterfluit. Atq; inde violentus Hoinam, Dobenisam, Argiamq; parvos, sed perennes amnes secum trahens in Oltã effunditur. Olta verò, qui antiquitus Allutus fuit, nõ Transyluaniæ modò, cuius partẽ ab aduersis mõtibus descendẽs rigat, sed Moldauiæ & Transalpinæ minora flumina, in orientem reflexus, ad Nicopolim in Danubium rapit. Omnium verò amplissimus Tyaras, qui ab incolis vocatur Nester, ad Aquilonẽ Moldauiã terminat. Ortus enim à Carpatho monte Sarmatię, & rectà in Euxinũ contendens, Russię & Podolię fines tandem attingit. Qui primi loca Valachiæ tenebant, nihil potest certi ex tãta vetustate scriptorum erui, quã variæ gentes, vt Vngariam, obtinebãt. Hodiernæ

Danubij descriptio.

diernę gentis Valachicę originẽ quidam referunt ad Flaccum præsidem Romanum, à quo nomine leniter deflexo, & ipsa Valachia nuncupata esse videtur. Ab eo enim tẽpore quo Flaccus cum imperio Mysiæ siue Daciæ præfuit, quæ vltra Istrum ad Scythicam gentẽ extenditur, Flacciam appellari constat: quam demum corrupta voce, sensim in Valachiam abijsse perspicimus. Apud Valachos enim nõ modò Romanę disciplinę mores certi, legesq; vigẽt: sed ipsa quoque Latinę linguę vocabula permulta seruãtur. Vnde Vulochorũ & Valachorum nomẽ idem quidam esse volunt, quos *Wlochos*, id est, Italos, etiã Germani lingua sua *Welschen* vocant, vtraq; gens Itala: ideo cõmune nomen. Qua ratione autẽ eam regionem Flaccus occupauit, Æneas Syluius, qui pòst Roma. pontifex fuit, sic tradit. Tempore Traiani imperatoris, Daci, seu Gothi, detrectãtes Romani iugum imperij, missus est eò Flaccus cũ triginta millib. hominum: quibus in coloniam deductis, ibidem ararent, cõmeatum Romano exercitui, qui ibidẽ semper in armis cõtra Scythas ac Sarmatas fuit, prębęrent. Vnde pòst interiecto tẽporis pulsis Gothis, illa tota regio, quæ Valachia à Flacco est appellata, Romanis cessit: cuius sententiæ haud pœnitet me esse. Sed diuersum alios scripsisse videmus, qui Syluium, in laudem suorũ propẽsum, falsa tradidisse affirmãt. Post quẽ qui scripsẽre historiam, eadẽ quidẽ de gentis origine, sed diuersa ratione scribunt, qui hodiernorũ Valachorum stirpẽ ad Romanos quidẽ referunt, sed ad exules, qui eò relegati erãt. Quorũ cùm tãtus numerus fuisset, vt non tantùm cõtra incolas potentes fuerint, sed & Gothis inde eiectis, fidelem operã po-

Hodierni Valachi ad quẽ stirpẽ suam referunt.

Flaccus qua ratione Valachiam occupat.

Aliorum de Valachia incolis sententia.

pularibus suis nauandam rati: pōte Danubio impo-
sito, eadem loca obtinuêre: qui in partes duas diuisi,
vti à nobis dictum est, Valachos Transalpinos, ac
Moldauos: vtraque pars regulos suos habuit. Nam
Transalpina Valachia, quæ à Turcis Carabogdana
minor, eò quòd nigrum frumentum ferat, vocatur,
præcipuam ciuitatē Tarnouizam habet: quæ est re-
gia regulorum Transalpinæ Valachiæ, qui continuò
parēdi obsequio, Turcarum amicitiam tuentur, au-
reumq; nummūm myriadē, tributi nomine quotā-
nis pendent: eaque vel indecora pace perfruuntur,
quòd impunè fidē mutare nequeant, cùm in oppo-
sita Danubij ripa, Seruiæ, Bulgariæq; præsidia in an-
tiquis Triballorū sedibus spectentur. Illa quoq; pars
Valachiæ, quam Nester à Podolia disiungit, à Turcis
duce Mahomete Cæsare, qui Constantinopolim, o-
lim Byzantium dictam, ceperat, subacta, eisdem tri-
butum pendebat: sed superiori anno, Iuonia à Turcis
per fraudem capto, ac crudeliter occiso, vtraq; Vala-
chia Turcarum ditionis facta est. Modicum tum ab
initio tributū Turcicis imperatoribus Palatini Mol-
dauiæ pendebāt: eò quòd Casimirus, pater Sigismū-
di primi regis Poloniæ, occupatus bello Cruciferio,
Petrum iuuare cōtra Mahometē non potuit: cui Ma-
hometes nomine tributi, solùm duo millia nūmūm
aureūm, anno à Christi regis ortu, supra millesimū
quadringētesimum quinquagesimo quinto impo-
suit. Demū interiecto tempore, imperatorib. Tur-
cicis Asiatico, Persico, Ismaelitico, Ægyptiaco bello
distentis, Valachi partim imperio Vngarico, partim
Polonico subiecti fuêre. Qui pòst in tātas vires cre-
uere, vt nostris exercitibus aliquoties deletis, Vnga-
rorum

Moldauia quādo à Turcis occupata.

Valachia Vngaris Polonisq; subiecta.

rorum iugo excusso, demū ad imperium Turcarum
pertracti sint. Iurabant & in verba regum Poloniæ,
se cum eis pacem habituros: quibus semper vectiga-
les fuêre. Ac si maior vigilātia de mortui Augusti re-
gis fuisset, etiamnū Valachia vectigalis Polonorum
esset: cuius oppido Chocimo Albertus Lascius, vir
consilio, manuq; promptus, aliquandiu obtento, re-
gem Augustum obtestabatur vt sibi daret auxilia:
nam se Valachiam totam facilè eius adiecturum im-
perio: per eumq; Iacobus Despotes, perq; Lassociū,
Philippouium, ac cæteros (qui genus suum ad anti-
quos regulos Valachiæ eodē nomine appellatos re-
ferebat) superioribus annis in Valachiam restitutus
fuit. Iectoq; Alexandro, tanti motus bellorū in Va-
lachia excitati fuêre, vt à Valachis Despota crudeli-
ter occiso, ac Visnieuiecio insigni bellatore capto, &
in Turciam misso, (de quo ibidē supplicium sumtum
est) Lascius Chocimum nōnullo tēporis spatio retē-
tum, pòst Alexandro restituere coactus fuerit. Ale-
xandro filius Bogdanus successit, Bogdano Iuonia,
(Ioānem ea vox significat) de quo hîc historiam scri-
bēdam sumpsimus. Is armis Turcicis adiutus, exerci-
tu Bogdani profligato, aliquandiu Valachis præfuit.
Habuit Valachia insignes ac bello egregios ante hęc
tempora regulos: in primis verò illum Stephanum,
qui sępissime tot exercitibus Moschorum & Scytha
rum deletis, ex eis præclarissimas victorias reporta-
uit omnibusq; terrori ac formidini fuit, pręcipuè au-
tē Turcis, quorū numerosos exercitus profligauit, ad
internecionemq; dedit: deinde Draculam, quem vt
Matthias rex Vngarorum in officio retineret, pro a-
misso Moncastro ad Turcas Czizouiam & Cechil-

Lascius Despotā in Valachiam restituit.

Reguli Valachiæ insignes.

Dracula.

lum oppida, dono ei dedit. Ea sunt in extrema Transyluaniæ partæ, qua per saltum Moldauiæ iungitur.

Petrus. Quibus virtute bellica ille Petrus haud inferior fuit, violento indomitoq; ingenio præditus, obidq; Selymo Turcarũ imperatori minùs carus: ex quo Sigismundus memorabilem victoriam, authore Ioanne Tarnouio, viro omnibus Imperatorijs virtutibus instructo, ad Obertinum reportauit. Mores, religio, sacra Valachorum, ad Græcas, Armeniacasque ecclesias accedũt: apud quos sacerdotes vxores ducunt. Gens equitatu pollet. Nam quiuis, vel egẽtissimus, domi equum alit, quo prędatur ac militat. Scuto, hasta, galea, quẽadmodum Vngari vti solent: nõ nunquã lancea missili atq; arcubus rẽgerunt. Equi eorum pectorosi, robustiq;, nõ pernicitate quidem in cursu, sed perseuerãtia & viribus maximè probantur. Proinde mos est, tenellis, cùm castrantur, nares præscindere, ne angusta respiratione fatigẽtur, quãdo nec mediocris equi laus sit triduo, vel per æstiuos soles, bellicæ agitationis laborem pertulisse. Tanta perfidia gentis est, inconstantiaq; in regulos suos, vt facta in eosdem conspiratione, leui de caussa eos interimãt, nullaq; claritudinis & stirpis ratione habita, pecuarios, vel sordidissimos quosq; in locum regulorum asciscant. Regio adeò ferax, tãtaq; multitudo boum in illa est, vt & in Russiã, pòst in Germaniam quoque, ij adducantur, qui inter alios maximi sunt. Habet copiam vini & hordei, nec tritici indiga. Maluaticum vinum ex Turcia, & id genus alia in Poloniam Armenij per Valachiam aduehunt: piper, item crocum, prętiosa aromata, peristromata, quæ sunt instrumenta luxuriæ. Atq; hæc obiter de Valachia:

Mores Valachorum.

Perfidia Valachorum.

chia: nos ad institutam historiam reuertamur. Bogdanus igitur, Valachia pòst mortem Alexandri obtẽta, adeò Turcarum imperium aspernati visus est, vt cum Augusto rege Poloniæ, anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo secundo, mortuo, fœdere perpetuo percusso, legatis missis impetrauerit, vt sibi ex Valachia in Russiam, quando vellet, commeare, domos magnatum vetustæ stirpis inuisere liceret, vt cuius virgo sibi pudore, formaque præstans placeret, eam vxorem duceret, ac vt ex fœdere belli tempore Augusto regi viginti quatuor millia equorum armis, virisque instructa mitteret. Omnium de eo vulgatior fama fuit, eum bona sibi in Russia emere voluisse, ac Valachica gente perfidissima, si quis ita casus tulisset, vel si à suis pellereretur, relicta, in Russia mansurum fuisse. Augustus Turcicam fidem suspectum habens, (quorum Turcarum si non instinctu, at saltem conniuente Selymano, patre Selymi, Scythæ, gens bello inuicta, illam partem Russiæ quæ Nestrum attingit, sæpe ingenti clade belli affecerunt, oppida, villas, vicos exusserunt, maximam multitudinem pecorum, pariter cum hominibus, abduxerunt) vt Bogdano in fide retento, si quando bellum contra Turcas suscipiendum foret, habita Valachia fœderata, (quæ inter ditionem regum Poloniæ, ac Turcicum imperium, tanquam firmissimus murus, propugnaculumque quoddam, est interposita) omnem barbarorum impetum faciliùs sustinere posset: adhæc, non ignorãs, maiores suos sæpe cum Valachis religiosissimè fœdus conseruasse, quibus sæpe periculosissimis ac difficillimis temporibus contra vim Turcarum auxilio

Inchoat' historiam.

fuêre: id facilè Bogdano concedit. Bogdanus igitur, hac tali amicitia tanti regis fretus, sæpius in Russiam venit, summorum domos obit, eos muneribus explet. Quæ cùm ad aures Selymi Turcarum imperatoris, qui iam Selymano patri in imperio successerat, perlata fuissent: in primis verò illa re offensus, quòd tãtum equitatum Augusto ex fœdere in subsidium belli dare debuit: tacitis cõsilijs agitat, vt abdicato imperio Valachiæ Bogdano, illud ad quempiam alium deferret, cogitans, si quando sibi cum Polonis, gente ad arma nata, belligerandum foret, eis Bogdani arma, ac totius Valachię, maximo adiumento fore. Iamq; Bogdanus ingenti inuidia apud suos populares flagrabat, eò quòd nõ solùm totum se ad amicitiam Polonorum contulerat, sed eisdem militari stipendio constituto, eos apud se liberaliter fouebat, Sborouioque Christophoro, fratri Petri, Palatini Cracouiẽsis, sororem se suam in matrimonium daturum pollicetur, quoniam antè Casparo Panieuio Russo alteram dederat. Sborouius ea ex re lætus, quoniam ingens æs alienum contraxerat, vt ex eodem sese euolueret, ad Bogdanum magno comitatu, pulcerrimo habitu exornato, in Valachiam venit: à quo pòst elusus, vindictam animo spirans, re infecta in Russiam, vbi amplas possessiones habebat, redit: ac si quando occasio daretur, vt Bogdanum vlcisci posset, animo intentus erat. Bogdanus igitur adornata profectione in Russiam ad Ioannem Tarlonem, cuius filiam, virginem specie ac pudicitia insignem, in matrimonium ducere statuit, transmisso Nestro in cisijs, quoniam tum glacie obduratus erat, vno atque altero ministro comi-

Consilium Selymi de abdicando imperio Valachiæ Bogdano.

Aduentus Sborouij in Valachiam.

Aduentus Bogdani in Russiam.

comitatus, longeque à suorum agmine seiunctus, in Sborouij puerum, quem ille cum literis peregrè miserat, incidit: qui à Bogdano cuius esset percunctatus, dolenter lamentatur se literas cum sarcinula amisisse, quas herus suus sibi perferendas commiserit. Quare subditis equo calcaribus, ad herum redit: vbi Bogdanum nullo comitatu septum viderit, narrat. Ibi Sborouius cum aliquot ministris, conscensis pernicibus equis, ad Bogdanum aduolat: cui à Secignieuio, non impigro iuuene, secundum aurem vulnus infligitur: dehinc eum Sborouius secum abducit, & in custodiam dat: nec aliter dimittere vult, quàm sibi satisfaciat pro impensis & damnis, quæ subierat cùm ab ipso in Valachiam venire iussus esset. Bogdanus tam inopinato periculo circumuentus, sex millia nummûm aureûm Sborouio dat: reliquam pecuniam se ad certum tempus dissoluturum pollicetur: pro quo Panieuius fidem interponit. Constat id factum Sborouij Augustum regem iniquo animo tulisse. Valachi igitur, siue fidem Bogdani suspectam habentes, siue eum in Polonia interijsse rati, Selymum sollicitabant vt ipsis alium, in locum Bogdani, daret. Erat Iuonia (quem quidam Polonum fuisse, in Masouia natum, dicunt) stirpis Valachicæ, qui se antiquis prognatũ regulis Valachiæ aiebat, vir proceræ staturæ, facie decora, oculis gracilibus, quodammodoque minacibus, toto corpore lacertosus, viribus pollens. Is igitur post mortẽ Alexandri, viuo adhuc Selymano, Palatinus Valachiæ fieri voluit: cui ille Bogdanum, filiũ Alexandri, prętulit. Aliquandiu

Bogdanus se Sborouio redemit.

Origo Iuoniæ stirpis.

post hæc in Russia ac Turcia vnà cum Ieremia Czarnieuieczio Valacho, cuius in eum hoc in bello insignis perfidia extitit, versatus: vt sibi animos Turcarum magis atq; magis conciliaret, susceptæ circumcisione ac religione Mahometana, animum ad amplam, copiosamque mercaturam exercendam adiecit. Cuius magnitudine ac splendore, non solùm in purpuratorum, qui Bassæ (id est capita) vocantur, notitiam peruenit, sed & ipsius Selymi. Isigitur ex purpuratis cognito consilio Selymi de imperio Valachiæ alteri demandando, eos largitionibus corrumpit, oratque authoritatem suam apud Selymū ita interponant, vt ipsum Voiuodam Valachiæ renunciet. Ostendit fidem Bogdani esse suspectam, qui se totum ad amicitiam regis Poloniæ cōtulerit; fieri posse vt Polonorum auxilio adiutus, pòst Turcarum imperium excutiat, abijciatque. Selymus, propensa purpuratorum voluntate cognita, nactus absentiam Bogdani, qui in Russia degens ex vulneribus nondum conualuerat, Palatinatum (id est, dominatum) Valachiæ ad Iuoniam defert, eumq; per speciem mercaturæ exercendæ, in Valachiam, addito ei numeroso equitatu, vt omnes in verba ipsius, iussu Selymi, iurent, mittit. Dicitur ea de re Augustus rex cum Selymo expostulasse. At ille respondit, Iuoniam in Valachiam caussa mercaturæ exercendæ profectum esse. Iuonia in Valachiá veniens, facilè ab omnibus iuramentum accipit. Est arx in Valachia Chocimum, natura loci munita, quam firmo præsidio Bogdanus firmauerat: hanc præsidiarij milites Turcis dedere nolunt, sed eam contra vim ipsorum strenuè defendunt. Bogdanus de rebus domesticis turbulentis certior factus, vt se contra vim Turcarum tueretur, ac defenderet, auxilium sibi ex fœdere ab Augusto dari postulat: cui quatuor millia equorum, plus minus, dantur, ductore Nicolao Mieliecio, Palatino Podoliæ vigilantissimo, sapientissimoque, vt ipsum in Valachiam reduceret: sed incassum. Nam adeò vires Turcarum in Valachia inualuerant, vt ille totus exercitus cum Bogdano in Valachiam missus, collocato Chocimi Bogdano, in Russiam incolumis regressus sit, non tamen sine cæde Turcarum: qua in expeditione, præclara virtus cùm aliorum, tum verò Nicolai Herburti, nobilis ac egregij viri, belloq; clari, enituit: qui vndique ab equitatu Turcico septus, eorum acie perfracta, multis occisis, ad suos nullo lethifero vulnere accepto, saluus redijt. Bogdanus verò, aliquandiu Chocimæ moratus, eam arcem, quàm firmissimo præsidio potest, munit: qua Dobrosolouio, stirpis Polonicæ viro egregio, commissa, ipsemet in Moschouiam fugit, illicq; degere dicitur. At Dobrosolouius, nonnullo temporis spatio Chocimensi arce retenta, eam pòst Iuoniæ tradere, ita iubente Iasolouiecio, magistro equitum campestri, cùm id Augustum velle (cuius tum mors nondū diuulgata erat) dictaret, coactus fuit. Iam Iuonia omni turbulento statu Valachiæ composito, eum pacatè obtinebat, tributum solitum Selymo pendens: ex his quoque supplicium, quos sibi aduersari videt, sumit: præsertim ex propinquis Bogdani, summo loco ortos, opibusque florentes, crudeliter contrucidat, fortunæ suæ impendentis immemor, paulò insolentiùs victoriam exercet. Erat Palatinus Transalpinæ Va-

Iuonia sollicitat purpuratos.

Selymus Valachiam ad Iuoniam defert.

Augustus iuuat Bogdanum.

Iuonia Chocimum traditur.

Consilium Palatini Valachiæ Trãsalpinæ.

lachiæ, quem non mediocriter fortuna Petri fratris sollicitabat. Quare de eo anxius, Selymi purpuratos in regia prensabat, vt, quemadmodum Bogdanum Iuonia, fultus auxilio Selymi, ex Valachia ciecerat: sic Petrus adiutus auxilio eiusdem, posset Iuoniam eijcere. Quare eadẽ via purpuratos, qua olim Iuonia, aggreditur: & si Palatinatum Valachię apud Selymum fratri Petro impetret, se duplo maius tributum, hoc est, centum viginti millia nummûm aureûm, daturum pollicetur. Iuoniæ fidem esse suspectam, qui religione Mahometana spreta, iterum Christianam susceperit, ideoque Christianis apprime faueat: foreque breui vt Bogdanum secutus, pòst ad amicitiam Polonorum se conferat, quorum auxilio adiutus, Turcicum imperium abijciat. Purpurati, magnitudine tributi pellecti, ac hisce verbis moti, Selymo suadent, vt missâ legatione ad Iuoniam, ipsummet ad se venire iubeat, illique quem eò mitteret, Valachia cedere. Quòd si dicto ipsius minùs pareat, id se armis consecuturum. Selymus, qui ingenti cupiditate pecuniæ flagrabat, post profusum ærarium in classem quæ in Ionio mari à Venetis, post captam ab ipso Cyprum, in alto deprehensa fuit, ad id se facilè pertrahi patitur. Quare legatum ad Iuoniam mittit: quem sic verba fecisse, quæ dies erat vigesima prima Februarij, cùm Henrico Gallo à nostris Cracouię diadema imponeretur, accepimus: Selymus Turcarũ Cæsar, Iuonia, Palatini Valachiæ, me ad te tributarium suũ, cum hisce mãdatis, quibus te quàm primùm, nulla mora interposita, satisfacere vult, mittit, vt sibi tributum, nõ quale olim, sed duplo maius, nimirum centum viginti mil-

Purpurati assentiẽtur Selymo.

1571.

Oratio legati Selymi ad Iuoniam.

millium nummûm aureûm, mittas. Ni feceris, est alius qui idem se tributum ipsi sua cum posteritate daturum pollicetur. Sed Selymus, memor constantiæ, virtutis, fidei tuæ, non vult tibi in imperio Valachiæ molestus, si id tributum quamprimũ mittas, esse. Quòd si id detrectas, cede alteri, ac è vestigio simul mecum ipsemet, ad dicendam caussam, Constantinopolim proficiscere. Si tibi id molestum est facere, Selymus me tibi denuntiare iussit, se cum firmissimo equitatu, alium ad occupandam Valachiam missurum: cuius voluntati si tu aduersabetis, te ad extrema quæque adducet: tibique non solùm de regno, sed de vita periclitandum erit. Hæc legati verba in animum Iuoniæ, altiùs quàm quisquam existimare potuit, ascenderunt. Quare dissimulata animi ægritudine, legatum suos in hospitium deducere iubet: rem esse maioris deliberationis, quàm vt eadem die legato possit responderi: ac, cùm ad totum Senatum pertineat, eum se extemplò conuocaturum dicit, ac ea de re, tam ardua & difficili, consulturũ, quidq; omnes animi habeant, se ei statim dicturũ. Deducto legato in hospitium, omnia postulata Selymi animo pẽsat: gentem vniuersam Turcicam esse perfidissimam, quæ Christianis regibus fidẽ iuramento cõfirmatam (quamuis ipsemet Christiana fide abiurata, nescio quo pacto iterum Christianus fuerit) nõ seruet, sed captata occasione eos in fraudem inductos fallat, decipiatq;. Si id tributum, tam amplum, in tãta inopia regni, quod ciuilibus bellis exhaustum sit, cõcedat, eo Selymũ minimè contentũ fore, sed illud insequentianno aucturũ esse, taleq; demum exacturũ, qua-

Perturbatio Ioannis.

Consultatio Ioannis.

le cum vniuersa gente non possit dissoluere: nec se iam tutum fore, exorto alio qui hæc imperata sit facturus. Quare vniuerso Senatu ad se conuocato, in hunc modum ad eum verba fecit: Si vnquam de re ardua ac difficili vobis consulendum, deliberandumque fuit, hoc certè tempore est. Nam Selymus incredibili auaritia æstuans, nescio cuius instinctu, non contentus eo tributo quod ei pendere soliti sumus, duplo maius à nobis extorquet. Si concesseritis, mea nihil refert: vtpote cùm non mihi, domino, sed vobis, liberisque vestris pendendum sit. Quòd si id negamus, extemplò vim, bellum, direptionem oppidorum, incendia, rapinas denuntiat. In hac igitur inopia regni nostri, quod est vniuersum ciuilibus bellis exhaustum, quomodo ei illud dissoluere poterimus? Proinde quid omnes animi habeatis, exponite. Ego quidem illud animo prouideo, si tam amplum ac immensum tributum Selymo iam concesseritis, minimè eum fore contentum, sed singulis annis maius exacturum, donec opes nostræ planè exhaurientur. Præstat igitur vitam pariter cum vxoribus, paruisque natis amittere, quàm tantum dedecus pati. Nec fortuna mea adeò angor: cùm sciam illud vobis esse pendendum, non mihi. Quare si hanc indecoram, flagitiosamq; seruitutem non vultis pati, omnes absque vlla cunctatione dicite. Ego certè diligenter prouidebo atque curabo, vt huic Ethnico cani, non solùm hoc nouum, tamq; amplum tributū dem, sed ne vllum planè deinceps pendam, dummodo vos mihi non defueritis. Scio, collegæ carissimi, quid ego vobis debeam, quid Reipub. vestræ: pro quorum salute ac incolu-

Oratio Iuoniæ ad Senatum.

incolumitate vitam meā profundere paratus sum. Hæc vbi dixit, tacitus mœror, ac insolitū silentium, vniuersum Senatum cœpit: tandem tanquam graui somno expergefacti, fremunt. Seruitutem sibi à Turcis imperatoribus multiplicari. Iuoniam non tam luculenter quàm verè de tributo loqui. Mori se malle, quàm tantum dedecus, summa cum turpitudine coniunctum, pati. Proinde, vxores, liberos, ac quicquid precioſioris supellectilis habeāt, in arcem Chocimensem, cuius munitioni fidant, se importaturos, ac ibi omnia se collocaturos, pollicentur, seq; Iuoniæ proprijs sumptibus militaturos, hostique ad Danubiū, qua parte ad se delendos veniat, vnà cum illo occursuros, cum eoque ad vltimam dimicationem congressuros: quæ omnia se iureiurando facturos confirmant. Iuonia, omnium constanti voluntate cognita, paucisque verbis collaudata, fidem aciusiurandum omnes inter se dare iubet, vt simul secum iunctis armis, Turcas ad internecionem persequantur: se verò etiam atque etiam diligenter curaturum, vt non solùm influentes copias Turcarū, à ceruicibus Valachiæ reijciat: sed longè, lateque eorum regno euastato, honestam pacem ac quietem vnà cum eis sibi comparet. Accepto ab omnibus iuramento, legatum ad se Selymi accire iubet: cui tale responsum audiente Senatu dat: Equidem pro veteri fide mea, quam datam Selymo domino meo conseruare solitus sum, de dando tributo libenter parârem, ni voluntatem meorum ab eo abhorrere scirem: qui quæque acerbissima ac durissima ferre malint, quàm eam indecoram seruitutem, nulla ratione ferendam. Quare, cùm id à meis nullo pacto

Mœror Senatus Valachiæ.

Iuonia legato respōdet.

extorquere queam, Selymum me, ne in malam partem accipiat, vehementer precari: cuius amicitiam mihi ornamento & præsidio, non detrimento esse velim: ideoq; me ea spe Palatinatum Valachiæ ab illo & petijsse, & ob meam singularē fidem in ipsum, obtinuisse. Quę spes ne me fallat, etiam atque etiam oro. Hisce dictis legatum, nulla mora interposita, è finibus Valachiæ excedere, eumque nullis muneribus, vti alios legatos solitus erat, ornatum, equites Valachicos ad ripam Danubij deducere iubet. Quæ res ipsi haud mediocrem suspicionem attulit, Iuoniæ animum esse à Selymo alienum. Iuonia, respōso dato legato, ad comparandum exercitum continuò animum adiecit: vbi illico omnes pedites stipendio militari inautorati: quiq; equo stipēdia merere soliti erant, ad Iuoniam cōueniunt: qui iuramēto se iterum atq; iterum obstringunt, se contra Selymum, tam crudelem dominum, ad internecionem, supremamque dimicationem, pugnaturos, omniaq; potiùs, patriam, vitam, vxores, carissima pignora liberos, amissuros, quàm Palatinum suum deserturos. Tributum autem se statim exacturos, in idque collaturos, vt Iuonia equitibus Polonicis, quorum tum maxima opinio virtutis esset, militari stipendio inautoratis, expedita opera eorum in bello contra Selymum vtatur. Quo consilio Iuonia auidè arrepto, credidit illos fideles erga se fore. Itaque legatū suum Cracouiam ad Henricum & vniuersum Senatum, eum de statu rerum Valachicarū certiorem faciens, mittit, in quo periculo constitutæ sint demōstrans, auxiliumque ab ipso petens: sibi enim cum Selymo acerrimum bellum fore. Reges Poloniæ cum Palatinis

Iuonia legatum ex Valachia excedere iubet.

Iuonia exercitum comparat.

Legatio Iuoniæ ad Henricū regem Poloniæ.

tinis Valachiæ semper fœdus religiosissimè conseruasse, ac eos contra Turcicos imperatores defendisse, semperque hos regum Polonię clientes fuisse: ob eamque caussam tanto temporis spatio regnum Poloniæ saluum ac incolume stetisse: alioquin, Valachia armis Turcicis occupata, statim regnum Poloniæ in summo discrimine futurum. Nunc se regem maximopere orare, non vt aliquo conductitio milite se iuuet, sed vt Camienieciæ, Leopoli, passimque in reliquis oppidis, per præconem proclamare iubeat, quicunque in Valachiam ad accipiendum stipendium militare proficisci velit, Palatinum tantum ei stipendium numeraturum, quantum ipse poscat: plus enim apud se omnium incolumitatem, quàm impensas valere. Hisce Henricus auditis, se Iuoniam nullo auxilio posse iuuare respondet, nec cuiquam, vt ad promerendum stipendium in Valachiam proficiscatur, permissurum: idque ideo, quòd supra centum annos antiqua fœdera regibus Poloniæ cum Turcicis imperatoribus sint. Iuonia tristi nuntio ab Henrico de denegatis auxilijs perturbatus, fit à suis certior, leuem armaturam equitum Polonicorum, qui ad Borysthenem & Ponti ostia, caussa prædæ acquirendę degunt, esse: gentem tot bellis induratam, vt eis ad vincendum nihil ardui sit: iam eos domum nulla præda consecuta regredi velle: ad eos igitur subitò internuntios mittendos censent, vt ad ipsum in Valachiam veniant, qui eis paratum stipendium, quantum velint, dissoluturus sit, modò opera eorum contra Turcas, quos ipsi etiam oderint, vtatur: vim totam belli in eo equitatu sitam esse. Iuonia consilio suorum ar-

Henricus Palatino respondet.

repto, subitò vnum atque alterum internuntium ad illos ipsos equites (qui velites optimo iure nominari possent, eò quòd nusquam in loco certo consistunt, solùm abacta hostili præda, huc illuc per loca hostium auia, abdita, occulta, vastamque eorum regionem euagantur) mittit, vt ad se quam primum veniant: esse quod cum eis de rebus eorum loqui velit. Quòd si quas occultas insidias pertimescant, eis apertè denuntiare iubet, Palatino graue bellum cum Selymo Turcarum imperatore imminere: quod cùm gerendum susceperit, si stipendio militari inuitorari velint, Palatinum velle eis, non solùm in vnam partem anni, aut semestre, sed & singulis diebus tantum constituere quantum ipsi poscant.

Velites in Valachiam proficiscuntur.

Quæ cùm ad aures Kosacorum (sic enim ij velites à nostris vocantur) ab internuntijs perlata fuissent, nihil de Henrico rege cogitantes, id iter suũ in Valachiam voluntati ipsius aduersari, ex illis ipsis patentibus campis ad Palatinum in Valachiam proficiscuntur: qui de more, gloriæ ac prædæ, tam sibi quàm heris suis acquirendæ caussa, in illos vastissimos campos, permissu suorum herorũ excurrunt, vt aliquo numero Scytharum vel Turcarum comprehenso, quid in solo eorum agatur, vel quæ consilia hostium sint, scire possint. Nam quamuis Turcæ ac Scythæ pacem cum regibus Poloniæ seruare videntur, eiusdemque volunt cupidi videri: tamen ingẽti manu suorum coadunata, solum Podolicum ac Russicum effusè depopulari, magnaque damna inferre solent, ni subitò velites eis occurrãt, ac nonnulla manu suorum subnixi, numerosas eorum copias fugant. Erant autem ij præcipui ductores velitum.

tum. Suierceuius habuit sub signis ducentos equites, vir omnibus artibus, pariter militaribus, instructus, viribusque pollens. Barsanus ducentos duxit. Braslauiensium quoque erant ducenti. Hi sese omnes Suierceuij imperio commisère, nec sine ipsius voluntate cum hoste cõgredi ausi. Coslouius quoque ducentos duxit: Stusenius itidem: Iancius centum: Socolouius totidem. Qui omnes in Valachiã simul ad Palatinum omni metu depositio, profecti fuêre. Postquam igitur velites fines Valachiæ attigere, de his Iuonia edoctus, extemplò, qui eos honorificè nomine suo, ac liberaliter exciperẽt, commeatumque ac rerum omnium copiam, quęque ad victum necessaria essent, liberaliter suppeditarent, mittit. Cùm ad secundum lapidem à castris Iuoniæ velites cum ductoribus Valachicis abessent, de eis Iuonia certior factus, ipsemet cũ pulcerrimo equitatu, adiunctus sibi aliquot ex Senatu, obuiam eis proficiscitur: vt se exhibito, animique sui in eos voluntate declarata, illos pòst obsequentiores haberet, ac ad quæuis pericula adeunda alacriores: vbi in conspectum eorum venit, præ nimio gaudio, paucis verbis salutatos, singultus vi lacrymarum impediente, ne verbum quidem proloqui potuit, sed secum ductoribus illorum acceptis, eos sese in castra comitari iubet: vt militari conuiuio exceptis, pòst cum eis de periculis imminentibus suis, de belloq; sibi Selymi ingruente, liberiùs loqui possit, reliquis se sequi iussis. Vbi in castra ventum est, bombardarum maiorum artifices ingentem boatum edere iubet, sic vt cælum sonitu resonare, terra strepere visa fuerit. Postquam satis concentui datum fuit, tot

Ductores exercitus Kosacorum.

Iuonia ad velites proficiscitur.

pedites è numero suorum, quot equites velitum erant, egredi iubet, vt singulorum equis acceptis, quod satis pabuli esset, darent, eosque curarent. Hisce ira imperatis Kosacos non certè militari prandio, sed magnifico ac copioso conuiuio excipit. Ductores illorum, suosque proceres, secum in tabernaculum, quod in patenti campo erectum erat, ducit, eosque secum epulari, vbi & senatus erat, cogit. Reliquos Kosacos in aliqua tabernacula ductos simili ratione tractare iubet. Postquam epulæ remotæ fuêre, iubet aliquot argenteas patinas nummis aureis onustas afferri, ac ex eis tantum ductoribus Kosacorum, eorumq; ministris apponi, quantũ satis esset: dictitans, id eis eo nomine se largiri, vt longinquitate itineris fatigati in balneis lauent, corpora; curent. Illi pariter pudore ac quadã admiratione defixi, se accepturos negant. Sed vi coacti, ac precibus non solùm Iuoniæ, sed & procerum Valachicorum fracti, accepêre, gratijsque actis pro tanta in se munificentia Iuoniæ, omnes assurgentes, in conspectu eius stetêre. Ille dextra eis ad lævam partem castrorum suorum, quę in proximo erant, vt ibi stationem haberent, innuit. Deinde mittit eis sex grandia vasa vini generosissimi, sexcentosque thaleros, vt illud in memoriam nominis sui exhauriant. Nam alioquin illi militi aqua solùm in illis vastis solitudinibus perpetuus potus est. Ad hæc parochos ipsdem, ne quid omnino tam ipsis quàm ipsorum imentis desit, addit. Appropinquante luce, ipsemet ad ductores velitum venit: quos, vt in tabernaculum suum veniant vnà cum comitatu suo, orat: esse quod ad eos de summa rei referat, & quid eos facere velit, omnibus exponat. Qui vbi alacres venêre, talem orationem ad eos lingua Polonica habuisse dicitur. Si de vestra fide, virtute, constantia, fortissimi equites, certò mihi non persuasissem, nunquam hoc difficili ac periculoso tempore, vos procul è patria vestra euocassem. Sed cùm hæc omnium constanti ore celebrata fuisset, vos huc euocaui, vt mihi operam vestram & industriam, in hoc bello gerendo contra Selymum, infensissimum hostem, præbeatis: pro qua nauata si vobis certum stipendium militare constituere velim: non mediocriter pertimesco ne meritis vestris minùs dignum præmium detur: sed, quicunque successus nostri contra hunc terrimum hostem erunt, omnia vobis, milites, à me largè suppeditabuntur, commeatus, pecunia, equis pabulum, ac id genus alia ad eam rem pertinentia. Ego vos, pristinæ virtutis memores, ita vos gesturos esse hoc in bello arbitror, prout de vobis omnium opinio est, ac eam in animo meo excitastis. Vobis autem summas, perpetuasque gratias, & ago, & habeo, quòd ad me, hominem Christianum, ipsi etiam Christiani veneritis: quorum voluntatis erga me, semper gratum ac memorem me fore polliceor. Qui etsi pro magnitudine periculi mei pauci estis: tamen non minùs mihi gratus est conspectus vester, quàm si duodecim millia mihi in auxiliũ alicunde missa fuissent. Quare qualecunq; stipendium volueritis, id me vobis dissoluturum recipio. Nec vos vires Turcarum ita animo pensare velim, quasi à nobis vinci non possint. Fateor eos hactenus miro successu vsos fuisse, qui à sordidissimo initio orti, in tãtam amplitudinẽ peruenêre: sed quæ ab eorũ per-

Iuonia Velites tractat.

Iuonia ad se Kosacos accersit.

Oratio Iuoniæ ad Kosacos.

fidia, non virtute, profecta, summo cum scelere cõiuncta sit. Fateor item Deum immortalem cõsuesse, quò grauiùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velit, his secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere. Sic Turcæ si hactenus felici successu vsi sunt, id ita volente ac permittente Deo factum est, vt quantò altiùs ascenderunt, tantò grauiùs corruant. Plura loqui me vis lacrymarum non patitur. Qui sit animus erga vos meus, vos optimè & perspicere, & intelligere posse video. Quemcunque casum fortuna inuexerit, hũc vobiscum communẽ ducam. Hæc proloquuto Suierceuius pauca pro omnibus militari ac rudi sermone sic respondisse, dicitur: Non stipendium tuum, Iuonia, vt ad te veniremus, nos pellexit: quod nos semper pro minimo duximus: sed potiùs virtus nostra singularis, vt cõtra hunc fœdissimum ac acerrimum Christianorum hostem pro incolumitate tua dimicemus. Stipendium non curamus: qualis tandem fortuna nostra futura est, exitus belli declarabit: satis à te remunerati videbimur, si hoste tuo intra fines regni hisce nostris dextris represso, honestam pacem cum eo habueris. Tu verò quid postea nobis præstare debebis, fortuna nostra id te docebit. Nec vires Turcarum horremus: quorũ successus quales tandem adhuc erunt, eos diuinæ prouidentiæ iam cõmittendos censemus: nos in hostem intenti erimus, vt eum à iugulis tuorum auertere possimus. Oratione Suierceuij Iuonia confirmatus, ductores Kosacorum secum prandere iubet, quibus epulum dat: alteram mensam Logafetus, Veremias magi-

Suierceuius proomnibus Iuonia respondit.

ster equitum, cum reliquis Senatoribus occupat. Hæc acta sunt vigesima die Martij. Cæterùm Selymus audito responso Iuoniæ, simul ira, indignatione que accensus, (quam legatus amarulentis verbis, eò quòd nulla munera à Iuonia acceperat, auxit) sine mora Palatino Transalpinæ Valachiæ triginta millia Turcarum, duo Vngarorum mittit, vt coadunata suorum manu, Iuoniam capiat, eoque ad se misso, ipse totam Moldauiam occupet, in eaque Petrum fratrem suum, Palatinum constituat. Is mandato Selymi alacriter suscepto, suisq; ad arma conuocatis, simul cum Turcis ac Vngaris flumen Moldauam tranat. Erant ferè omnium centum duo millia fortissimorum virorum. Qui non solùm Iuoniam è Valachia eijcere poterant, sed & quemque fortissimum regem bello lacessere ac vincere. Hinc nocturno, diurnoque itinere fatigati, vt tam sua quàm equorum corpora reficerent, nil de Iuoniæ inopinato aduentu suspicati, in loca herbida, quæ supra flumen latè patent, equos effusè euagari patiuntur. Interea speculatores ad Iuoniam prandentem veniunt: flumen Moldauam maximam vim hostium tranasse, quibus Turcæ simul cum Vngaris intermixti sint: nec eorum certum numerum sciri posse, sed supra centum millia esse suspicari: nunc omnes equis in pascua læta missis, se quieti dedisse. Quos si Iuonia cũ parata suorum manu aggrediatur, facilè ad vnum deleri, vinciq; posse. Hæc tanta alacritate animi à Iuonia audita fuêre, vt Suierceuium cum suis confestim præcurrere, datis ei sex millibus Valachorum, qui linguæ Turcicæ gnari, omnia certiùs cognoscerent, iusserit: ipsemet verò

Indignatio Selymi in Iuoniam.

Exercitus Palatini Trãsalpinæ Valachiæ contra Iuoniam.

Iuonia fit de hostibus certior.

cum ſuis, quoniam paulò onuſtiores armis erant, ſubſequitur. Suierceuius omnes orat, vt, ſi læta ex hoſte victoria potiri velint, quanto ſilentio poſſint, ad hoſtiũ caſtra nullo clamore diſſono, aut tumultũ edito perueniant. Hiſce ita inter ſe compoſitis, in ſpeculatores Moldauorum, qui ſupra caſtra ſuorum ſtationes, ne quis impetus in quietos fieret, agebãt, incidit. Erant verò hi quadringẽti: qui omnes à Kosacis circumuenti capiuntur. Quos primò benignè, demum minaciter alloquuntur, quid cõſilij hoſtes habeant, vbi ſint, quid agant: ſi indigna nolint pati, vt exponant, coguut. Illi ſuppliciter & ingenuè, præſentis periculi metu perterriti, fatentur, Valachos Tranſalpinos pariter cum Turcis, quibus intermixti Vngari ſint, non tam longinquitate ac difficultate itineris fatigatos, quieti ſe dediſſe, ac corpora curare, quàm vt Iuoniam vegetiores inopinatum aggrediãtur. Quos ſi iam ſecuros ac omni cura diſſolutos inuadat, eum facilè compotem victoriæ futurum. Valachorum Tranſalpinorum non eſſe amplius ſeptuaginta millia, Turcarum triginta, Vngarorum tria. Hiſce Kosaci cognitis, ſubitò ad Ioannem nuntios mittunt, in quo ſtatu res hoſtium ſint, eum certiorem faciunt: vt cum ſuis maturè (in manu enim victoriam eſſe) approperet. Ipſi verò non procul ab hoſtium caſtris, duabus horis ſtationes, vigiliasque taciti agunt, ne vſquam hoſtis commoueatur, aut quicquam incipiat. Quæ vbi celeriter ad Iuoniam perlata fuiſſent, ſtatim ipſemet adeſt, Suierceuiumque ſuos diſponere, ac quamprimum cum hoſte confligere iubet. Ipſe verò, quoniam multitudine abundabat, ſua acie in longitudinem extenſa, tribus ex

Capiuntur ſpeculatores.

Iuonia de ſtatu hoſtiũ cognoſcit.

ex partibus hoſtium caſtra, omni præſidio nudata, aggreditur. Suierceuius parte ab altera cum ſuis citatiſſimè ad hoſtem, antequã Iuonia acceſſiſſet, peruenit: ibiq; ſublato clamore, caſtra hoſtium inuadit. Hoſtes, ignoto & horribili ſonitu repente exciti, neque fugere, neq; arma capere, neq; omnino facere, aut prouidere quidquam poterãt. Ita cunctos ſtrepitu, clamore, & nullo ſubueniente, Koſacis inſtãtibus, tumultu, terrore, formidine, quaſi vecordia ceperat. Ecce tibi in tanta ſtrage hoſtium ſubitò Iuonia cum ſuis adeſt: qui & ipſe ſtratos ac perturbatos egregiè cædit. Fugæ nuſquam locus eſt. Nam Moldaui procul equos à ſe in paſcua abegerant, nec quomodo fugerent habebant: omnes nudi, inermesq; hoſti, ad primos ſucceſſus victoriæ exultanti, iugulũ præbent. Fit toris caſtris plãctus, gemitusq;. Ex tanto numero hoſtiũ nemo, præter Palatinum Tranſalpinæ Valachiæ, vnà cum Petro fratre, quem in Valachiam fretus tãtis copijs deducebat, fugit. Hi igitur, conſcenſis equis, qui in tanto periculo vix eis oblati erãt, pernicibus, per lacũ qui ex Danubio oritur, tranant, peruenereq; ad arcẽ Brailouienſem ad præfectum Selymi: reliqui omnes ad vnum cæſi, alitibusq; obiecti. Tum ſpectaculum fuit horribile, in cãpis patẽtibus omnes viri afflicti: ac multi vulneribus acceptis, neq; fugere poſſe, neq; quietẽ pati, niti modò, & ſtatim cõcidere. Poſtremò, omnia quà viſus erat, cõſtrata telis, armis, cadaueribus: & humus infecta ſanguine. In caſtris multũ opulẽtiæ repertũ fuit: quæ Iuoniæ omnis ceſſit: quam ille militibus, in primis verò Koſacis dat, qua plurimùm ditati fuêre. Iuonia in ijſdem caſtris quatriduum moratus, vt

Stratagema Iuoniæ.

Prima cædes hoſtiũ.

Fuga Palatini cũ fratre Petro.

Caſtra capiuntur.

suorum corpora cæde hostium defatigata, viribusq; exhausta reficeret, cadauer Palatini ac fratris Petri summa cura requirit. Quo haud reperto, rectà exercitum in regionem Palatini Valachiæ Transalpinæ inducit: castella, oppidaq; & natura, & viris parum munita, adgreditur: quosque obuios nulla fœminei sexus ratione habita, necare, puberes interficere, villas & vicos pariter cum oppidis igne succendere imperat. Triste ac miserum ibi spectaculum fuit, cùm illam partem Valachiæ Transalpinæ omnes fumantem, ac flamma relucentem aspiciebant. Trahebantur senes ad cædem, rapiebantur parui pueri ad necem, matronæ pariter cum virginibus stuprabantur: quæque crudelissima & acerbissima perpetrabantur. Iuonia vniuersos laudat, atque agit gratias: hortatur ad cætera quæ leuia sunt, parem animum pro victoria gerant: satis iam pugnatum: reliquos labores pro præda fore. Hac tali populatione victor exercitus ad Transyluaniam, siue Sedmigrodensem regionem peruenit: visaque Brailouiensi arce, iter ad inferiorem Danubij ripam deflexit. Ibi cognoscit Palatinum Transalpinæ Valachiæ vnà cum Petro fratre esse in arce: itaque protinus aduersum illud oppidum suos ducit. Est ciuitas Brailouiensis supra Danubium sita: quæ arcem percommodam habet, & natura loci & firmo præsidio bene munitam. Ibi Iuonia non procul ab oppido Brailouia, arceque, nactus locum percommodum communiendis castris, sic vt ex arce tormentis muralibus nulla ratione infestari posset, aberat. Hinc scribit literas ad præfectum arcis, easque duobus captiuis Moldauis perferendas committit: quibus illum orat

Iuonia Palatini ditionẽ vastat.

Castra Iuoniæ ad Brailouiam.

orat vt Palatinum Transalpinæ Valachiæ, perennẽ hostem suum, vnà cum Petro fratre, qui ob nullum ipsius maleficium bellum ipsi intulerint, ac post infeliciter tentatũ prælium ad eum ex acie fugerint, exemplo sibi tradat: alioquin se exercitum ab oppido non remoturum, donec vi adactus eos dedat. Ad has literas sic præfectus arcis, per quatuor Turcici sanguinis, (quorum duo oppidani erant, duo ex arce domestici) respondet, ac simul Iuoniæ decem globos grandes tormentarios, totidem minores cũ duabus sagittis mittit. Audio te (inquit) ministrum esse Selymi: ideo rationem tui habeo: eos minimè apud me esse, quos petis, nego: sed cùm ad aures meas perlatum fuisset, te ingentem multitudinem exercitus Cæsaris cecidisse, qui mandatis ipsius parentes, in Valachiam Petrum fratrẽ Palatini Transalpinæ Valachiæ deducebant: edico tibi, nisi hinc obsidionem quam primum solueris, huiusmodi ferculis cum tuis pascéris: quibus vnà cum exercitu tuo satiatus, pòst ructabis. Hoc tale responsum tantam Iuoniæ indignationem mouit, vt illis ipsis internuntijs quatuor comprehensis, naribusq; eorum simul cum labijs ac auribus præcisis, pedes singulorũ sursum versos longissimæ trabi ferreis clauis affigere iusserit, eosque terram capitibus attingentes ante oppidum sclopetarios ferre, abijcereque imperarit. Horrendum id omnibus spectaculum fuit: quo Iuonia præfecto arcis demõstrare voluit, eum similem exitum vnà cum profugis manere. Hoc tali tristi exemplo edito, nulla mora interposita, pedites scalis in eum vsum paratis, admotis, mœnia vrbis clamore sublato conscendere iubet. Nec consilium euentus

Responsum præfecti arcis.

Iuonia indignatio in internuntios.

Nouum genus crudelitatis.

Celeritas peditum.

moratus est. Nam pedites tanta celeritate sese sub mœnia oppidi insinuauêre, vt priusquam oppidani sese ad resistendum opponerent, euaderent in murum: quo diruto, totus exercitus in oppidũ irrupit.

Capitur oppidum, ac cædes ingẽs.

Ibi ingens cædes Turcarũ facta fuit, neminiparsum: vbi ex cæsorũ cadaueribus sanguis instar riui in Danubium profluxit: parui pueri ac vberibus matrum abrepti, vagientes occisi. Quatriduum ibi in cędibus perseueratum est: in locis abditis ac occultis latitantes homines quæsiti, ex latebrisq; ad cædem tracti: tota vrbs direpta, ac per iram incensa, nullo hominum, ac ne canũ quidem inter incendia, ruinasq; reuicto. Plurimum ibi auri, argenti, pecuniæ signatæ, vestium, margaritarum, repertum est: quæ omnia prædæ militum cessêre. Erat ea ciuitas in illis locis omnium opulentissima, eò quòd post occupatam à Turcis Græciam, multũ diuq; in pace vixit: qua parta, nullo motu belli conquassata, supremã dum clata,

Funditus deletur vrbs.

dem adijt. Nam à victore hoste ne vna quidem domus integra relicta fuit: omnia euersa ac solo adæquata fuêre, præter arcem, quæ omni præsidio vrbis nudata, sola relicta fuit. Ad quam capiendam Iuonia suos admouere voluit, ni à præsidio, quo arx validè firmata fuit, clades pœnitẽda subeũda foret. Interea Iuonia in direptione vrbis occupato, speculatores adsunt, qui ipsum certiorẽ faciunt, quindecim millia Turcarum magnis itineribus in subsidium arci Brailouiensi venire. Quibus ille cognitis, ac nihil tã multitudine hostium territus, confestim Suierceuium cum Kosacis, additis ei octo millib. equitũ Valachicorum, contra illos mittit. Ad quos vbi is præproperè aduolasset, nullo illis spatio ad recolligẽdas vires

vires dato, cum eis alacriter prælium init. Omnes occisi ac perempti, præter mille equites, quos fuga subtraxit. Quibus Suierceuius insecutis, multos pellat & cædit. Qui cædi supererãt, fuga ad arcẽ Teinensem, quæ ditionis Turcarum erat, delati sunt. Erant in proximo, nõ procul ab illa ipsa arce, Turcatũ copiæ, quibus agmina Scytharũ intermixta erãt. Subitò Suierceuius ad Iuoniam cum læto victoriæ nuntio mittit, certissimam ex hoste victoriam pollicẽs, modò omissa oppugnatione arcis Brailouiẽsis, cum omnibus copijs absq; mora adsit. Ille, tam læto nuntio accepto, arce Brailouiensi neglecta, cuius expugnationẽ & sibi difficilem, & periculosam esse sciebat, ad Suierceuium celeriter venit. Quo cum consilijs cõmunicatis, simul illas ipsas copias aggressi delent, & ad internetionem dant. Hinc ad oppidum Teinense exercitus admotus. Quò facilè, sine vllo oppugnationis labore, & expugnato & capto, omnes oppidanos, pariter cum fœminis, crudeliter, ne vno quidem ex tantà multitudine relicto, necat. Hoſce Iuoniæ successus Suierceuius cum suis Kosacis adiuuabat. Nam primus semper cum Turcis hastatis prælium inibat: in prima frõte equites cum torrentis manuarijs locabat: quorum horrẽdo sonitu, crebrisq; ictibus globorum, semper Turcarum aciem nõ mediocriter turbabat. A dextro cornu eis sagittarios opponebat: qui grandine sagittarum immissa Turcicas acies vulnerabant. A lęua parte erant locati, qui erectis breuioribus lanceis, in omnẽ occasionẽ intenti, Turcas eis cõfodiebant. Quos Suierceuius ab his cõturbatos, cędi Valachorũ obijciebat. Interea sexcẽti Kosaci oppidũ Bialodrogense versus,

Victoria Suierceuij.

Alia copiæ Turcarum.

Iuonia ad Suierceuiũ venit.

Oppidum à Iuonia capitur.

Stratagema Suierceuij.

quod est ditionis Turcarum, citato agmine proficiscuntur: quo direpto ac succēso, dimidiata parsipsius fœdo incendio conflagrauit. Plurimum ibi prædæ nō ignobilis repertum fuit: qua militi obiecta, multum ea ditatus fuit. Iuonia verò cæde Turcarum fatigatus, læta quiete, non procul ab arce Teinicensi, quam nudum in patentibus campis reliquerat, per octiduum suos reficiebat. Vbi iterum repete fit certior, Turcarum simul cum Scythis aliquot agmina, ab oppido Bialogrodensi proficisci, qui in proximo Iuoniam cum exercitu adesse ignorantes, dispalati huc illuc, reperto vado tranabant. Quos procul Kosaci conspicati, orant Iuoniam vt ipsis potestatem illos inuadendi, pellendiq; det. Ad quos sic Iuoniam verba fecisse, vt author est Barholomeus Paprocius, intelleximus. Vestra incredibilis, Poloni fortissimi, virtus facit, hicq; ardor pugnandi, ij vestri successus, vt vobis nolim quicquam à me denegatum esse. Ite Deo comite, proficiscimini felices: hostiumq; exercitus, vt vsu edocti estis, cædite. Tibi autem, Suierceui, hic totus exercitus curæ sit: quos ita contra hostem instrues, prout occasio rerum gerēdarum postulabit. Hæc vbi dixit, Suierceuio tria millia Valachorum, vt eorum opera contra hostem vtatur, addit. Quibus ille acceptis, ei gratias agit, quòd de se tantam opinionem habeat: quam ne fallat, se etiam atque etiam diligenter curaturum. Acceptos igitur Valachos cū Kosacis non miscet, sed ab agmine suorum remotos, ex eis nouam aciem quandam post terga Kosacorum instruit. Suos verò illos ducentos mille Kosacos, in tria agmina disponit. Quadringentos in prima fronte scutis rotundis tectos locat, ac hastatis

Iuoniaexercitum quiete reficit.

Iuonia oratio ad Kosacos.

Suierceuius Iuonia respondit.

hastatis Turcis obijcit. Ipsemet sibi dextrum cornu cum sagittarijs quadringentis sumit. In læuo totidē cum lanceis missilibus locat. Turci eorum paucitatem conspicati, eamque præ se contemnentes, prælio sese expediunt. Qua visa re Suierceuius equites, quos in prima acie collocauerat, tormenta in eos displodere iubet. Quibus turbatis nimbo sagittarū, in eorum agema suis immissis ex læuo latere, eos hastis vrgere iubet. Sic illi ancipiti prælio distenti, (nam in vnicum tantùm agmen coadunati erant) egregiè à Kosacis cæduntur: quibus, qua vi possunt, Turcæ simul conglobati resistunt. Ab initio ferè horam anceps prælium stetit: donec Valachi, post velites à Suierceuio dispositi, intenti in pugnam, vegetes animo ac corporibus, haud secus quàm diu retentæ feræ concitati, cum ingenti clamore ad velites aduolant: qui maxima vi in agema Turcarum turbatum incurrunt, eosque omnibus ex partibus, quibus pedites intermixti erant, aggrediuntur. Pedites nunc equis crura succidunt, nunc ilia suffodiunt: qui in fugam dissipati, omnes ferme terga vertunt, à velitibusque cæduntur. Ex quibus solùm tres desiderati, ex Valachicis centū: sic Polonis pari quo tum insignis victoria stetit. Iuonia ex longinquo tam inclytæ victoriæ spectator fuit. Hostium castra cum impedimentis & capta, & direpta fuēre: plurimum ibi prædę inuentum: quæ viritim militi distributa. Capti erāt hostiū ducenti: qui omnes ad Iuoniam tāquam pecudes adducti fuēre. Quos is inter pedites sclopetarios pellere iubet: qui omnes ad vnum, falcibus maioribus, quibus fœnum secari solet, in frusta conciduntur. Dux illius victi exercitus,

Committitur pugna.

Victoria & situm.

Opulentia ducis.

in poteſtatem Polonorum venit: homo tantæ opulentiæ, vt ſexies ſe liberari atq; redimere, modò ne Palatino viuus traderetur, voluerit, bis auro in altera ſtatera poſito, ter argento, ſemel margaritis. Fuit egregię ac procerę ſtaturæ, ad promerendamq; gratiam habilis. Sed apud Polonos plus fides quam luxuriæ dederant valuit. Nam antè ex tot ſpolijs Turcarum, auro & argento ſatiati, omnes pollicitationes eius flocci pendentes, eum viuum in poteſtatem Ieuoniæ tradunt. Quo cum ille per aliquot dies colloquium de rebus Turcicis habuit: poſthac eum pedibus membratim diſſecandum obijcit. Hinc ad Vſam oppidũ ſuum copias mouit: vbi tot prędijs fracti

Selymi terror.

exercitus vires refocillauit. Interea Selymus, Conſtantinopoli tot Ieuonię victorijs perturbatus, ac territus ne plane Valachia exueretur, acè Græcia (quod illi, opinor, contigiſſet, ni defectio Czarnieuiecij ad Turcas obſtitiſſet) pelleretur: cum ſuis Deo more ſuo ſupplicat. Nam Turcæ peculiarem religionem, à Muamede, ſeu Mahomete, hinc ab anno Chriſti milleſimo ſupra vigeſimum, quam Mahometes Saracenis anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo tertio obtruſerat, acceptam habent. Ne verò quis Saracenos & Turcas eiuſdem ſtirpis aut originis eſſe exiſtimet,

Proponit ſe de origine Saracenorũ ac Turcarũ dicturum.

nonnulla mihi de origine vtriuſq; gentis eſſe dicenda videntur. Saraceni longè ſunt vetuſtiores Turcis. Ij ſedes ſuas, regnante tum Lechone apud Polonos, in ea parte Arabiæ, quæ Petræa dicitur, habuêre, vocabanturq; ab incolatu loci Arabes: ſtipendiumque ſub Heraclio, tum bellum cum Coſtrea rege Perſarum gerente, merebant. A quo ſtipendio militari exautorati, vt ignominiam nomini ſuo inuſtam vl-

ciſcerentur, Mahometo ſe adiungunt: qui Meccæ, in vrbe opulenta, in tanto diſſidio Chriſtianorum de religione, adiutus à Sergio, monacho factionis Neſtorianæ, à Chriſtianis diuerſa docere cœpit. Arabes enim vana opinione ducti, ſe vnicos mortalium eſſe à Sara, vxore Abrahę, genitos, regniq; cæleſtis legitimos hæredes, opinati ſunt: quorum opinioni Muamedes aſſentiendo, eos ad ſe pellexit. Vtq; militarem diſciplinam inter eos conſtitueret, multitudini decem duces, ex nobilioribus, potentioribus, ac ſibi affinitate iunctis præfecit, eamq; in cohortes ac centurias diſtribuit: cuius viribus adiutus, Meccã, vrbem in Arabia opulentam, demũ aliquot oppida capit, ditionisq; ſuę facit. Hinc facilè tota Arabia potitus, venerabilem ſe tot populis prętitit. Poſt cuius

Opinio Arabum de ſua ſtirpe.

Potẽtia Saracenorum.

mortem, apud Saracenos, pontifices ad Caliphum, ſeu Muſtacenum, in Perſide potentes fuêre. Hinc Africa potiti, pariter cum magna parte Hiſpanię, ſæpe Siciliam, quondã populi Romani, victoris tot gẽtium, Prouinciam, Italiã, Galliam, infeſtarunt. Quorum audaciam Carolus Magnus armis vix repreſſit. Poſt, anno Chriſti nongenteſimo ſupra octogeſimũ primum, vel paulò plus, minúsve, Scytharũ multitudo, qui prę cęteris ad orientẽ vergũt, circaq; Tanaim ſedes ſuas habent, domo profecta, ſine duce, ſine legibus, vagi, diſpalatiq;, ex raptu, prædaq; aliquandiu vixerunt: donec Perſas, qui tum Saracenis ſubiecti erant, bello adorti, eorum vrbem magnam & opulentam, Turcem nominatam, occuparunt: à qua ſe poſt eodem nomine Turcas, ſeu Turcos, dici voluerunt. De Turcarum origine alios diuerſa tradidiſſe video: quos aiunt ex Caucaſi portis egreſ-

Asia à Turcis occupatur anno Christi 844

sos, primùm finitimas gentes, & in his Armenios, inuasisse: inde minorem Asiam, abhinc anno Christi 844. ab eis occupatam fuisse. Queq; ipsi de se memorant, nõ omnino diuersa à superioribus esse videtur, quorum hæc sententia est. Gentis authores suæ, ex Caspijs montibus ac finitimis pulsos, in Persidem & minorem Asiam descendisse: nec prius apud eos regiam familiam cœpisse, quàm sint è Scythia profecti, cùm antea sine duce, sine legibus viuerent. Inde (vt sunt humanarũ rerum vices) ex cuiusdã Othomani successu, celebrari vnam familiam cõtigisse: ex qua reges, demum Cæsares creare cõsueuerint, & hodie creent: idq; ita accidisse memorant, vt tres numero fratres, in ampla & regia fortuna à patre relicti, cùm vicissim imperitare cœpissent, siue pudore impedi-ente, siue metu, quum parum tutum esset nõ cedere ætati: duo minores natu, Aleus & Othomanus, regno maiori fratri relicto, domo vterq; cum manu sua profecti, hic Cappadociam, Galatiam & Bithyniam occuparit: ille Carmaniam, Lycaoniam, & eas terras quę Tauro adiacẽt. Et hæc Turci de se memorant: quibus perbellè se Scythas esse fatentur. Cælius Curio, qui Saracenicam historiam scripsit, de origine gẽtis, eorumq; regibus prorsus diuersa tradit: qui vult Turcas originem stirpis ab Hunnis sumere, nec apud eos tum primùm Othomanum regnasse, sed longè antè, ante Trangolipicem Mucaletum. Etenim Saraceni, in aliquot factiones principũ, quitum totam Persidem pariter cum Africa obtinebant, diuisi, inter se domestica bella gerebãt, sese q; cruento cõfodiebãt: orto igitur bello inter Muhumetum, qui tum in Persida regnabat, & Babyloniũ Calyfam, Muhumetes ad se Trãgolipicem, qui è Caucasi mõtis angustijs cum Turcica multitudine egressus, circa fines Persarum vagabundus degebat, accersit. A quo adiutus, Calyfam facilè vincit, superatq; Turcæ igitur ex Perside cum duce suo regredi volentes, transitumq; sibi tutum per pontem qui Araxi flumini impositus erat, concedi à Muhumeto postulantes, (quos ille apud se retinere cupiuit, vt opera eorum contra Indos vteretur) id se facturum detrectat. Illi, simul ira, indignationeq; accensi, (quorum solùm tria millia erant) veritiq; grauius periculum, in Curbãtidem solitudinem sese subtrahunt, indeq; crebris excursionibus agros Saracenorum depopulantur. Quorum ferociam Muhumetes reprimendam ratus, triginta millia Saracenorum cum certis ducibus ad eos delendos mittit. Sed Turcæ, audito aduentu eorum ad se, in densiores solitudines sese subducũt, vt captata occasione Saracenos opprimere possint. Nec consilium eucũtus moratus est. Nam exercitus Muhumetis, Turcas metu cessisse ratus, nullis stationibus habitis, ab eis per insidias contruncidatur. Hac tam insigni clade suorum Muhumetes irritatus, comparata ingenti manu suorum, ipsemet cõtra Turcas, quorum iam exercitus ex colluuie tot gentium creuerat, proficiscitur. Quibuscũ non meliori euentu collatis signis acriter dimicat. Nam Turcæ, assueti Saracenos vincere, Muhumeto occiso, qui equo lapso ceruices, cùm suos ad acriter prelium inundum adhortaretur, fregerat, ex Saracenis facilè victoria potiuntur. Cuius admiratione Saraceni defixi, illũ ipsum ducẽ Turcarum, Trangolipicẽ, regem apud se creant: qui accepta pariter cum suis religio-

Sententia Cursonis de origine Turcarum.

Trãgolipix primus rex Turcarum.

ne Mahometana, vnà cum Saracenis in vnum corpus Reip. coaluit. Trangolipix igitur à Saracenis in Persida rex factus, omnes magistratus, dignitatesq; à Persis in suos transfert, indigenisq; Persis, quorum reliquiæ adhuc supererant, oppressis, inter suos ac Saracenos vniuersam Persidem diuidit. Quoq; finitimis terribilior esset, à suis nouo nomine Sultanus (quod nomẽ lingua Latina summum imperatorem sonat) appellatur. Qui pòst per manus posteritati suę regnum tradidit. Ac ne qua inter Saracenos ac suos discordia esset, omnes Turcas, à ciuitate quę in Persida diues opum fuit, appellat. Turcæ, tanta potentia aucti, illos ipsos Saracenos qui in Africa potentes erant, adorti, cum eis societatẽ ineunt, simulq; armis iunctis, Constantinopolitanis imperatoribus, reliquoq; Romano imperio, terrori, formidinię, quod ad Germanos trãslatum fuit, fuêre. Durauit potentia Sultanorũ Turcarum vsq, ad bellum Scythicum, seu Tartaricum, quod Scythæ Turcis illis qui Persidem obtinebant, anno Christi 1240. intulerũt. Quibus deletis, (quo etiam tempore vniuersã Polonia, viuo rege Pudico, ab eisdem Scythis magnã cladem acceperat) vix ex tam numerosa multitudine pauci eorum relicti fuêre: qui infima plebe sibi ascita, nil secum prætet arcum ac pharetram gestãtes, latrocinari cœperunt, nec vllo rege vsi sunt. Nihilominus nomen Sultanorum mansit penes illos Saracenos qui in Africa erant: qui se antiquo nomine Saracenico quàm Turcico appellare maluerunt. Turcæ igitur latrocinijs assueti, angustias montiũ insident, ex eisque finitimos agros, & Romani imperij vrbes crebris incursionibus vexant. Non tamen viribus Scytharum, quibus finitimi erãt, pares esse poterãt: quos illi ad finitima Græcię pellebant: & quàm infirmi contra Scythas erant, tam fortes contra Græcos existebant: adeò vt tandem etiam cum Græcis Cæsaribus ad aperta bella deuenerint: quorum copijs sępe deletis, Romanas prouincias depopulabãtur, ad Sangariumq; amnẽ vsq; populatione peruenerunt. Hinc à mari Põtico atq; à Galatia ad Lycium atq; Canium mare, & Eurymedontem fluuium, omnia ditionis suæ fecêre: veterisque nominis sui memores, quod fortassis in gẽte non abolitũ fuit, Turcas se appellant. Quoniam verò se cõmodè sine ducibus viuere nõ posse vident, sex potissimùm è numero suo legũt: inter quos omnes prouincias, quas breui tempori spatio consecuti sunt, partiuntur, eorumq; imperio se subijciunt. Caramanũ Alisurium: cui Phrygiam mediterraneam, Philadelphiam vsq; & prope Antiochiam ad Mæandrum fluuium sitam, (à cuius nomine pòst illa tota regio Caramania appellata est) concedunt. Saraconem: cui quicquid est Smyrnam vsq; ad interiorem Ioniæ oram, dant. Sasanum: cui Magnesiã, Prienen, Ephesum largiuntur. Calanum, eiusq; filium Cerasum: cui Lydiam, Ætoliam, Mysiam quę est ad Hellespõtum sita, impertiuntur. Armarij filios: quibus eas terras quæ à flumine Sangario ad Paphlagoniam vsque extenduntur, fruendas permittunt. Atmanum, seu Othomanum: quem omnibus regionibus quę circa Olympum sunt, pręficiunt. A quo Othomano hodierni Turcici Cæsares hinc ab Christi regis ortu 1301. originem sumunt: à quo tam Italici quàm Germanici scriptores historiam suam inchoant. Atque hæc quidem

Origo nominis Sultani.

Turca à Scythis in Persida deleti, anno Christi 1240.

Turca vires recuperant.

Turca inter suos duces imperium partiuntur. Caramani regnum.

Saraconii. Sasani. Calani.

Armarij filij. Othomani.

Othomanus regnare cœpit an. Christi 1301.

origo Turcarum, eorumque regum successus mihi verior, vt Cælius tradit, esse videtur, quàm quòd primò ad Othomanũ referatur: siquidem illi longè antè Turcicis Sultanis, quemadmodũ ex superioribus liquere puto, hinc ferè à sexcentesimo annovsi sunt.

Othomani imperium ac felicitas.

Othomanus igitur præ illis reliquis, inter quos Turcicum imperium diuisum fuit, longè gloria rerum gestarum superior fuit: quibus non multò pòst bello illato, eisdem iugum imposuit. Nec hic successus ipsius solùm cõtra Turcicos imperatores fuit, sed & cõtra Christianos: inter quos cùm discordia gliscceret, Bithyniam & omnes circa Pontum prouincias, decem annorũ spatio (tandiu enim rex fuit) ditionis suæ fecit. Filius huius Orchanes, paternæ virtutis æmulus, bellum per manus acceptũ strenuè est executus: miraq; felicitate Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, subegit: armaq; sua in Hellespontum vsque ad Euxini littora promouit. Pòst hunc alij qui regnarunt, celeri cursu victoriæ, vsi mira felicitate, tot populos vsque ad Baiazethem subegerunt: cuius Tamberlanes, Scytharũ rex, obscuro loco ortus, imperium adeò labefactauerat, vt eodẽ capto, cauearq; incluso, eùm in ludibrium per totam Asiam secum duceret: cui si quando equus conscendendus erat, tergo ipsius pro scabello vsus fuit. Pòst Amurathes exercitũ in Europam deportauit. Mahometes verò secundus, Cõstantinopolim, toties armis Saracenorum oppugnatam, (quæ olim Byzantium dicta fuit) occupato regno Trapezuntis, nomineq; Cæsaris occidentalis assumpto, Græciam omnem, Thraciam & Mysiã, seu Valachiam, cũ Illyrici parte, & ad Istrum latè omnia per Pontum occupauit. Tam insolenter Maho-

Orchanes Othomano succedit.

Baiazethes à Tamberlane captus, anno Christi 1392.

Amurathes.

Mahometes 2.

Mahometes ac crudeliter, capta Constantinopoli, victoriam exercuit, vt omnibus Christianis gladio dissectis, Constantinum eius vrbis Cæsarem interfecerit, eiusque caput ludibrij caussa pilo affixum in castris circumferri iusserit. Pòst sæuitia sua in nobilitatem conuersa, omnes inter cõuiuia per ludibrium contrucidauit. Magna iam tum potentia, post imperium occidentis à Turcis occupatum, Cæsarum Turcarum fuit: quam duo potentissimi reges non mediocriter infringebant: quorum alter Asimbæus, quem Vsancassanum, quasi heroa magnum, Persæ appellabant, fuit: qui in Parthia & Perside regnabat: cuius regnum ibidem initium à Mutare sumsit: quem Iozedus, filius Muabiæ, qui post Mahometem Saracenis præfuit, præfecit. Sed Mutaris regnũ in Perside apud Saracenos propemodũ extinctum fuit: quod post longam seriem annorum à quodam Sopho, qui in Perside Ardenolim oppidum tenuit, ab anno Christi 1480. qui Mahometanæ religionis erat, renouatum fuit. De Sophi pietate ac sanctitate, tanta opinio apud vulgũ fuit, vt magno numero mortalium ad se pertracto, ab eo tẽpore in Perside reges qui Sophini appellantur, regnent. Ibiq; stirps Saracenica, quę à Turcis extincta erat, renouata fuit: acerrimaq; bella vsq; hactenus cũ Turcicis imperatoribus gerunt: quorum vires non mediocriter, si quando bella eis hîc in Europa cum Christianis gerenda sint, distinentur. Alter, Sultanus in Ægypto: quorum Sultanorum nomen ab illis Turcarũ regibus, qui idẽ nomẽ à primo rege Trangoliplice sumpserunt, desumptum est. Obtinebant nõnulo tempore Ægyptum Hierosolymitani reges: quæ eis

Constãtinopolim cepit, anno Christi 1453.

Duo reges potentiam Turcarum infringunt.

Asimbæus Turcarum hostis.

Initium regni Asimbæi.

Sophi origo.

Sophianorũ regnum in Perside, anno Christi 1480.

Secũdum reges Sultanos Turcarum hostis.

à Saladino hinc ab anno Christi 1105. qui stirpis Turcicę fuit, erepta erat. Qui, incolarum mollitiem pertæsus, Calyfaq; (fuit id nomen pontificis summi apud Saracenos) vnà cũ vniuersa stirpe deleto, siue à nepote ipsius, nouum genus militiæ ibidem instituit. Nam cùm populos, qui magis ad septentrionẽ vergunt, australibus ad belli vsum aptiores esse videret, subitò cum populis quibusdam circa Męotim & Pontum sedes habentibus, qui à veteribus Zigi, à nostris Circassi appellãtur, fœdus init: à quibus emptis pueris, adolescentulis, eos in Ægyptum perduxit: quos ab ineunte ætate in militari disciplina erudit: armorumque vsum edocti, adeò hic in Ægypto ordo creuit, vt penes eos solos armorũ vsus, ac belli potestas, omniumq; dignitatum, fuerit: qui Mamaluchi, id est, serui, sunt appellati. Pòst, Saladini stirpe in Ægypto, anno à nato Iesu Christo 1400. extincta, ad eos Mamaluchos regnum Ægypti trãslatum est: qui è numero suo rege creato, terribiles ac formidolosi Turcicis imperatoribus fuêre. Atque eo tempore in oriente tria regna solùm potentissima, certis limitibus terminata fuêre: Sophianorum, qui in Persida, Media, Mesopotamia atq; Assyria regnabant: Sultanorum Ægypti, qui à Cyrenæis Africæ, per oram maritimam Issicum sinum, qui Ciliciam à Syria disiungit, & introrsus hinc ad Euphratem & desertæ Arabiæ terminos, illinc aduerso vsq; ad arenarum solitudines, læua, dextraque per Arabicum sinum ad Erythræas angustias extendebatur. Turcarum Cæsarum, quicquid Euphrate, & Amano monte, Cilicioq; mari ac Euxino continetur, erat: hisce adde Græciam omnem, Thraciam & Mysiam, quæ

Saladinus regnum Ægypti occupauit, anno Christi 1105.

Stirps Saladini in Ægypto extincta, anno Christi 1400.

Regnum Sophianorum. Sultanorũ. Turcarum Cæsarum.

quę Valachia vocatur, cum Illyrici parte, & ad Istrum latè omnia per Pontum, vsq; ad Theodosiam, Thracię Chersonnesi emporium. Siq; ea concordia Christianorũ regum fuisset, vt omnibus ex partibus Turcas aggressi essent, facilè eos non solùm è Græcia, sed & ex Asia vltra Caucasum montem, vnde primò egressi fuerant, pellere potuissent: cùm & Scanderbechus, Epirotarum regulus, cõtra eos feliciter belligerabat: quorum tum supra trecenta millia ad internecionem dedit, ipseq; Amurathes sub mœnibus Croiæ Turcarum imperator expirare coactus fuit. Sed illi successus Scanderbechi contra Mahometem non profuerunt. Post cuius mortem, ab eo capta Epiro, exercituq; Persarum regum deleto, Turcicæ vires à Sultanis Ægyptiacis haud sustineri poterant. Nam Selymus, Baiazethis filius, gloriæ & imperij auidus, bello Campsoni Sultano Ægypti illato, eum interemit. Post cuius interitum Tomumbeium à Mamaluchis constitutum, non solùm regno, sed & vita, omnibus Mamaluchis deletis, spoliauit. Hinc ferro in promiscuam multitudinem conuerso, vniuersum nomen Sultanorum funditus sustulit, vniuersa Ægypto potitus, illaque parte Mesopotamiæ in qua Hierosolyma fuit, quæ tum deserta, incultaq; erat, nec à Iudęis, veteribus incolis, qui tum toto orbe extorres, in admissi sceleris pœnã, nec sedem, nec patriã habebant, habitabatur. Huius filius Solymannus, memor virtutis paternę, Rhodum imperio suo adiunxit: Vngariæque bello illato, cùm antè Vladislaus, patruus Sigismundi, qui tum & rex Vngariæ & Poloniæ fuit, ab Amurathe, omni exercitu ipsius profligato, interemptus

Selymi bellum contra Cãpsonem.

Successus Solymanni.

fuerit, cum Ludouico, nepote Sigismundi primi, regis Poloniæ, collatis signis, fortiter dimicauit: in qua pugna tristi, Ludouicus, omnium cũ acerbo desiderio, interijt, suiq; in animis omniũ triste desiderium reliquit. Hinc per speciem ferendi opem Isabellæ, ac Ioanni filiolo, in cunis vagienti, cõtra Ferdinandum tum regem Vngariæ, Budam cum adiacẽtibus locis occupauit, Selymoq; filio amplum ac florens imperium, Caroli Cæsaris in Africa sæpius classe in alto, Venetorumque depressa, reliquit. Qui Venetis erepta Cypro, supremã cladem Iuoniæ, perfidia Czarnieuiecij adiutus, attulit. Vnde quiuis facilè iudicare potest, impiam Turcicam gentem, à tenui principio ortam, ad tantam amplitudinem imperij nulla alia re, solùm per scelus ac per fraudem, Christianorum discordia subnixam, occupato regno Ægypti, omnibusq; prouincijs quę Sultanorum erant, peruenisse: quod Alexandri Magni, Romanorumq; potentiæ comparari potest, ne dicam anteferri. Quod nõ tam facilè vnius gẽtis viribus infringi potest, solùm consensu omnium Christianorum: qui in tanta eorum discordia nunquã opinor, futurus est: imò inter eos magis discordiam glisce re videmus, quę eos ad ciuile ferrum, domesticumq; sanguinem effundendum adducit. Sed nos cœptam historiam cõtinuemus, ad Iuoniamq;, vnde digressi sumus, reuertamur.

Selymi imperium.

Redit ad historiam.

Iuonia post tot ex Turcis partas victorias, ad se remiam Czarnieuiecium Barcabalum, præfectum arcis Chocimensis (eo enim nomine præfecti arciũ lingua Valachica appellantur) accersit, sicq; verba fecisse in cõspectu omniũ dicitur: Cùm optatis nostris fortuna, Czarnieuieci, successibusq;, quibus contra Turcas

Oratio Iuoniæ ad Czarnieuiecium.

Turcas, crudelissimos hostes, hactenus vsi sumus, respondeat: est quòd gratis animis id prosequamur, ipsiq; Deo Opt. Max. perpetuas ac sempiternas gratias & agamus, & habeamus, quòd res nostras contra hosce teterrimos hostes secundat, nobisq; ex eis tot, tantarumq; victoriarum author est. Nunc quid aliud restat, nisi vt exercitum tot laboribus fatigatũ domum remittam, proficiscique patiar, vt, cùm ad nostras aures de aduentu Turcarum peruenerit, illico ad primum signum, quod classico dabitur, recreati adsint. Tu verò, cuius fides erga me constans fuit, hunc exercitum à me (erant autem Valachorũ tredecim millia, armis, virisque instructa, qui cuiq; validissimo hosti opponi poterant) cape: quocum ad Danubij ripam proficiscere, transituque, si eum Turcæ tentare velint, arce. Est ibi in proximo ex altera parte super Danubium, oppidum Oblacense, Turcarum ditionis: in quod tu intentus eris, (ne alibi vado Turcæ reperto, Danubium traijciant) meq; de eorum aduentu quam primum certiorem facies. Postquam hæc Iuonia dixit, multis tum hæc verba lacrymas excusserunt. Demum osculo Czarnieuiecium excipit, vt eum maiore obsequio sibi deuiniret, obsequẽtioremq; redderet. Ille poplite flexo, fidem, operamq; ei suam pollicetur. Iuonia cõmisso exercitu Czarnieuiecio, alijs nonnullo temporis spatio vacationem militiæ concedit, eosque domos reuisere iubet, vt refectis corporibus labore fatigatis, & obsonijs acceptis, quam primum signum daretur, omnes equis, armisq; instructi, ad persequẽdum hostem conuenirent. Czarnieuiecius, accepto exercitu, ita vt iussus erat, Danubium versus profi-

Omnium lacrymæ prænuntiæ fraudis Czarnieuiecij.

ciscitur, stationes intentissimè agit, ne quis Turcarum Danubiũ traijciat. Adfuit eorum infinitus numerus, qui non ausi Danubium tranare erant. Quo viso, Bassæ certos internuntios ad Czarnieuiecium mittunt: eisque triginta millia nummûm aureûm Vngaricorum dant, vt quoquo modo animo Czarnieuiecij tentato, ad ipsos colloquendi gratia occultus veniat. Ille, magnitudine pecuniæ illectus, fidem dat se venturum, pecuniamq; missam accipit. Hinc occultè, suis inscijs, in colloquium cum Petro Palatiniade Valachiæ Transalpinæ, qui trans Danubium cum magnis Turcarum copijs erat, venit. Coram quo Petrus, in quo & quanto periculo Iuoniæ res constitutæ sint, commemorat. Ostendit quàm in eum Selymus animo offenso, exacerbatoque sit, quòd ipsius tributarius tantos exercitus deleuerit: eum Selymo aliter nõ posse satisfacere, solùm pœna capitis: nec amplius dominatum Valachiæ obtinere posse: se certo certiùs genti illi imperaturum. Proinde (inquit) si sapis, cùm adhuc integræ res sunt, animum Selymi nouo ac recenti aliquo beneficio tibi cõcilia. Omne bellũ sumi facilè, cæterùm ægerrimè desinere: non in eiusdem potestate initium eius ac finem esse: incipere cuiuis, etiam ignauo, licere: non deponi nisi cùm victores velint. Habere illum magnam opportunitatem & copiam societatis, atq; amicitiæ secum coniungendæ, quæ bello potior sit. Et quamuis Iuoniæ opibus confideret, tamen nõ debere incerta pro certis ponere. Nunc accepisti triginta millia nummûm aureûm: pòst plura accipies. Proinde si tibi consulere vis, ne florentes res tuas cum Iuoniæ perditis misceas: verùm liberè Turcas

Bassa Czarnieuiecium ad defectionem sollicitant.

Colloquiũ Petri cum Czarnieuiecio.

Turcas omnes per Danubium transire permittas. Se enim cum ingenti exercitu ad occupandam Valachiam à Selymo, capiendumq; Iuoniam mitti. Vbi, cõsecuto Palatinatu Valachiæ, tu quæq; summa adeptus vnà cum tuis es. Opus igitur esse vt aduẽtum Turcarum coram Iuonia tantisper occultet, & à Danubio abscedat, dum per ipsum vniuerso exercitu traiecto pòst Iuoniam facilè capere, ipsiusq; vniuersum exercitũ opprimere, cladesq; acceptas superiores vna hora vlciscipossint. His tot, talibusq; precibus & blanditijs, lacrymas addit, oratq; Czarnieuiecium, vt quam primùm agmine suorum à Danubio remoto, tutò cum Turcis flumen vorticosum transire possit. Czarnieuiecius, Petri promissis inescatus ac infatuatus, accipit conditionem, quamq; iureiurando fidem confirmatã Iuoniæ dederat, eam frangit. Hinc ab ea parte Danubij vbi stationes diligenter suorum agebat, agmine seducto, liberum per flumen transitum Turcis permittit. Erant Turcarum tum ducenta millia, qui cum tormentis muralibus, omniq; apparatu oppugnandarum arcium, Danubium tranauêre. Transmisso Danubio, iubent vt Czarnieuiecius Iuoniam ea de re certiorem faciat. Hic celeriter ad Iuoniã veniens, narrat qua ratione Turcæ multitudine suorũ subnixi, Danubium trãsierint, quib. ille nulla ratione obsistere potuerit: quare Iuonia bene rebus suis consuleret, si quãprimùm cum exercitu adesset, eorũq; conatibus primis obuiam iret, suasq; infirmas copias iuuaret. Non sine lætitia hæc Iuonia audiuit. Quare plenus bonæ spei, Czarnieuiecium quis & quantus hostium numerus sit, percũctatur. Sunt (inquit) decẽ: nec amplius duo-

Lacryma Petri.

Dolus Czarnieuiecij.

decim millia. Sed antequam tu cum copijs aderis, in horas numerus eorum augebitur, & ad quindecim millia excrescet, Erat Iuonia vnà cum suis Kosacis ad arcem Teinicensem, quam expugnare voluit. Demum conuocato senatu, qui tũ cogi potuit omnes, quid sibi faciendum esset, consulit, an arcem priùs expugnare deberet, vel hosti tot cruentis prælijs irritato occurrere, eiusq; copias in fugam conuertere. Ibi omnium vna ac eadem sententia erat, vt priùs hostilem exercitum dispalaret, deleretq;: quo deleto, pòst arces expugnaret. Quorum consilium ille secutus, habita peditum ratione, quarta demum die, ad castra hostium, quæ à suis duodecim milliaribus aberant, cum cantu cornicinum, tubicinumq; peruenit. Nona die Iunij, eiusdem anni, castra ab hoste ad tertium lapidem Iuonia ponit: ibi velites simul conueniunt, de summa rei consultaturi. Se quidem paratis animis contra acerrimum hostem, tot prælijs irritatum, proficisci: verùm se neminem habere qui linguæ hostium gnarus esset, Iuoniam nescio quo cõsilio fretum, totam rationem belli certis hominibus credidisse, in primis verò Czarnieuiecio, cui nos omnino fidere nolimus. Quare in tã rebus nostris dubijs ac plenis periculi, vt ipsimet cum Iuonia colloquamur, necesse est. Igitur ad eum citato gressu veniunt, factaq; potestate dicẽdi, sic Suiercecuius pro omnib. verba fecisse dicitur: Illustris Palatine, nos hactenus fidem tuam secuti, tecum contra hunc crudelissimum hostem, socia arma iunximus: in quibus ferendis quę & quãta opera nostra extitit, optimè nosti. Huc iterũ à te contra eũ educti, ad internetionẽ cũ eo dimicare parati sumus: nec illiter in

Consultatio Kosacorum.

in Valachiam patet, solùm per stragem cadauerum nostrũm: solùm nobis necessariò prouidendum ac cogitandum est, ne temere in prælium ruẽtes, nullo consilio hostium cognito, quantus eorum numerus sit, quis castrorum tractus, in insidias præcipitati, ab eis instar belluarum mactemur. Quare quod tibi consilium belligerandi cum eis sit, effare, proloquereq;. Iuonia oratione Suierceuij commotus, alta suspiria ex intimis præcordijs ducens, paucis ac breuibus respondet. Et virtus mihi vestra, equites fortissimi, vita mea mihi cariores, nota, perspectaque est, (cuius spectator fui) & totius belli omnia consilia nota. Non igitur obiectos vos temere cædi hostium velim, sed consilijs eorum priùs exploratis, nos cum eis dimicare velim. In proximo Czarnieuiecius cum exercitu meo est: qui in hostem intentus, omnia consilia eorum cognita habet. Nec ego tantam rem cuiuis commisi, sed huic, cuius mihi fides semper in dubijs ac difficillimis rebus perspecta est: quem comitem tot peregrinationum mearum, propemodumque exilij habui. Ipsemet modò ad me retulit, Turcarum non esse ampliùs quàm quindecim millia. Qui etiãsi triginta essent, eos nos diuino auxilio freti ad satietatem cædemus. Hæc vbi respondit, vt in eo loco sese cum vniuerso exercitu contineret, Iuoniam Suierceuius orat: se cum suis aduersum hostem profecturum, vt aliquẽ ex castris ipsorum capere possit, certioraq; de consilio hostiũ explorare, cognoscereq;. Iuonia promptò, alacriq; animo concedit: cui Veremiam cum sex millibus Valachorum, magistrum equitum adiungit. Qui simul profecti, in speculatores Turci-

Responsum Iuonia.

Iuoniæ Suierceuiũ contra hostes mittit.

cos, quorum agmen sex milliũ fortissimorum equitum erat, incidunt. Subito cum eis prælio inito, eos pallant, in fugamque conuertunt: è quorum numero vnum capiunt: qui tot, tantisque vulneribus affectus, cùm sese subito moriturum præsentit, simulàter narrat paucos Turcas esse in armis. Sed velites, ficta eum narrare animaduertentes, neconten temnendum numerum esse hostium conijcientes, qui in tantam multitudinem speculatorum incidérint: subitò de hisce Iuoniam certiorem faciunt, vt rebus suis consulat, quidque fidendum Czarnieuiecio sit, etiam atq; etiam cogitet, videatque. Quinil aliud respondisse dicitur, solum illud: Iam non est vt perturbemur, aut horrescamus. Ego scio cui fidam: breui numerum hostium ipsi cognoscemus. Ego enim eo animo huc processi, vt patriam meam contra hanc crudelitatem hostium, ad vltimum exitum vitæ tuear, defendamque. Atque ita communitis castris suorũ ad lacum qui ex Danubio profluit, vt opportunam aquationẽ haberet, iubet equos trecentos adducere, vt velites eis cum Valachis conscensis, qui superiore nocte Turcas pallauerant, omnes simul contra hostem proficiscantur. Erat prope hostium castra collis arduus ac sublimis: quo conscenso cum socijs, Iuonia hostiũ castra contemplari voluit. Sed ea nulla ratione conspicari potuit, eò quòd in decliui loco posita erant, nec à quoquam è longinquo loco conspici, nisi quis ad ea propè accederet, poterant: solùm in diuersis locis quatuor inter se disiunctis, speculatores hostium animaduertit: qui, conspectum Valachorum declinantes, sese in quendam tumulum per diuersos tramites, qui non procul

Iuoniæ responsum.

Profectio Iuoniæ contra hostem.

Iuonia hostium castra contemplatur.

cul à suorum castris erant, abdunt. Iuonia, propè hostem adesse suspicatus, totum exercitum suum, (erat autem triginta millium) quoniã multitudine abundabat, in triginta turmas, per interualla disponit. Ante singulas turmas tormenta muralia miræ magnitudinis collocat. Erant autem octoginta, quæ ex sese globos igniferos euomebant. Pedites simili ratione ab equitibus semotos, quorum magnus numerus erat, disponit: qui Iuoniam apud se retentum, ad equites haud patiuntur progredi, non mediocriter de vita ipsius, ne à primoribus deceptus, viuus in potestatem Turcarum veniret, pertimescentes: solùm ad Kosacos Polonos cum interdum eum commeare patiuntur. Nam pedites, gens rustica, singulari fide ac animo in Iuoniam fuêre: quorum arma, falces, arcus, gladij reflexi, Turcicorum similes, ac fustes erant. Instructa acie, firmissimisq; subsidijs firmata, Iuonia, antequam signa canerentur, iterum collem arduum, vt ex proximo loco castra hostium contemplaretur, conscendit: quorum multitudine præter spem ac opinionẽ visa, cognoscit, se esse à Czarnieuiecio in fraudem inductum: quare eum ad se accire iubet, qui respondet: sibi iam facultatem ad ipsum veniendi non dari, se statim cum Turcis certamen pro incolumitate ipsius initurum. Habuit autem Czarnieuiecius fortissimorum equitum, quibus præfuit, tredecim millia, optimè armis instructa. Cùm igitur signa canerentur, Turcæque acie suorum optimè disposita, prælio sese expedirẽt, ibi proditor Czarnieuiecius, primus prælium init. Cumque illi dimicandum, congrediendumque cum hoste esset, vti cum Turcis constitue-

Stratagema Iuoniæ.

Peditum singularis in Iuoniam fides.

Iuonia fraudem Czarnieuiecij cognoscit.

rat, iubet suos vexillum demittere, & pileos hastis ensibusque impositos, eleuare, ac capita flectere. Ibi Turcæ, animaduersa voluntaria deditione, in sublime hastis suis erectis, eos ad se trãsire iubẽt. Hac tali defectione Czarnieuiecij, exercitus Iuoniæ cõsternatus, omnes retrocedentes, properè ad Iuoniam accurrunt: rem esse perditam narrant. Quorum illo vocibus minimè consternatus, (vt erat in rebus dubijs, subitisque intrepido animo) eos id pro nihilo ducere, ac contra Turcas sese expedire iubet. Sed Turcæ, postquam turmas Valachicas trepidare vident, agema suorum contra eos mouent: ante se illos ipsos Valachos propellunt, ac tergiuersantes cædunt. Quibus Iuonia visis, ira percitus, in eos vim tormentorum exonerare iubet. Sicilli partim à suis, partim à Turcis in medio cæsi fuêre. Turcæ verò proditorum terga secuti, eisque tecti, per stragem cadauerum ad exercitum Iuoniæ, sanguine eisiter, qui instar riui ex cæsis Valachis fluebat, intercluden-te, peruenêre. Quos Kosaci, more solito, à lateribus aggressi dissipant, non mediocriterque turbant. Adsunt alij Valachi, animo, armis, vigore, ac viribus corporis, Turcis longè superiores: qui sibi aditu patefacto, Turcas egregiè cędunt. Hinc clamor permistus hortatione, lætitia, gemitu oritur: item strepitus armorum ad cælum ferri, sagittæ vtrinque volare cœperunt. Non sustinuêre vim Valachicam Turcæ: subitò terga, seu timore perculsi, seu data opera, dant: ac quingentos passus, vt Valachos ad locum insidiarum pertraherent, vbi vim tormentorũ inabditis locis condiderant, retrocedunt. Sensit eum dolum Suierceuius hostium. Quare sublato clamore, monet

Iuoniæ pugna cum Turcis.

Magnitudo animi Iuoniæ.

Exitus proditorum.

monet turmas tam Polonicas quàm Valachicas, vt pedem referant. His illi adhortationibus concitati, imminente se periculo manu armata subtrahunt. In hos Turcæ recentes impetum faciunt: sed Valachi eos egregiè sustinent, nullaque memorabili clade accepta, ad castra suorum incolumes reuertuntur. Iuonia ex suorum successu lætus, tam Valachorum quàm Polonorum, iuxta tormẽta aciem disponit: vbi singuli impletis pharetris pluribus sagittis, lanceis alijs acceptis, intenti in hostem erant. Turcæ recentibus viribus feroces facti, subitò in Valachos irruunt. Quibuscum fortiter congressi, nullius imminentis periculi ratione habita, displosis tormentis in Valachos, eorum aciem non mediocriter turbant. Quorum conatibus Valachi obuiam euntes, fit atrox pugna, eademque propemodum par. Cadebant precipites tam Turcę quàm Valachi ex equis: iam vires viris, iam ferro sua vis deerat. Tantus puluis è tormentis, è quibus crebri, violentiq; globi emittebantur, excitatus fuit, vt ipsius densitas solem obscurauerit: nec vlla vox hominum in tanta multitudine exaudiri potuit, nec quisquam à quoquam videri: nec magistri tormentorum, in quam partem eis globi emittendi essent, scire. Nec in tam aspero negotio Iuonia territus, suisque succurrendum ratus, sublata voce proclamat, vt retro post tormenta cedant, vexillaque sequantur. Turcæ quoque retro cessêre. Oppidani Oblacienses, tantam atrocitatem pugnæ ex oppido spectantes, cernentesque copias Turcarum à Valachis prægrauari, fugam parant. Est id oppidum trans Danubium, ditionis Turcarum: ex quo effusa multitudo, in remotiora Turcię fugit.

Pugna Valachorum cum Turcis.

Stratagema Iuoniæ.

Iuonia suos reuocat.

Vis imbris. Postquam quasi ex composito, ab vtraque parte ab armis discessum fuit, repente ingentibus procellis fusus imber: quo vniuersa agmina tam Valachorum quàm Turcarum perfusa fuêre: illeque totus pulueris, ingenti boatu tormentorum, & pedibus dimicantium excitatus, in terram delapsus, discussus fuit: sed maximo detrimento Valachica tormenta affecit, quæ eis magno adiumento contra omnem vim Turcicam fuêre. Nam ea cælesti aqua perfusa, globos emittere nequibant. Hodie tamen tam ruralium, tam eorum quibus, tam equites quàm pedites vtuntur, apud veteres nullus vsus fuit. Non ita pridem hæc sunt, circiter annum millesimum, trecentesimum, supra septuagesimum sextum, inuenta. Quæ accepta primò Veneti à Germanis, hisce in eo bello vsi sunt, quod contra Genuenses ad Clodiam fossam gessere. Primi tormenti inuentor fuit quidam Germanus, cuius nomen à scriptoribus non proditur: cui casu in mentem venit tale quid in perniciem hominum inuenire. Ferur enim seruasse domi in mortario puluerem sulphureum, cuiusdam medicinæ caussa faciendæ, illumque texisse lapide: ac inde contigisse, vt cùm ignem propè ex silice excuteret, scintilla nitro inciderit, subitoque flamma concepta, eadem eruperit, atque lapidem in altum tulerit. Quam ille rem penitus considerans, postea ferrea facta fistula, & puluere confecto, machinam reperit: in quam immisso prius puluere, demum globo igne admoto, ex eo sonitum terribilem, eundemque violentum edidit. Huius vsus est apud omnes gentes: formæ sunt variæ, ad expugnandasque vrbes aptissimæ, vt in eis omnis

Tormentorũ vsus cœpit an. Christi 1378.

Germanus inuentor primi tormenti.

Bombardarũ vtilitas.

omnis vis peditum, omnis equestris splẽdor, omnis denique bellica virtus constet. Cùm violentia pulueris globus excutitur, quicquid obuiũ offendit, quassat, dissipat, frangit, contundit: adeò vt nullus locus sit, quamuis natura munitus, qui nõ facilè expugnetur. Is igitur machinę huiusmodi repertor, pro mercede (vt opinor) accepit vt nomen eius silentio perpetuo premeretur, ne omni tẽpore à cunctis mortalibus diris deuoueretur: dignus scilicet qui prior ipse vice Salmonei, fulmine flagrasset: (Salmoneus enim, Æoli filius, cùm Iouem vellet in fulminibus iaciendis æmulari, ab eo de cælo tactus, detruditur) quando hæc fulmini, odore, luce, sonitu, impetu similima est. Sed nos ad institutam historiam reuertamur. Irritatis tam Valachicis quàm Turcicis animis certamine, etiã acrius concursum est. Nam Turcæ, eductis suorum viginti millibus in aciem, in læuam partẽ, vbi tormenta Valachica disposita erant, prosiliunt. Ibi Valachi in eos torméta displodere nequeunt. Nam iam à cælesti aqua corrupta fuerant. Nihilominus mutuò sese cohortãtes, in Turcas magnum impetum faciunt, cum eisq; ad vltimam defatigationẽ dimicant. Subitò adsunt Scythæ, cũ recentibus copijs Turcarũ: qui, cùm sese nullo à tormentis detrimẽto affici vident, ex inferiore loco per diuersos tramites in quibus latitabant, egrediũtur. Ibi dissono clamore perterrefaciunt Valachos, & à tormẽtis remouent, in fugamq; cõuertunt: qui per Valachicos patentes cãpos dispalati, instar pecudum à Turcis cæduntur. Nec iam plures ad hoc vsq; tempus, quàm ducenti quinquaginta velites, seu Kosaci, supererant. Sic mutata fortuna belli, vnius perfi-

Nota de Salmonce.

Redit ad historiam.

Pugna Valachorum cum Turcis.

Victoria Turcarum.

dia Czarnieuiecij: quæ non multo pòst supremam cladem Iuoniæ attulit. Nam Iuonia accurrens, ad reliquum peditatum, & illos ducentos quinquaginta velites (quos Turcę fatigati cæde Valachorum, aggredi non ausi erant) conuersa oratione sic dixisse fertur: Video, fortissimi viri, nos vnius Czarnieuiecij perfidia in extremum periculum adductos esse: sed vbicunque corpora vestra ferro hostili interfecta iacuerint, ibi & meum inter vestra erit: animacælum petat. Ad quem ita Suierceuius: Hæc presens mors, Iuonia, vti fortes viros decet, nos minimè mouet, modò summa vi innixi, hosce canes, hostes nomini Christiano infensissimos, ad satietatem, antequam nobis intereundum erit, cædamus. Hæc effatus, subitò velites ex equis descendunt, seseque cum peditibus coniungunt: quibuscum simul conglobati, sexaginta tormenta muralia Turcis subtraxêre: solus Iuonia vno arrepto, quod vix duodecim equi trahere poterant (tantæ vires illi fuêre) illud trahit. Quo Poloni viso, illud ipsi ademere, leuiori dato. Hinc compositis pedestribus copijs, quorum adhuc erant viginti millia, Iuonia retrocedit. Quoniam verò tormenta eis maximo impedimento erant, ea abijciunt: sed ita vt Turcis pòst nulli vsui fuerint. Nã maxima vi pulueris in ea imposita, cùm ea Turcæ disploderent, omnia disrupta fuêre. Interea Iuonia, qui iam & animo & corpore deficiebat, cum omnibus pedestribus copijs, & nonnullis tormentis, vestigia cæsi exercitus sequitur: nec plus vna die, obingentem stragem cumulumq; cadauerum, quæ passim cæsa in vijs insepulta iacebant, millè passus progredi poterant. Qui cum vniuerso peditatu in locum

Verba Iuoniæ ad Polonos.

Kosaci sese cum pedestribus coniungunt.

Iuoniæ retrocedit.

cum vbi antè villa incensa fuerat, quædamq; recentia rudera extabant, cùm venissent, castra sua ibi communit, eaque fossa, ne subitò à Turcis occupati possint, cingit. Ea in parte (sed fatis obsistere difficile erat) consilium Iuoniæ dignum reprehensione fuit, quòd ibi suos vallo cinxisset, vbi nulla commoda aquatio fuit. Nam siti homines enecti moriebantur, seseque Turcis non multo pòst dedidere. Sole iam iam occidente, eadem die decima mensis Iunij, Turcæ à fuga Valachorum, quos persequebantur, reuersi, subitò castra Iuoniæ circumdant, atque coarctant: quorum tanta multitudo fuisse dicitur, vt oculis terminari nequierit. Quibus circumdatis, neminem ex exercitu Iuonię egredi patiuntur: vtque spẽ omnem ei commeatus præciderent, villas castris Iuonię proximas, in quibus ampla prædia erant, tota nocte incendio graui cosumunt: idque ideo, ne quis obsessorum effugeret: néve extra vallum obscura nocte egressi, ipsos inuaderent. Appropinquante luce, (quæ fuit vndecima Iunij) Turcæ in castra Iuoniæ multitudinem globorum è machinis muralibus emittũt: sed illa nullo detrimento affecta fuêre, eò quòd alto aggere obuallata erant, vnde sese Valachi, pariter cum Polonis, contra Turcas egregiè defendebant, in eisque ingentem stragem toto triduo faciebant. Turcæ, difficilem expugnationem castrorum Iuoniæ animo cernentes, per internuntios cum eo colloquia ferunt, vt ille omni cunctatione omissa sese dedat: spem ei maiorem debere esse in misericordia Turcarum, quàm in suis vllis viribus: præsertim cùm omni opẽ, auxilioque destitutus, pòst se dedere cogatur. Quare spontanea hac deditione præoccu-

Iuonia castra munit.

11. Iunij dies extrema Iuoniæ fuit.

Turcæ castra Iuoniæ infestant.

Colloquium Turcarum cum Iuonia.

paret animos ipsorum, nec in tam anceps periculũ & suas copias, & Turcicas inijceret. Ad ea sic respondet Iuonia: Video ac animo cerno, in quam aduersam necessitatem adductus sim: sed, cùm penes me firmissimas copias pedestres habeam, possim certè non sine vestra clade cadere. Quare, cum fortunæ hoc tempore cedendum, ac necessitati arbitrer, nõ renuo deditionem: solùm ductores vestri meà vobis conseruatum iri, ac quascunq; vobis cõditiones proposuero, vos eas integras conseruaturos iurent: nec id semel, sed quinis septies. Hisce dictis, internuntios extra munimenta castrorum excedere iubet: quibus se quamprimùm responsum daturũ polliceatur. Hisce ita compositis, omnes ad se Polonos, pariterq; Valachos conuocat, ad quos sic verba fecisse memoratur: Hodierna dies hæc tristis ac miserra à nobis, fortissimi viri, aut deditionem extorquet, aut hîc inter hæc sepia enectos mori iubet. Quare vtrum consultius rebus nostris sit, an sese huic truci hosti dedere, vel portis castrorũ patefactis in indubitatam mortem ruere, ac non sine cæde hostiũ gloriosè cadere, in medium consulite. Mors certè finem omnium malorum afferet, quæ corpus à cruciatu, oculos ab indignis rebus auertet, nosq; diuino conspectu frui efficiet. Plura loqui volentem accipientem vis lacrymarũ orta præpediuit. Ad quæ sic Poloni: Mors nobis, Iuonia, nunquã acerba ac atrox, & est, & erit. Quare, si ita animo destinasti, hunc crudelem hostem inuadamus, potiusq; gloriosè cadamus, quàm ab ea capti, per ludibrium, per dedecus, per varios cruciatus, non sine cõtumelia vitam finiamus, præsertim cùm nulli Christianorum fidem

Iuonie responsum.

Oratio Iuoniæ ad suos.

Polonorum responsum.

dem datam conseruet. At contrà Valachi, quorum tantus animus in mortem non fuit. Deditionem quidem nõ ab se abnuere, si pro certo Iuonia sciret, Turcisq; fidere, quòd ipsum incolumem conseruaturi essent, posset. Si de fide eorum dubitaret, se cum Polonis ad vltimam internetionem, fidei semel ipsi datæ memores, cõtra Turcas malle dimicare, quàm per fraudem illorum omnibus esset pereundum. Iuonia huc illuc animo fluctuans, quid sibi faciendum esset, animi dubius, in diuersum curis trahebatur. Mouebatur indigna calamitate suorũ, eò quòd multi siti enecti, in dies magis atque magis moriebantur, ac breui pòst omnibus pereundum erat: sero culpans consilium suum, quòd in tam iniquo loco castra posuisset. Quare summo cum gemitu, & lacrymis sanguinolentis ita exclamat: Malo me hosti dedere, quodque aduersa fors attulerit, pati, quàm vt mea caussa tot millia hominum siti pereant. Percunctabor nihilominus legatos ad me missos, an in hasce conditiones quas eis proposuero, iurare velint: Si iurauerint, tum me eis dedam. Quare legatos Turcarum, qui extra munimenta castrorum responsum expectabant, acciri iubet, eosq; ita affatur: Ite, vestrisque imperatoribus hæc nunciate. Quamuis firmissimas copias, quas ipsi cernitis, habeam: quorum fideli subsidio subnixus, hasce vestras vires sustinere possim: tamen necessitati hoc tempore cedendum arbitror: Quare si omnes imperatores & præfecti vestri, singuli septies, in has cõditiones mihi iurabũt, tum primùm me dedam. Primò, vt vniuersum equitatum Polonicum, singulari fide ac virtute præditũ, vnà cum suis equis ac impe-

Valachorũ responsum.

Iuoniæ verba luctuosa.

Iuonia legatis respõdet.

Prima conditio.

dimentis, à quauis gente magnifaciendum, quiad postulata mea venêre, sine vllo impedimẽto sal uum reuerti patiantur, liberumque eis trãsitum per Nestrum flumen dent. Secundò, vt me ad Selymum, Turcarum imperatorem, dominum meum, viuum ac incolumẽ deducant. De Valachis nihil dico: quos æquum est, cùm Cæsaris deditiij sint, conseruare: quos si vos violaueritis, vel trucidaueritis, ingẽs detrimentum Cæsari, vel ei quem ille pòst Valachiæ præficiet, estis allaturi. Hæc legati vbi purpuratis, & arcium præfectis exposuissent, omnes pedibus in conditiones eas eunt: septiesq; singuli omnia postulata iuramento militari, etiam suorum militum nomine, confirmant. Tandem ipsemet ad purpuratos Turcarum, omni metu depositò, impendentisque periculi nescius, è castris egreditur, coramq; sic pro equitatu Polonico verba facit: Cùm ita Deo Opt. Max. visum sit, vt potestatis vestræ factus sim: vos ego per fidem vestram, quam mihi sacramento militari sanxistis, oro ac obtestor, vt equitatum Polonicum, liberè in equis ad suos cum omnibus impedimentis reuerti patiamini. Digni etenim sunt ij viri, vt eos omnes mortales colant, suspiciant, magnifaciant. Si quod vestrum odium est in eos, illud in me conuertite: quod ego pro eis ferre, sustinereq; paratus sum. Demum suis paulisper à castris remotis, ad Polonos, quos educebat, illa verba nouissima dixisse fertur: Nunc grauis ac acerba fortuna, viri fortissimi, me à vobis disiungit: quare hanc dextram vobis singulis porrigo, testorque, quoad vsque spiritus meus hoc in mortali corpore supererit, nomen vestrum grata animi memoria me prosequuturum. Non

Secunda.

Tertia.

Oratio Iuoniæ ad purpuratos.

Nouissima oratio ad Polonos.

Non sine lacrymis hæc Poloni audiuêre: cuius dextram cum flebili vlulatu amplexi osculabantur. Qui cùm iam ad tertium teli ictum à castris abfuissent, Valachos quoque pari ratione è castris educit: quibus non sine lacrymis valedicit. Recordatus auri ac vnionum, quos penes se habebat, iterum ad Polonos reuersus, gladio accinctus vtrinque acuto, omnia eis largitur, tandemque flens sic inquit: O si mihi iam ad manus vestræ copiæ quàm priores illę duplo maiores essent, vel saltem eæ integræ: efficerem profectò, Deo adiuuante, ne quis istorũ canum ad occasum solis in hac regione, quam mihi Deus propter magnitudinem scelerum meorum adimit, superstes foret. Sed frustra vos, viri fortissimi, volubilitate verborũ inani detineo: id ferre cogor, quicquid mihi Deus imponet. Vos ita à me discedere velim, & opto, vt vos Deus Opt. Max. incolumes ad patrios lares deducat. Me quoque si Deus è manibus cruentis horum teterrimorum hostium conseruabit, neque Turcici Bassæ, vti polliciti sunt, viuum & incolumem Selymo sistent, iureiurando mihi pro certa polliceor, me pòst beneficio Selymi, cuius sensus omnes calleo, Valachiam iterum habiturum. Vos interim oro, vt dulcissima recordatione semper memoriam mei colatis. Quicquid opum & dignitiarum mihi pòst erit, id in vos conferam, vestræque stirpis Polonicæ homines ad summos gradus honoris, quoniam fides, fortitudo, cõstantia vestra, in rebus dubijs est mihi perspecta ac cognita, euenerum habuit, id Polonis largitur, inquiens: Nolo vt id in manus horum immanissimorum hostium per-

Valachi à Iuonia educuntur.

Iuoniæ verba ad Polonos.

ueniat. Proinde considerans fortitudinem vestram, & fidelem operam, quam mihi adhuc nauastis, & eum affectum sanè mirum, quo me prosequuti estis: omnia vobis dono: animi grati beneuolentiam erga vos, ac omnem gẽtem vestram, penes me relinquo: quam semper ad extremum spiritum retinebo: cuius rei testem Deum, huius vniuersitatis creatorem, inuoco: cui vos commendo. Huiusmodi precatio ac obtestatio Iuoniæ, omnibus Polonis lacrymas excussit: cui gratias egêre. Qui armis à se abiectis, more supplicum, ad castra Turcarum, sumpto secum Polono Osmolio, peruenit: quibuscum integras quatuor horas colloquium habet. Ibi Bassa Capucius, fortassis oratione eius offensus, immemor fidei sacramento militari confirmatæ, quam Iuoniæ dederat, stricto gladio, ventrem, faciemque eius discidit. Ita vulneratum Ianczari corripiunt, & semiuiuo capiti amputant: deinde truncum, pedibus duorum camelorum alligatum, discerpendum obijciunt: quod belluæ in diuersum concitatæ discerpunt. Caput hastæ infixum: cadauer discerptum, in frusta partitis, cruore cadaueris recentis gladios perungebant, sanguinemque equis suis bibendum porrigebant, Deo supplicantes quò in ipsis quoque idem virilis animus, & eadem belligerandi ratio esset. Eum exitum Iuonia, vir memorabilis, habuit: qui perfidia Turcarum tam crudeliter ac nefariè, omnium cum tristi desiderio, è medio sublatus fuit. Quod ei, reor, non accidisset, si in religione Christiana constantior fuisset, & imperata fecisset. Dolendus ipsius casus, in exemplum est, documentumque inconstantiæ

Miserabilis exitus Iuoniæ.

Exemplum Iuoniæ in-

constantiæ rerum humanarum.

stantiæ rerum humanarum. Nam sicut antè secunda fortuna rebus supra vota fluentibus, tot, tamque inclytas victorias ex Turcis attraxerat: ita nunc aduersa, quæ ei indulgebat, velut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulauerat, exitum miserabilem, horrendam ruinam, fœdamque mortem Iuoniæ adiecit. Turcæ miserabiliter Iuonia occiso, subitò in Valachos, quos Iuonia è castris eduxerat, impetum faciunt, eosque instar pecudum crudeliter interficiunt. Poloni velites, visa perfidia Turcarum, nec sibi tutum reditum in Poloniam esse cernentes, in castra iterum, ex quibus excesserant, regredi volebant. Sed ea à Turcis occupata iam erãt. Demum, sese mutuò cohortati, in agmina densa Turcarum, ploni animi, speique summa vi incurrunt: quibus disruptis, dissectisq;, omnes fortiter occubuêre: pauci grauiter vulnerati: qui pòst Turcis admirationi fuêre, quòd pauciſſimi in numerosos prorupissent, pugnarentq; viriliter: quodq;, lethaliter saucij, per media castra ambulassent, nec ob id mortui essent. Illi autem præcipui capti è Polonis fuerunt: Suierceuius, cuius præcipua virtus, industria q; singularis in eo bello extitit: Cosiouius, Sadorcius, Iancius, Zalescius, Copitscius, Rescouius, Socolouius, Libisouius, Cisouius, Sucinius, Bogscius: qui omnes pòst ab heris suis grandi ære redempti fuêre. Sollicitabant autem eos Turcæ, vt religione Mahometi amplexa, in verba eorum iurarent: pollicentes, fore vt ampliſſimis bonis à Selymo acceptis apud eos vitã tranquillam; beatamq; ducerent. Sed illi omnibus Turcarũ pollicitationibus spretis, maluerunt apud suos vitam inopem agere, quàm in

Extremus conatus Polonorum.

Capti Polonorum præcipui.

Constantia Polonorum.

opulentia ac omnium rerum affluentia, cum animę iactura, apud Turcas: magnæ admirationis virtus eorum fuit: qui Turcæ, quamuis in suorum laudem propensi sunt, tamen vulgo sermonibus iactitarunt, in toto regno Poloniæ, viribus, industria, belligerádi promptitudine, eis minimè pares esse. Illi, hisce auditis, imò nos omnium (inquiunt) sumus infimi: qui ob inopiam apud nostros nullo loco habito, in hasce oras venimus, vel vt honestè patriam defendentes, mortem oppeteremus, vel præda nacta, ea onusti, ad nostros reuerteremur. Quibus vt crederent, haud id in animum suum inducere poterant.

Turcæ captiuos Polonos laudant.

Captiui Turcæ virtutem suam eleuant.

Post tam ignobilem cædem Iuoniæ, Selymus totam Moldauiam occupat: omnes ferè stirpis Valachicæ, tam summos quàm infimos, crudeliter è medio tollit. Totaque Valachia occupata, arcibusque ipsius firmo præsidio munitis, alia multitudine alibi in colonias deducta, in Russiam intentus est. Quę sibi vnà cum vniuersa Polonia, à tam potenti, perfido & immanissimo hoste caueat. Nam optimè, sollerti animo Turcæ cernunt, occupata à se Valachia, ac deinde Pocucensi ora, (quæ est regio inter Hirassum & Tyram, vltra Camenecium versus Haliciam, Podoliæ emporium, in vlteriore Polonicæ ditionis ripa, contra Zuthannam Tyræ impositum) pro qua Poloni cum Valachis ad internecionem pugnabãt, bello illato, omnia in Podolia ipsorum aperta fore libidini, quæ se in Poloniam quoque extendere possit. Nam id est Turcicis imperatoribus in more positum, vt, si finitimi alicui genti sint, aucupata occasione, ac iectis factionibus inter principes illius gentis, eam pòst facilè bello aggressum vincant, eique

Selymus totam Moldauiam occupat.

Pocucensis ora sitæ.

que perpetuum iugum imponant: vt memoria patrum Græcis fecêre, nostra Vngaris, non ita pridem Valachis. Polonia est eis vndique præsidio tot gentium nudata: quæ hactenus viros eorum, Scythicasque, in tanto dissidio Christianorũ, qui sese cum applausu Mahometi, ciuili ferro confodiunt, sustinuit. De qua occupanda, non mediocris ea cura stimulat, vt per illam vniuersæ Germaniæ bellum inferre possint: cùm ipsis ad Germaniam vastandam difficilis aditus per Austriam, ob munitiones Viennenses, pateat. Non diu post captam Valachiam Selymus superstes fuit: qui ferè 4. anno pòst quàm à patre Solymano regnare cœpisset, fatalem horam anno Christi 1574. quindecima die Decembris, obiuit: in cuius locum filius, stirpis maximus, Sultanus Amuratha, tanto silentio à Bassis occupandum imperium accitus successit, vt priùs ad Constantinopolim veniret antequã adesse ab omnibus suspicaretur. Qui imperium suum à cædę quinque fratrum, duarumque matrum, (quarum vna grauida erat) & multorum procerum, secutus morem veterum Turcarum Cæsarum, inchoatus, omnibus terrori ac formidini studet esse. Hic, vt Ianczaros frementes placaret, quòd ipsis insciis à Bassis accitus imperium inuasisset, hæc eis postulata concessit. Largitus est singulis à summo ad minimum septuaginta quinque thaleros: stipendium illorum auxit: filios ipsorum, vbi adolescerent, Ianczaris ascribendos statuit. Numerum Ianczarorum duobus millibus maiorem fecit: ita vt iam sint sedecim millia. Postremò, in prælio mutilatos, immunes à bello fecit, & omnẽ victum ad vitam transigendam eis dari iussit. His ita

Mors Selymi, anno Christi 1574.

Post Selymũ regnat sultanus Amuratha.

compositis, memor cladis quam Iuonia cum Polonis Kosacis, ditionibus Turcicis intulerat, vt aliquando Polonos vlciscereturr, immissis mense Octobri, anni 1575. centum & vndecim millibus Scytharum Præcopiensium, regiones Russicas quaqua versus, ad quadraginta milliaria peruastauit. Ducentas domos equestris ordinis, ac pagos permultos, flamma iniecta ij immites hostes exusserunt: senes è plebe, puerulosq; plorantes contrucidarunt. Nobiles tamen haud plures triginta vel in prælijs occiderunt, vel pariter cum vxoribus, liberisque in Valachiam, miseris modis colligatos abduxerunt: multi greges boum, ouiumque, multa equorum armenta, ab illis abacta sunt. Lassis crura succidebant: viuis coria ad vincendos homines detrahebant. In traiectu Nestri fluminis, magnus captiuorum planctus auditus est, quòd se iam planè in acerbissimi hostis potestatem venisse viderent. Quos nostri liberaturi fuissent, ni confisi vanis promissis Petri Palatini Valachiæ, qui se Scythis reditū in patriam, per Valachiam permissurum negabat, nostrisq; id sanctè promittebat, ad Kiouiam, quâ hostis venerat, eâdem speranres rediturum, conuersi, paulò tardiùs ad Nestrum cōcurrissent. Multi quidem tum Scythæ occisi: plures tamen Russi abacti ab illis sunt: qui passim grassante tam numeroso hoste, cōuenire ad Mieliecium Palatinum Podoliæ, haud potuerunt. Interemptus quidam Scytha à Iacobo Niezabitouio, cum septingentis, quos ducebat: cuius frons viginti quatuor digitos lata fuit: manus & pedes, adeoque totum corpus stupendæ magnitudinis: humi iacens cadaver, vmbilicum viri stantis attingebat. Dum verò

Scythæ Russiam vastāt.

isti prædam in Valachia cum Palatino partiuntur, Kosaci, Borysthenis accolæ, milites generosissimi, ductore Bogdano Rosinskio, in Scythiam irruunt, flamma & cædibus omnia complent, fœminarum vbera abscindunt, alias excæcant, liberos illarum collidunt, veteres captiuos liberant. Sed iam placet historiæ finem imponere. Ex qua id inter alia discimus, Turcas vinci à Christianis posse, si sint fideles & impauidi milites, firma auxilia: ac (quod primum est) si sit fortis & gnarus militiæ imperator.

EPISTOLA PISONIS AD IOANNEM CORITIVM DE CONFLICTV POLONORUM, & Lituanorum cum Moschouitis.

PISO CORITIO S.

SCIO ego ambiguum tibi esse, Coriti mi carissime, in humanis ne sim, an verò minus, qui totum iam ferme annum, quo Roma absum, tam pertinaciter tecum sileam. Par item de te quoq; cogitatio me suspēdit, qui nihil omnino scripseris: nisi fortè tuæ mihi reddi non potuerint, in certissimis hucusq; vagato sedibus. Quæ etiam caussa fecit, vt cessator & ipse fierem, cùm alioqui ad scribendū nemo me sit minùs piger. Nosti quam non spontè obierim hanc prouinciam, vt ad sereniſſimum Poloniæ regem, ac deinceps ad Moschouiæ ducem, quò pacem inter ipsos pōtificis, & legati nomine firmarem proficiscerer. Sed non erat integrū reluctari diutiùs mihi, veni

tandem Iulio menſe Vilnam, quæ caput eſt Lituaniæ, vbi à principe, præterquam, quod pro ſedis apoſtolicæ reuerentia ampliſſimè acceptus fui, habitus ſum pro ſingulari ſua in me veterē alioqui clientem beneuolentia, admodum gratioſè: nam humaniter dicere regiæ celſitudinis dignitas vetat. Data deinde diebus duob. ſequētibus bis audientia, poſt tertium aduentus mei diem, rex hinc in caſtra mouit, quo ante dies aliquot, niſi me operiri dignum duxiſſet, omnino ire ſtatuerat. Iam enim vtrinque ad bellum, & quidem atrociſſimum, inclinata erant omnia. Pacis nomine ob interpoſitas pontificis partes auditum nō ingratè. Cæterùm inter tubas, inter tympanas, inter alios armorum ſtrepitus facilè oppreſſum. Iā enim & hoſtis arce Smolensko ſupra Boryſthenē ſita per proditionem potitus, factus erat inſolētior. Et rex exercitum validiſſimum ex equitatu, peditatuque ſtipendio conduxerat, pugnæ auidum in primis. Erant in ijs Cataphracti duo millia, quibus nihil eſſe poſſit, neque ornatum, neq; armatum, magis: peditū plus paulò, duo itē millia, in quibus beli poſtea moles ſtetit. Fuēre deinde alia ſexdecim equitum millia fortiſſimorum virorum. Id enim credas volo, neque vidiſſe me vnquam maiorem equitatum, quàm conſtituere hic princeps poſſit, neque creditum fuiſſe, ſi non vidiſſem, vt certè, ſi velit, valeat centum millium equitatum armare. Iam verò maior fide quadrigarum numerus eſt commeatum ferentium. Neq; enim ipſe crederem cuicunq; ita narranti, niſi meos ipſe oculos teſtes habuiſſem. Quis enim crederet viginti quadrigarum millia cōduci poſſe? tantùm iam abeſt, vt ſcribere hæc audeam.

rem. Scribit hæc tibi Piſo, Piſo iam non poētarum, ſed annalium ſcriptoris æmulus: niſi fortè, ne oculato quidem teſti adhuc credis. Fit id non voluptatis, ſed neceſſitatis cauſſa, homini, iumento victus ferendus eſt, propter loca ſola ſolitudine nobilia, qui tamdiu duret, quàm ſit manere neceſſe diu. Centū milliaribus Lituanicis, quæ Germanica centum viginti faciūt (tantū enim viæ eſt à Vilna ad Smolensko) præter luſtra, eadēq; paluſtria nihil ferme videtur: ſterilia & inhoſpita omnia. Æſtima nunc tecum, quanto ſit commeatu opus. Adde quod vbi etiam in locum venerimus deſtinatum, nō minore ſis frumenti, aliarumque rerum neceſſariarum laboratus inopia, cùm ob ſoli ſterilitatem, tum quòd hoſtiliter vaſtata ſint omnia. Eum itaque exercitum vbi rex ipſe recenſuiſſet proficiſci in hoſtes iubet: interea præfectus arcis, & domini Poloczka, alia quadam via, terras Moſchi inuadit, ibique populatus omnia, ingenti onuſtus præda reuertitur. Dum itaq; exercitus diſceſſui ſe parat, videntur in loco quodam exploratores hoſtium. Noſtri cognito illorum numero (erant enim viri bellatores mille trecenti) lectis ad hoc ſexcentis equitibus illos obruēre, armaque capientes maiore exparte trucidauēre, duce eorum, cum nonnullis nobilibus capto. Idem fecēre poſtridie in alijs mille ducentis pari euentu. Moſchus recognita exercitum omnem, qui octoginta millibus conſtabat, loco quodam ad hæc electo, vltra Boryſthenem collocat, ratus noſtros pugnæ auiditate, amnem non formidaturos. Verùm id non ſine periculo, cùm vadum ipſi tam bombardis, quàm milite muniuiſſent, eumque vnicum: nam alibi Boryſthe-

nes, vtpote & altus, & vorticosus, neutriq;, & vadabilis. Nostri, relictis aliquot millibus, qui se citra amnem hosti circum equitantes ostenderent, reliqui interim percontato alibi flumine, pōticulum ex ratibus, lintribusq; nectunt, quo peditatum cum machinis trāsmittant. Equites acie, vt erant, instructa omnes se vno impetu, sed ex ordine conijciunt in amnem, feliciterq; tranant, credo dijs freti, haud plus vno desiderato. Nō erat hoc incognitum hostibus, & poterant, vel amnem ingredi volentes cohibere, vel iam partim egressos opprimere. Verùm cùm & ipsi multitudini nimium fiderent, & nostros præ paucitate contemnerent, loco se tantisper, vtpote opportuno, mouere distulerunt, dum nostri iam non modò amnem transirent, verùm etiam & pugnæ locum caperent, & ordines vel reficerent, vel mutarent: tantumq; fuit temporis medij, & tribus ferme horis manuum consertione vtrinq; abstinerent. Vbi ad manus deinde ventum fuit, hostes arte vsi, circūuenire nostros à tergo per vallem, vbi non apparebant, (nam & collis dumetis consitus impediebat aspectum) magno impetu nitebantur. Nostri re explorata derepente, vt in subitis fit casibus, mutant consilium. Et ea ex parte in iussu pugnam committunt. Nā aliò belli dux acies inclinarat, vbi & ipse tunc ferebatur. Quod cùm ex nostris nonnulli bello aliàs probè exerciti cōspicerent, neq; aut consulendi, aut ducem conueniendi tempus, locúsve daretur, in hostem conclamant, fortiterq; pugnando reprimunt. Hæc à leuo cornu acta, mox à dextro, & omni ex parte consertæ manus: tubarum clangor, vt ex ijs, qui interfuêre, accepi supra vsitatū modum.

Fuêre enim tubicines in hostili exercitu plus multò quingentis: atq; ita fortissimè dimicatum vtrinq;, inclinante iam ad vesperā sole, timor hostes, mox desperatio occupat. Iam neq; nostrorum impetū ferre diutius, qui proximi erāt, neq; fugę viam à tergo reperire valebant, prementibus vltimis, qui & ipsi ordines facilè explicare nequibant. In ea trepidatione clades facta ingens: fugientes deinde tumultuatim omnes nostri in longam noctem secuti quoscunque cedere, nisi qui vel nemorum densitate latere, vel noctis beneficio elabi poterant. Ibi direpta castra, in prædam versa omnia: cecidêre ex hostibus millia circiter quadraginta: capta quatuor millia, & in ijs præfecti exercitus omnes, qui octo fuerant, inter quos primi à duce Moschorum, dux Michaël Golycza cum trecentis nobilibus, inter quos sunt Barones multi. Hos secum rex nudiustertius quasi in triumpho Vilnam vexit, conspicuos omnino viros. Mihi certè in omni vita nihil videre circa pompas bellicas, obtigit gloriosius. Reliqui captiui partim per municipia distributi sunt, partim apud victores: vbi adhuc & signa tenentur, quæ & ipsa ablata fuêre ad vnum omnia. Rex enim cum domesticis tantùm, paucis admodum redijt, misso, quem secum in præsidijs habebat, ad belli duces exercitu recenti millium quatuor, vti victoriam sequerentur, maximè verò, vti arcem Smolensko recuperarent. Moschus enim mox suorum accepta clade, paucis admodum stipatus tam præcipiti ad propria cursu festinārat, vt die atque nocte 300. passuum millia superaret: siue, vt nouum repente exercitum scriberet: siue quod vero

esse similius creditum est, vt famam rei malè gestæ præuerteret, quò minùs fratres rebus nouis molien-dis, ansam antè caperent, malæ tractationis memo-res, vtpote, qui seruitutem apud tyrannum fratrem seruire coguntur. Parum enim ad recuperandum exercitum superesse spei fatentur & captiui, populo Moschum asserentes adhuc plurimo abundare, ve-rùm rustico, & bellis inepto, cùm in hanc expeditio-nem omnem ferme nobilitatem duxerit. Sicille, qui paulò antè capta dolo superbus arce, Polonis o-mnibus necem: Lituanis verò compedes minitatus fuerat, turpissimam coactus inire fugam est, vt sei-psum tam neci, quàm vinculis eriperet. Nam ita cer-tam demens ipse sibi victoriam spopõderat, vt post-ea apud duces belli captos repertæ cum mandatis atque stratagematis epistolæ fuerint, quibus quid facto cuilibet post victoriam opus esset, commise-rat, vt scilicet regem in præsidijs positum vno agmi-ne adorirentur: eo vtcunq; potiti, in tres sese vias di-uiso exercitu diffunderent, Vilnamque direptum festinarent. Sed nesciebat homo, & priuatim, & pu-blicè periurus Deum violatæ sine caussa fidei vindi-cem, aliter longè constitutũ ire. Dij enim immorta-les ob periurium (vt ait pro Roscio Cicero) homini-bus irasci, & succensere consueuerunt. Dedit condi-gnas perfidiæ suæ pœnas: cùm ex nostris ne vnus quidem captus sit, vulnerati multi, & ij, aduerso cor-pore omnes. Mortui vix supra quadringentos, & in ijs Barones quatuor elegantissimi, idemq; fortissimi iuuenes, quorum corpora huc relata sunt, & tumu-lata honestissimè, duobus sub infusa episcopis cum vniuerso clero ad ciuitatis portas progressis: quorũ tamen

tamen mors immẽsa hostium clade piata est, vt cer-tè fateri necesse sit, hæc sine diuûm numine nõ euc-nisse: cùm alioqui rex ipse re quidem vera Christia-nissimus sit, semperque fuerit. Assiduis enim pro vi-ctoria supplicationibus: ea deinde parta, gratiarum actionibus templa omnia sonabant, quin & publicè ad Deum omnia princeps refert, maximè cum Tar-tari, qui sub idem tempus iuxta pactum cõuentum adesse maiestati suæ debuissent, fraude se subduxe-rint. Iam verò & illud non omiserim, esse apud Mo-schum ducem Michaëlem Glyusky, virum animi & corporis dotibus egregiè insignem. Is olim non le-uibus ex caussis regẽ Poloniæ fugiens ad Moschum cum suis migrauit, qui & priorum, & horum caussa motuum fuit. Hunc rex ad sereniss imi Vngariæ re-gis instantiam, in gratiam secretò admiserat, & iam tacitò redire parantem, sui, quibus nimium fiebat, Moscho detulêre, qui hominem eueltigiò vinctum, domum sub custodia remisit, incertum, quid de eo velit statuere. Is si fortè transfugisset (vt cõuenerat) ad nostros, magnam sibi huius victoriæ partem ven-dicare contendisset. Nam id circiter Calendas Se-ptembris contigerat: prælium verò octaua Septem-bris ipso die natali Virginis factum est. In summa Dei omnino munera sunt hæc præcipuè: deinde principis Deo gratissimi, cuius fortunam vtiq; præ-lustrem non ex ariolorum nugis, sed ex summa vitæ sanctimonia, prudentia, fortitudine, temperantia atque iustitia, metior. In quo illud pulcrum est, vt si clementiam ipsam velis effingere, nullo certè alio neque ore, neque colore, quàm huius principis id præstare possis efficatiùs. Mihi profectò post exãtla-

tos tot viarum labores, ex hac victoria tantum accessit lætitiæ, vt nihil asperum, siue terra, siue mari tulisse videar, siue quia principis huius sim, fuerimque semper studiosissimus, siue quod hac facta præsente victoria, vt ire ad Moschum nõ sit necesse mihi: quæ mea profectò summa est expectatio. Nam præter viarum cùm longitudinem, tum difficultatem valde me terret hominis etiam iurati perfidia. Satis mihi est cõfessori esse, superbam martyrij palmam non ambio. Misi ad illum Calend. adhuc Augustis famulum cum literis pro saluo conductu, scio peruenisse, sed neque responsum, neque famulum vidi. Audio in amnem conijci fuisse iussum. Non libenter bibo tam largo cantharo, sed iocor verbis: re tamen vera serium est, quod scribo. Scilicet mihi seruabit, si etiam dederit fidem, quam neque regibus, ac ne Deo quidem ipsi seruare solet?

I nunc Schismatico vitam committe tyranno,
Vt te per Scythicas sub Styga mittat aquas.

Nollem in ijs sinistrũ mihi omen præcinere, qui initio certè inuitus feci, vt hanc experirer molestiam. Tolerabilia fuêre hactenus omnia, quamuis aspera, in reliquis quoq; superanda omnis fortuna, ferendo est. Nondum satis intelligo, quid firmũ de me sit, cùm omnis adhuc exercitus, arcis recuperationi studeat, eam breui futuram speramus: quod nisi & viarum sub hæc tẽpora difficultas, & anni ratio nostris obstaret, victorẽ omnino exercitũ in ipsa Moschici dominij viscera transferrent, ibidẽ hybernaturi: quorum sententia facilè residuo itinere absoluerer. Sed durare tamdiu vix poterunt, commeatus penuria, præsertim pro iumentis. Habent enim præter

suum equitatum prædatitios equos circiter viginti millia, quos saluare si possent, plurimùm vellẽt. Habere enim dicitur Moschouia equos laborib. ferendis admodum idoneos: res diu extrahi non poterit, quicquid erit, non patiar te nescire: tuum erit interea literas has nullo constantes ordine boni consulere. Vt enim sparsim relata mihi sunt omnia, ita vtiè congesta, vt licet vix vnius esse corporis videantur. Mitto nummos argẽteos sex Moschicos, ex præda ad me missos. Hos tibi cum amicis communes esse volo. Inuénies in illis inscriptiones Græcas partim, partim Ruthenas. Symbolum habent Ruthenæ cum Græcis literis: deinde par etiam est Religio: sunt vtique Christiani, sed Schismatici. Templa habent, hîc præsertim Vilnæ, auro, argento, & gemmis opulenta: paucis etiam hinc annis ex lapide ædificari cœpta, & quidem sumptuosè, cùm lignea tantùm priùs habuerint, non culta admodum. Sunt autem Rutheni (vt illud quoque auctarium addam) ingenio Lituanis promptiore, quò fit, vt operibus non mediocriter excellant. Multi ex ijs peculiare proditionis vitium habent, quod ad Principum, siue Ducum aliquorum domos irrepsit. Quin & hoc nuper bello Dux quidam Ruthenius ab omnibus suis Moscho se dedidit, quamuis egregium adolescentem filium in regis aula reliquisset. Sentiunt multi ex ijs secretò (vt creditur) pro Moscho, nulla alia magis, quàm religionis causa. Eam enim per omnia communem habent, transfugerentq; passim multi, nisi exploratam Moschi tyrannidem formidarẽt. Is enim sæuissimis subditos legibus coërcet. Omnia illi nascuntur, omnia crescunt,

omnia adducuntur. Si qui sunt, qui vel genere, vel dignitate magni sunt, in illius nihilominus manu sunt, neq; diutius diuites, quàm ipse velit. Commercia eorum terra, mariq́ue plurima. Aurum, argentum, pro pellibus inferre soliti mercatores, nihil aliud referunt: ea omnia Principi accedunt. Hinc opes istæ tantæ, quantas neminem vnum in Europa Principem habere, fama est. Populo miris artificijs insigni potẽs. Italos habet domesticos multos, & honestè, & vtiliter. Cæterùm circa fidẽ partes coactos sequi. Hæc ab ijs, qui istic versati sunt, didici. Si quando (quod maximè deprecor) eò iero, redieroq́ue quod precor, vel per literas, vel coràm de omnibus affatim: interea autem adhuc & hinc erit, quod scribam. Restat enim nonnihil militibus nostris circa arcis recuperationem, quod negocium extrahi diu non poterit. Si enim deditionem facere obsessi noluerint, aliud nostri pro rei, & temporis qualitate, consilium sunt apprehensuri. Sunt enim adhuc in exercitu præfecti, & tribuni militum omnes veterani, qui vel sub manu captare consilium non ignorant: ante omnes autem, Illustrissime Dux Constantinus, inter nostri temporis Imperatores in re bellica facilè Princeps, qui signis collatis ter, & trigesies dimicando victor fuit. Idem iunior tamen apud Moschum septennio manicis, pedicisq́; constrictus fuerat, bello captus. Vir est domi Numa religiosior, foris Romulo non inferior, quo duce, & hoc bellũ gestum est. In quo nihil esse vno omnes ore aiunt, quod probari nequeat, nisi quia Ruthenus, idemq́; Schismaticus sit, ita à parentibus errore, quàsi per manus accepto. Neque enim parùm refert, quam quisque

quisque à maioribus religionem acceperit. Cæterùm ita maiorum suorum traditiones omnes sanctè obseruat, vt ne latum quidem ab ijs vnguem recedat: qui si ad S. matris Ecclesiæ obedientiam reduci posset, innumeris dubiò procul ad idem agẽdum præluceret. Tanti est apud suos momenti, Principi autem ob eximias virtutes facilè carissimus. Sed de ijs tandem plus satis: veniam tamen mihi dederis (vt spero) non grauatim, culpam ingenuè fasso, qui non epistolam, sed libellum ex bello fecisse me haud quaquam negauerim. Leges aliquando nõ pauciora ijs, de itineris mei ratione, quod vtinam non tentassem, parùm à Septentrionali disto Oceano, & longiùs adhuc progredi cogor. Iam hic September initium est brumæ: quæ tã sæua solet ingruere, vt multis sine naso contingat esse. Noctes æstate breuissimæ, hyeme diei parum. Sub diuo Iulio pontifice laudatissimæ memoriæ, minus mense, annũ Roma ad duos missus reges, abfui, nõ paruo certè labore. Sed nihil ad hæc, quæ hactenus mihi æquali temporis, sed diuerso laborum calculo incidere, & tamen difficiliora adhuc restant. Leuius fit patientia, quicquid corrigere est nefas. Mihi certè satis erit pontificis, legatiq; expectationi respondere. Quod vt facere gratè valeam, pro sanctitatis suæ ac sedis Apostolicæ nomine gloria, amplitudine, ne glacialẽ quidem (vel sub bruma) sum reformidaturus Oceanũ. Sed iam vale, & Volumen hoc boni consule. Ad neminem enim diffusius scripsi: cùm sciam mea tibi omnia, vtpote mei semper amantissimo, non displicere. Ego valeo, & Principis munificentia bene habeo. Vilnæ, 26. Septemb. anno M. D. XIIII.

EPISTOLA SERENISS. AC INVICTISS. D. SIGISMVNDI REGIS POLONIÆ, MAGNI DVcis Lituaniæ, Russiæ, Prussiæq; domini, & hæredis ad sanctiss. D. Leonem X. Pont. Max. de Victoria contra SCHISMATICOS, MOSCHOVIOS, apud Aras Alexandri Magni parta, &c.

BEatissime patet & domine clementissime, post pedum oscula beatorum: cùm non ignorem V. sanctitatem, tum ex pastorali suo debito, tum etiam ex genuina pietate in religionis sacrosanctæ incremẽtum, magna cum voluptate audire solere, quando aliquis Catholicorum regum, aduersus infideles, aut schismaticos inconsutilem Saluatoris nostri tunicam scindentes, ac dilacerantes, Dei virtute aliquid feliciter gerat. Hinc conuenit, vt ego qui Turcam infestum, communemque Christiani nominis hostem vicinum habeã, Tartaros etiam, aliasque Transtanaitanas Scythicas gentes, numerosas, feroces, ac infideles, humeris meis à nullo Christianorum Principum adiutus, solus sustineam. Et præter hos omnes magnum Moschouiæ Ducem, cum quo nunc atrocia bella gero, Sarmatiæ, Asiaticæ tyrannum, opibus, armis, equis, virisque potentem, ac multis contra alios vicinos suos victorijs tumẽtem: blasphemũ tamen ac schismaticum, sanctę Romanę ecclesiæ infestissimum, hostẽ insolentissimum habeam. Huius belli motus, & præstitam mihi à Deo victoriam contra ipsum perfidũ Moschouitam, Sanctitati vestræ perscribam. Anno etenim exacto, fractis inter nos antea pactis, iuramẽtoq; firmatis fœderibus, immemor præstitæ fidei, & spreta iuramẽti religione, quæ modica, aut nulla in blasphemo, & schismatico esse potest, dominia mea in magno Lituaniæ Ducatu consistentia, exercitu multorum millium equitum bellatorum comparato, magna vi machinarum bellicarum, tormentorumque æneorum subsequẽte, hostiliter inuasit, dumq; arces aliquas graui obsidione premeret, nec propter valida præsidia mea, quæ illic erant, proficeret multis, sicut anno præterito Sanctitati vestræ significaueram, ex suis, in oppugnationibus munitorum locorum, & tumultuarijs prælijs amissis, domum re malè gesta non absque grauissimo dolore regressus erat, qui tamen iam aliàs sibi persuasisset, armis, opibus, & potentiæ suæ cuncta esse peruia, nec aliquid conatibus suis (in quo tamẽ deceptus erat) obstare potuisse. Æstate demum proximè exacta, tanquam ignominiam susceptam, damnaque prioris expeditionis, & bellum non satis prosperè anno præterito cœptum & gestum vindicaturus, iterum validissimum exercitum comparauit, in quo plures grauis armaturæ equites inerant, nixusque est, me certis castris exuere, & præcipuè castro Smolensko nuncupato: vt subinde tantò facilius totum magnũ Ducatum Lituaniæ, aliaque mea dominia bello atrociori vrgere, & totam Rubeorum Russiam sui schismatici ritus, quæ ditionis meæ est mihi eripere posset.

Potitus tandē ex adminiculo fraudis arce ipsa Smolensko est, de suis plurimis amissis. Subinde verò insolentior factus, exercitum auxit, ita vt excederet octuaginta millia hominum equestrium, aususque est sibi polliceri, quod iam facilè reliqua dominia mea opprimere posset. Progredi itaq; aduersus me suum exercitum vsque ad fluuium Beresinam mandauit. At ego qui in Domino Deo rectè speraueram, eundem fluuium exercitum meum equitatu, & peditatu, tormentisque bellicis bene instructum, magna celeritate traijcere imperaui, hostisque exercitum pedem referre, ita vt retrocedere coactus est, compuli. Et dum exercitus hostilis per meum arceretur, vigesimaseptima Augusti particulari prælio à meis militibus pulcerrima clades eidem hosti inflicta est. Alia iterum Calendis Septembris, & ex vtroque prælio plures ac insignes captiui mihi adducti sunt, & multi ex hostibus cæsi. Miles autem meus eiusmodi victorijs, quasi auspicatis præludijs accensus, vltro in pugnam ruebat. Equidem verò in præsentissima clementia Dei, & in iusticia, caussæ meæ confidens, maximam iam de orta victoriā securitatem mihi pollicebar, & feci magno animo meum exercitum procedere, & stationibus hostis appropinquare, dumq; hostis sentiret, meum exercitum sibi imminere, Borysthenem tunc solito magis exuberantem nando traiecit. Meus verò exercitus insegniter animis ad pugnam præparatis, hostem retrocedentem sequutus est, & similiter Borysthenē, dum in re tam subita, & potis faciendi potestas, & nauigia ad transportandum militem deessent, ad eā ripę partem, in qua iam hostis ordinatis aciebus, mentisque dispositis, conflictum præstolabatur, natando intrepidè transmisit. Et tandem Deo auspice, qui in se sperantes non deserit, & confundit manus filiorum alienorum, die Natali beatissimæ Virginis, quæ erat octaua Septembris, cum hostibus eisdem feliciter pugnauit, totumq; eundem validissimum hostis exercitum, qui (vt præmissum est) ex octuaginta millibus hominum fuit, comparatus, vna acie fudit, fugauitque, & tanquam vilissima pecora totis campis cum fœda strage, & multa cæde vltra quadraginta millia passuum ante se egit, itaq; supra triginta millia hostium, & cæsa, & submersa sunt. Castra hostilia plena, opulenta pręda, direpta, & decem præcipui Duces, & Satrapæ, & triginta septem Barones, Consiliarij, primores: officiales autem & armigeri nobiles supra duo millia capti, cum signis sui exercitus mihi adducti sunt. De meis verò, Deo auspice, pauci desiderantur. Quamobrem hanc tam insignem, & longo tempore memorandam, sed nec minùs mirandam (quoniam dextera Excelsi facta est) victoriam vestræ Sanctitati, pro mea in ipsam summa, & eximia deuotione cognitam esse volui, vt Sanctitas vestra ex eadem iucundum, atque alacrem animum concipiat, mihique suo deuotissimo filio gratuletur. Quandoquidem pro sacrosancta religione, proque sede Apostolica, & Sanctitas vestra decorè ad ea, quæ factu sunt possibilia, semper sum paratus. Collocaui namque magnam spem, & cōfidentiam in vestra Sanctitate ergame, regnumque meum clementia. Quoniam verò hostis ipse adeò superbus, & obstinatus existit, necesse est, vt tātò studiosius ipsum sine intermissione persequar,

& bello vrgeam, ne tam citò vires recuperet, ac reparet, quandoquidem non priuatam meam, & regni mei rem nunc ago, sed totius Christianę Reipublicæ, ne tam validus hostis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ inimicus, quandoque aduersus sanctam Ecclesiam pro ritu suo, falso, blasphemo, & schismatico inualescat. Et vt hæc mea gesta, quæ mihi ex misericordia Dei feliciter euenerunt, audacter vestrę Sanctitati scribo, sic etiam semper audire cupio, vt sacro sancta Rom. eccl. vniuersalis status omni felicitate præfulgeat, atque vt vestra sanctitas incolumem, & longæuam, felicemque vitam cum reuerendissimis patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus ducat. Oratorem autem meum, & res meas vnà mecum vestræ sanctitati commendo, qui quidem orator meus V. Sanct. tam ea, quæ gesta sunt, quoniam & gens, & loca, in quibus gesta sunt hæc, sibi cognita existunt, quàm alia è mente mea, planius exponet. Datum in castris circa Borisouo, decima octaua Septembris, anno Domini, millesimo, quingentesimo, quartodecimo.

Vicesimo quinto Ianuarij die, M. D. XV. a Leone Papa X. ob eam ipsam victoriam Deo opt. maxi. εὐχαριστία habita est in Sixti sacello.

ORATIO

ORATIO PER REV. PATREM DOMINVM ERASMVM VITELLIVM, EPISCOPVM PLOCEN. *in celeberrimo Augusti. conuentu ad Cæsarem Maximilianum, nomine victoriosissimi regis Poloniæ Sigismundi, habita coram omnibus sacri Imperij Electoribus, plurimisq; Germaniæ Principibus, die Veneris XX. Augusti, anno Domini 1518.*

ILLVSTRI DOMINO ERASMO Roterodamo vtriusq; Literaturæ principi, & Theologorum duci, Iacobus Spiegel Seleſtadien. Imperialis Secretarius, S. P. D.

PRO inuictissimo Poloniæ rege Sigismundo, qui non multos ante annos, & menses, maxima victoria in Hamaxobitas (quos ipsi Moschos appellant) & Schytas (quos Tartaros dicunt) potitus est. Reuerendiss. Dn. Erasmus Vitellius episcopus Plocẽsis, singulari integritate vitæ, rara q; doctrina, Romanaq; facũdia insignis, vel eo mihi nomine præcipuè colendus, quia cognominis, de te perquam egregiam frequenter facit mentionem. Primam (vt aulicus, aulico vtar verbo) audientiam coram Cæsare, sacri Imperij Electoribus omnibus, & cæteris Germaniarum principibus, proceribusq; obtinuit. Sic ornatè, sic grauiter orauit, vt ad intimaq; vsque præcordia auditorum, vehementia sententiarum penetrauerit, pluresq; ad fletum concitauerit, ei

vero docto simul & facundo, omnes docti, & eloquentes palmam tribuunt. Aderant enim viri non pauci, tum exquisitè docti, tum in iudicando nares emunctissimè. Antistes Tergestinus, Peutingerus, Huttenus, Bartholinus, Spalatinus, & Stabius ille in nullo doctrinæ genere non versatus. Henricus Stromer medicus, & Laurentius Zochus iurisconsultus, Cardinalis Maguntini florentissimi principis Cancellarius. Igitur facta mihi primum præ cæteris elegantissimè huius orationis copia. Quia digna multorum lectione visa fuit eruditorum calculo, & ab omnibus desiderata, imprimendam curaui, sub augusto tuo nomine, quòd omnia pietate sacra iure sibi vendicat, quam haud subducto supercilio accipere digneris. Non dubito quin vt audientibus lacrymas commouit, ita hæc eadem legentibus magis copiosas excutiet, & in rem Christianam propensiores eorum animos reddet. Vale tecum bene Rhenanum verè beatum cupio, quem animo mecum circumfero, vtrique filia vita. quem maximè longæua exopto, vt indies magis ac magis felicibus auspicijs bonæ literæ, & maximè sacræ reflorcant. Huttenus, quia nihil est visus cæcutientibus populoris literationis admiratorib. nominis nihil peperercit. Quem te Frobenio nostro publicandum uerum, si tibi visum fuerit, tradere velim. Mittam eius de vita audaci Dialogum quamprimum prodierit in lucem. Vale iterum ex Augusta Vindelicia, pridie Calend. Septembris, anno post partum Virginis matris, 1518.

ORA-

ORATIO.

VENIMVS à rege nostro, sacratiss. Imperator, ad hunc celeberrimum conuentum, quem solita vigilantia tua pro salute Christiani status æquè commendatè, vt opportunè, hoc loco, & tempore instituere curasti, acturi, maiestatis regiæ, & ampliss. imorum eius dominiorum nomine, quæ ad sanctam expeditionem generalem, contra immanissimos Turcas, totiens proposita commodè attinebunt. Quantum verò necessariè sint, simulq; cùm vita omnium nostrûm desideratissimæ præparationes istæ: Christianorum coadunatis viribus, hostis aucta potentia testatur, iã annos circiter septuaginta post infelicem, & calamitosam Bysantij captionem, quæ patulam ad nos hostibus ianuam præbuit, nihil aliud audimus, quàm clades atque excidia continua Christianorum à Turcis. Et dum omnes ad resistendum (vt par esset) consurgere negligimus, tot principes cum subditis suis, tot reges cum eorum populis: tot deniq; ditissima, cum magna iniuria religionis nostræ, & maxima indignitate Christiani imperij miserabiliter deleta sunt, quæ singillatim enumerare, dolor profectò mœrore plenus prohibet. Quandoquidem neque ea me referre, neque vos audire, siccis oculis liceret, capita vtcunque decerptam. Nónne videmus Asiam vniuersam, quæ è tribus orbis triangulis maior est, his & alijs infidelibus occupatam? Aphricam verò totam, impijs ac sceleratis eorum manibus desolatam? Europę magnam partem,

tot incendijs, & assiduis vastationibus debilitatam? & hucusque dormitauimus. Sed neque his contentus hostis, vt fortior fieret Ægypti, & Syriæ regem, quem Soltanum dicunt, aggressus superauit, totiusque Syriæ, & Ægypti, ea victoria (sed & Hierosolymæ matris nostræ, vbi salus orta est) vnicum sedominum constituit. Et altero verè imperio longè ante formidabilem potentiam suam auxit. Nos verò torpemus, & bellis intestinis, plus insolenter, quàm necessariò exagitati gladijs nostris, domesticos fidei, aut potiùs nos ipsos, detestanda malignitate confodimus: nec Prophetæ sapientis verba, quæ aduersus nos, tanquam Ethnicos clamitant, attenduntur, dignaque, facinori supplicia annunciant. Ipsi (inquit) contra sanguinem suum insidiantur, & infrà. Ego verò dum eis repentina ingruerit calamitas, non exaudiam. Parat nunc in Christianos, terra, marique arma sua, instat Turcarum framea, capiti & collis nostris, & adhuc oscitamus, vixque ad pacem mutuò amplectendam, tanta periculi magnitudine vrgente, mētes componere volumus Leone sanctissimo, id dies, noctesq; curante, hortatur nos hostis, excitat à somno: commonefacit desides: torpētes terret, dum iampridem ad ostia Tiberina: nūc verò ante paucos menses, circum Rachanati mœnia, & hisce iam diebus, dum hīc agimus, iterū ad Ostiæ portus, ferro, & sanguine debacchatus sit. Nos tamen fatis sic volentibus omnia hęc, quæ vltimum omnibus exitium minantur, ridiculum putamus, vt iam illud diui Petri naufragantis, dum sibi in fluctibus dexteram dari popoſcit, & meruit, dicere libeat: Salua nos Domine, perimus.

Collegerat similem conuentum feli. re. carissimus genitor tuus, post insperatam Carniolæ suæ depopulationem. Multa illic in eam sententiam à viris doctissimis declamata sunt: multa etiam prophetico quodam spiritu prædicta, nisi tunc instantibus, & euidentissimis periculis aliter prouisum fuisset. Quæ omnia flebilis tandem effectus complet, cùm nulla consulta inuicem, & constituta nulla, suo ordine, vt necessitas postulabat, debitæ executioni mandarētur, & omnis rei bene gerendæ commoditas, simul cum tempore amissa fuit turpiter, aut neglecta. Nunciterum Cæsar inuictissime, pro dignitate & debito tuo, conuentum hunc bono cœptum omine, diligenter prosequeris, vt labenti Reipubl. Christianæ efficaci opera subuenire possis, & iustè quidem: sic enim Christianorum Imperator, re pariter constabis & nomine, dum hi, qui tuo subsunt imperio, à Cæsare suo adiuti fuerint, & defensi. Quam equidem deliberationem multo iam tempore pro connata animi tui magnitudine concœperas, qui annis his proximis tres Christianos reges potentissimos, in Austriæ tuæ vrbe primaria, tum splendidè, tum honorificè tecum habueris, fœdereque simul immaculata fide percusso, plura cum eis in rem Christianam mutuis tractasti consilijs. Quod reuera pro singulari gloria tua, omnium ora passim prædicare non desistent, pluresque Adamantinis scriptis perpetuare curabunt. Neque enim parens tuus, neque Cæsares alij tantum actum, triumphis Octauij meritò æquandum, pro suo vnquam desiderio efficere poterant. Omitto nunc cateruam immensam victoriarum tuarum, quæ ti-

bi semper optatis vbique successibus respondebant, vt quilibet bonæ mentis metiri ex his possit, quæ & quanta in arbitrio & moderatione tua consistant, quin & luce sit clarius, plus ornamenti imperio tua prudentia, & felicitate allatum esse, quàm tibi Imperij maiestate: atque ideo pater patriæ à tota Germanica natione, quę sub cælo maior est, meritò appellaris, quibus immorari, vt volui, tẽporis vetat angustia, dum ista vulgata iam sint, & toti mundo notissima. Tu deinde tua sponte & virtute, regumque illorum hortamentis incitatus, non modò in optimum propositum, & tua amplitudine dignum deuenisse perhiberis: sed vltro etiam totius belligerendi progressum, rationes, ordinem, & modum cõcinnè describere curasti. Tanta peritia rei militaris, tantoque studio, & omnium digna consideratione, vt facilè appareat, inuentione hac tua, nec dum Imperatoris summi, sed excellentissimi quoque armorum ducis, & animum fortem, & consilium circumspectissimum non deesse. Habet rem hanc cordi, æqua lance, sedes sancta, religionis nostræ caput & magistra, quæ tot annorum concilium feliciter continuans, singulares, & vrgentissimas admonitiones qualibet sessione, ad hunc effectum instituere solebat: vbi etiam Turcarum tela pectoribus suis infixa. Episcopi declamantes, ostendere visi sunt, vt non verbis tantùm, sed rebus, & sanguine ipso pungerent segnitiem nostram, & dejectos Christianorum animos, quantum possent, erigerent: cuius nauiculæ gubernator, verum se Leonem in his præstat, quippe qui salutiferos rugitus, & vigilantissimas cogitationes suas, summoque & vero

& vero pastore dignas, ad hoc vnum conuertit, vt communi potẽtia tantis periculis vltimum iam interitum secum ferentibus, quantotius succurratur. Quæ omnia dignissimi hi legati sanctitatis suæ magis abunde explicarunt. Rectè gubernabant populum Dei Moyses & Aaron, Dauid & Nathan, pluresq; Romani pontifices, cum imperatoribus Christianis, iuncta simul gratia, vtraque potestas. Binum nobis reliquit gladium, transiturus ad Patrem, Saluator noster: bina coluerunt elemẽta Persæ, Ignem, & Aquam: duobus & nos saluamur, Fide, & Opere. Curabis & tu, Cæsar inclyte, cum Leone sanctissimo, vtroque iuncto gladio, eripere de faucibus inimicorum, & tot calamitatibus, oues Christi. Inconsutilem enim tunicam suam repręsentatis, quæ sub hoc tempore vestro, non abs re profectò inuenta est: adhibebit ignem orationis, & spiritum fortitudinis benedictum sacerdotium, neque impensa deerit. Tu aquam non gelidam, sed feruentissimæ defensionis, cum regibus Christianis, indefessè suggeres, fidemque nostram & spem omnium opere adimplebis, vt à ferocitate Turcæ salui simus, vnica namque est gloria, penates nostros, & religionem, in qua nati sumus, tueri & defendere, pro qua iam omnes maiores tui, tot reges & Cæsares sanctorum nonnulli Cathalogo asscripti, felices & candidissimæ animæ plura bella in Europa, & Asia gloriosè susceperunt, qui semper magnanimitate ingenita, aliena quærere, non sua amittere didicerant. Gignit nos natura miserè, viuimus demum tot onusti curis, & tanquam flos citò arescimus: decidimus tandem, & morimur, solus is diu viuere perhibetur, qui dum

vita exceſſerit, perpetuam ſui nominis, beneꝫ geſtis, aut factis, memoriam propagauerit, quò ſit, vt adſimus abſentes, mortuiſque viuamus. Tritum fuit Amus abſentes, mortuique viuamus. Tritum fuit Adagium apud veteres: Pulcrum mori, decorat vitam. Quod plurimi, vt patriam conſeruaſſent, corpus ſimul & animam deuouentes, viuis effectibus comprobarunt. Tu itidem ſacratiſſime Imperator, vt tui ſecretiores referunt priora de Chriſtiano ſtatu ſecum repetens, & futura ante oculos ponens, mente vt fit liberiore, dicere ſoles, nullum mortis genus te gratius excipere velle, quàm quod in caſtris militaribus contra infideles, ad virentes campos feliciter eueniret. O virtus animi commendatiſſima: ſic corporis robori tanti principis inſita & coniuncta. Non hominis profectò deliberatio iſta eſt, ſed numinis vox quædam, & ſolo digna Cæſare, dum non lectum eburneum: non ſericeum puluinar: non auratum cubiculum, ſed prata virentia, & fœnum ruſticum pro delicijs regalibus expoſcas, vt debito Imperiali, quo toti Chriſtianitati teneris, ingenuè ſatisfacias, pro quo tibi omnes, mentem ſanam in corpore ſano, vitæque diuturnitatem precabuntur. Et vt in hoc tam glorioſiſſimo propoſito, animo incõcuſſo perſiſtas, erectis in cælum palmis, attentiùs orabunt.

Sed iam factis res aggredienda foret, conſtantique pectore, ſine omni vlteriore cunctatione proſequenda, poſt tot conſilia, & decreta multa: poſt tot conuentus, & exhortationes varias, poſt tot inſtructiones, & tractatus plurimos: armis tandem, non argumentis opus eſt. Iam enim de his tam crebris, ſed vanis, aut nullis conſultationibus, & præparamentis noſtris (vt quidam Mediolanenſis ex Turcia profugus nuper in cõſpectu regis noſtri retulit) ſepiùs dicit Turca, admodum ſubſanantis, conſulant Chriſtiani, conſulant, & ego faciam, quod re ipſa, & ſtupendis indies victorijs demonſtrat. Nos ſi veri Chriſtiani ſumus, quemadmodũ Turca in dedecus potiùs noſtrũ affirmat, Chriſti fidem, ad ſanguinem vſq; mente intrepida, non oſtentatione ſolùm, ſed affectibus ſynceris obſeruare, tueri, & quantum in nobis eſt, manu tenere debemus. Quoadu ſque vita noſtra, Chriſtiano aduerſabitur nomini? vt qui Chriſtũ imitari, pro Chriſto nos opponere, religionis vinculo arctamur, contra eius legem: cõtra oues ſuas: contra ipſum Chriſtum, ignauia, arrogantia, & exceſſibus noſtris, in cælum vſque cum Gigantibus, lethiferas ſagittas, impudenter dirigimus, de locis certamus, publica negligentes: hoſtis verò nos, & noſtra omnia, ac loca ſimul, deglutire contendit. Vnum hoc conclamatum eſt, Turcas conſilijs quibuſcunque non conuertemus, ſi armis non vincemus, quæ diuini verbi Concionatoribus elucidanda relinquo, quandoquidem multa nunc eſt meſſis, & operarij pauci.

Neq; id deterreat, quod tam longo tempore, Orientali imperio, hoſtis crudelitas potita ſit, & deſidia noſtra, eius potentia ſic increuerit, vt firmata eſſe videatur. Ad Occaſum intueri volenti, poſſibilia omnia, & facillima comperiet, cùm Sarracenorum immanitas Granatam, & magnam Hiſpaniæ partem, ſupra ſeptingentos annos hæreditario admodum iure poſſederit. At Ferdinandi regis victoriosiſſimi conſtantia, reginæque Elizabeth deuotione,

& suorum fortitudine, paucis annis, nedum recuperata sunt omnia, sed tota infidelium potentia, nó à regni solùm finibus abacta est. Verùm aduſq; interiora Mauritaniæ littora, cum perenni illius regis gloria eiecta. Ille verò proprijs tantùm viribus, & vnica suorum manu, strenuè hęc gessit. Tu cõmune bellum paras, & generalem (vt aiunt) expeditionem, tua opera, consilio, & auspicijs, regumque omnium assensu, & horum prudentissimorum principum consilio (qui tuo lateri tanquam validissimæ columnæ adhærent) instituere debes. Quis oro, tot regibus, & principibus, tanquam numerosæ multitudini resistere poterit? Dum & pacem exultantem, multisque ante seculis, inter Christianos desideratam, nũc iam commodissimè pro tui, & Leonis animi sanctissima factione, restitutam vides, & nouo quodã quinquennali fœdere, cum omnium, qui bonę voluntatis sunt gratitudine, firmatam intueris, vt nihil est amplius, quod ad rem propositam feliciter gerendam desit, aut quod impedire possit.

Non deerit votis tuis, & Leonis sanctissimi, serenissimus rex noster cum omnibus dominijs suis, & tota illa Septentrionis ora, modò bellis, alijs, quibus continuò impetitur, finem optatum imponere possit. Quos verò hostes regnum nostrum habeat, & quib. difficultatibus, rex ille bellicosissimus detinetur, paucissimis explicabo, ne pijs auribus fastidij præbeam offendiculum. Notum est hac ætate nostra, Sigismundi nomen celebre, longè, lateque plurimis victorijs, fama refertissima peruolante. Nolo nunc genealogiam & ortum clarissimi regis exequi, quæ tuæ celsitudini, & his omnibus satis cognita esse

esse debet, Casimirea domus est, quæ regnare semper didicit, & vincere, præsentiam matura pulcritudine, & aspectu iucundissimo decoram, tu nosti, ita ex omni parte compositam, proceræque grauitati coniunctam, vt ad Maiestatem ipsam, natam esse videatur. Hic auito, paternoque & fratrum regno, senatu vocante succedens, bello fortissimum, pace verò splendidissimum se præstitit, & reddit. Quippe qui incomparabili iustitia, clementia, & liberalitate, sic apud suos omnes carus est: sic eorum affectus, æquitate, & mansuetudine, ac modestissimis legibus in se deuinxit, vt inter tot bellorum tumultus, non quod ex veteri instituto solitum est, sed quod rex ipse præcipit, aut nutu solo designat, illico à suis omnibus cum summa animi alacritate perficitur. Quæ profectò suprema laus regum est, dum quisq; subiectionis suæ debitum, amore illectus, non timore perculsus, serena fronte, & libera exequitur, idque efficit, vt dum Scythæ fugaces (quos nostri Tartaros vocant) subitò interdum & insperate, fines nostros irruant, mox nobilitas è centro regni primaria, benignitati principis satisfaciens, vitam propriam, & salutem, mera ipsorum virtute defouere, & in media vsq; hostium agmina obijcere non metuat, spem reponens firmissimam, in optima regis munificentia, qui benemerita cuiusque dignis præmijs excitare consueuit.

Vrgetur namque multis hostibus: regnum illud amplissimũ, tribus à parte vna: Scytharum ducibus potentissimis, multa centena millia bellatorum in statione campestri secum ducentibus, qui se etiam Cæsares dicunt, vno Theodosiæ propinquo, post

Borysthenem ad latus maris Pontici, in Taurica residente, alter circa Tanaim, & paludem Mæotidem loca tenet, & is in manibus regis est: tertij sunt remotiores. Asiatici vastissimam incolentes solitudinem, & latissimos tenentes campos: hi omnes repētinis incursionibus regnum deprædari, & continuè defatigare non cessant, famem, sitim, æstum & algorem, & omnem inediam contemnentes. Sæpius etiã Turcis iuncti, qui Monocaustum, & Licostomum occuparunt, maiora & horrenda damna nostris inferunt. Turcarum enim Scythæ omnes dependent, dum eadē secta sit, Mahometicis simul erroribus implicata: è quibus planè deprehendi potest, facilius catulos à maternis vberibus, quàm Tartaros à Turcarum assistentia diuelli posse, qui nunc etiam contra regem Persarum optatas viginti millium equitum suppetias tulerunt. De his rex noster multas & insignes reportauit victorias, vt arces, & loca regni munitissima ostendunt, quæ pacis tempore pro sui nominis immortalitate ornatissimè restaurat: vbi Scytharum catenatæ acies, latericio in muris erigendis certamine quotidie congredi videntur. Est & alter hostis non minor ad rigentem Arcton, citra mare glaciale cõsistens, Roxolanorũ dux, quem nos Moschum dicimus, sola perfidia, & detestando schismate famosus. Is partem regni Lituanorum videlicet prouinciam, magno etiam bellorum motu turbat indies. Sed & hunc rex noster, patrocinante iustitia, fudit sæpius, eiusq; potentiam triginta millibus in loco cæsis, profligauit, quàm plurimis primoribus ad vincula coniectis, qui in omnibus Lituaniæ castris arctissima detinentur custodia.

stodia. Multis etiam alijs captiuorum millibus per vniuersum ferè orbem, varijs Christianorum principibus, mancipiorum loco dono datis.

Iamq; cruentum hoc bellum decennium superauit, dum sint, qui eas discordias seminent, concitent, & turpiter alere non verentur. Sed, proh dolor, non pudet etiam religionis professores tantorum malorum auctores, & faces esse, qui literis, & nuncijs ad eam rem fouendam, magisq; irritandam, terra & mari sursum ac deorsum cursitant, vt reges & principes alioquin fortè quieturos, ad pugnã inflamment. Salutis insigne, & candidam innocentiæ vestem deferunt, tanquam pacis amatores, & fratrum perniciem sitiunt, bellorumq; fomitem, & totam caussam præstant, hi sunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autē in cordibus eorum, sed reuera, Deus fucis nõ illuditur. Breui nãq; eis secundum nequitiam adinuentionum ipsorũ retribuet. Tuę verò sacratissimę integritati studium erga se, & statum suum pacandum cognitũ habet rex noster, pro qua beneuolentia, te vt parentem alterum obseruat, veneratur, & colit, velleq; vicissim eius maiestatem omni opera, & facultate eniti, vt quacunque occasione, & modis, tuę celsitudini mutuò gratificari, & æquè fraternum officium præstare possit.

Et vt finem dictis imponam, his hostibus & quidem assiduis regnum nostrum à trecentis penè annis premitur. Vērùm suo ære tantum, suo milite, & maximis laboribus, totam hanc belli molem sustinuit, nemine Christianorũ principum suffragante: spe alebamur cõtinua, & nudis semper pollicitationibus detinebamur, sumptibus & humeris nostris

vicina hucusque ocia fouebamus, vt iam tanquam defessi & imbecilles, à maioribus impensis continere non possemus, & deberemus meritò. Nunc tamen vt priuatos effectus publica vincat vtilitas. Expeditionem hanc generalem commendat summopere, & approbat, sereniſſimus rex noſter: laudat modum de colligendo neruo bellico, & exercitu congregando. Quem ſanctiſſ. dominus noſter, & tuæ celſitudinis prouidentia conſtituit. Alij q; reges & principes Chriſtiani proponunt. Sed neque de eo pro nunc Maieſtatem regiam cum ſenatu, & ſubditis ſuis, quicquam decernere potuiſſe, inter domeſticas difficultates, & bellicam occupationem cum ea, quem nemini hoſtilitate, quibus aliqua ex parte, vtcunq; compoſitis, & deliberatione huius digniſſimi cõuentus procedente, mox maieſtatem ſuam, & de colligendo nummo, & deſcribendo milite, in regno & dominijs ſuis itidem cõſtituere velle. Nec prætermiſſurum quicquam, quæ vires eius, ac regni, & dominiorum ſuorum ferre potuerint. Et quæ ad tam ſanctum, diuq; deſideratum opus pertinebunt, dũmodo aliquando cum effectu aliquo Chriſtianæ ſaluti conſulatur, pro qua (vt verbis vtar regijs) & theſauros omnes, & ſanguinem ipſum cum vita effundere parata eſt.

Perge igitur, quo cœpiſti, ſacratiſſime Imperator, & tot ac tãtis glorioſiſſimis triumphis tuis, vnicum hunc, qui cunctos alios ſuperabit, apponere contende, vt vtriuſque Imperij habenas, Chriſtiani omnes, te moderantem aſpiciant, & lætentur. Vinces proculdubio in ſigno crucis hoſtes deterrimos, profligabis cum tanto apparatu, & omnium potentia.

tia. Turcas impios exterminabis cum Leone ſanctiſſimo, & tot regibus ſpurciſſimos, infideles, & ad vltimos vſque fines terræ, tanquam Chriſto alienos propulſabis, vt qui te Auguſtum in Auguſta tua, & menſe hoc Auguſti, auguſtè comperimus, poſt multas de infidelibus partas victorias, Mahometiq; deleto nomine, Auguſtiſſimum tãdem videamus. Iter autem parabit, & diriget Dominus, cuius res agitur, carmine prophetico atteſtante, Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.

VICTORIA SERENISS. PRINCIPIS, ET D. D. SIGISMVNDI EIVS NOMINIS PRIMI REGIS *Poloniæ, magni Ducis Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Maſſoniæ, &c. domini, hæredis contra Vayuodam Muldauiæ, olim Daciæ, Turcæ tributarium, & ſubditum. cui ſubeſt Valachia. Myſiæ inferioris pars ad flumen Tyram influens Pontum Euxinum, quæ a Deo data fuit terna in Menſe Auguſto præterito, & conſummata XXII. die eiuſdem menſis, anno Domini*

M. D. XXXI.

VAyevoda Muldauię, & prædeceſſores eius, vt perfidorum mos eſt, nihil vnquam longo iam tempore regibus, & regno Polonię, quod tenebantur, præſtiterunt, cui ipſe Vayevoda innixus, hyeme præterita, præter omnem expectationem fœderibus, & iuramentis, quæ fece-

rat, neglectis: nullaque hostilitatis denunciatione præmissa, prouinciam regni Poloniæ Pokuciæ nuncupatam fide, & honore posthabito, occupauit. Quam iniuriã, quum sereniſſimus Poloniæ rex diutius ferre non posset, exercitum selectorum mercenariorum militum ex regno suo cõparauit, & conscribi iussit, opera magnifici Domini Ioannis Comitis de Tharnouu, Palatini Russiæ, & exercituum regni Poloniæ capitanei generalis, viri in militaribus, clarisq; alijs in rebus præstantissimi, quem ille varijs in locis, ne hostis certum numerum scire posset, collegerat, & dispositum fuerat, & non multò ante festum sancti Iacobi ad loca, quæ præsidijs hostis firmata erant, admoueri iusserat. Constabatq; totus ille exercitus equitibus, præter trecẽtos pedites, qui machinis, & bombardis erant addicti. Ex his equitibus ipse capitaneus generalis præmisit duo millia, & aliquot centum equites, qui præter Valachorum spem, & scientiam varijs in locis prouinciam illam Pokucziæ adorirentur. Valachorum ibidem in præsidijs erant fortassis 1400. bello apti, præter aliam colluuiem. Poloni milites mãdata capitanei strenuè exequentes, non vna ex parte eam prouinciam inuaserunt, confligentes cum hostibus multos trucidarunt, & non paucos viuos ceperunt, inter quos erant pleriq; ipsius Valachi familiares, & aulici, atq; in duobus diebus totam illam prouinciam recuperarunt, præter castrum quoddã Guuosdziecz, quod cuidam nobili Polono Thuuorouuski nuncupato fuerat ademptum. Hoc tamen etiam paulò pòst confidentes, in potestatẽ suam redegerunt, & illi quendam præfectum militum Vlodek nomine præfecerunt,

runt: pauci ex illa Polonorum irruptione, Valachorum, qui superfuerant, euasere in Valachiam. Huic victoriæ capitaneus generalis Comes de Tharnouu nõ interfuit, sed cum potiore exercitus parte rerum euentum non procul præstolabatur. Victoriæ verò nuncium cum quibusdam captiuis, nobilis quidam iuuenis Spitek de Tharnouu sereniſſimo Poloniæ regi Cracouiam apportauit. Paulò pòst appulit etiã ad sereniſſ. Maiest. regiam generosus dominus Hieronymus Schaffranyecz, qui plurimos ex ea victoria captiuos attulit, hiq; hinc inde per castra regia habentur distributi. Post hanc acceptam cladẽ Vayeuoda Valachus percitus, omnes quas potuit suorũ copias cõgessit, & in tres exercitus diuisit, eratq; numerus omniũ supra viginti millia. Cum his in prouinciam Pokucziæ perueniens, sex millia equitũ ad recuperandum castrum Guuosdziecz transmisit. De quo certior factus comes de Tharnouu, capitaneus generalis, maturè cum toto suo exercitu, & his qui vltro se adiunxerant, ad succurrendum obsessis, & castro affuit. Hoc videntes Valachi, 19. Augusti præteriti cum exercitu Polono manus conseruerunt. In eo conflictu, cum Dei adiutorio, Poloni superiores facti, Valachorum illa sex millia profligarunt, & in fugam verterunt: multi illorum cæsi, capti quàm plurimi, & præsertim de illis, qui ipsius Vayeuodæ curiæ inseruiunt. Hanc suorum stragẽm, quũ à duobus suis capitaneis, qui ex prælio profugerant, Vayeuoda audiuisset, commotus, iussit illis amputari capita, sed aliorum precibus victus, catenis ferreis vinctos custodiæ mandauit. Hæc est Valachorum consuetudo, vt eos omnes, qui ex pugna euadentes do-

mum reuertuntur, supplicijs grauioribus, quàm si in bello cecidissent, afficiant. Hinc fit, vt in cõfligendo multis alijs nationibus sint ferociores. Accẽsus itaq; Valachus ira pariter, & pudore, ipse in persona cum suis omnibus, Polonos septos castris, vt eorum mos est, curribus, & vallis factis, cum multis magnis bellicis tormentis, quæ secum duxerat, aggressus est. Quumq; Poloni sic cincti, non excedentes sextam partem numeri militum, quem secum habuit Valachus, vim globorum vlteriùs ferre nõ possent, prioribus victorijs animati, & ope diuina adiuti, extra vallum in ordinibus suis prosilientes prælium commiserũt, & cum hostibus de perfidia expostulantes, & certantes ad quinq; horas, sine intermissione cõseruerunt manus, illosq; ad internecionem vsque prostrarunt. Namq; præter multa alia millia cæsorum Vayeuoda ipse fugiens duobus vulneribus est affectus. Tormenta bellica magna quinquaginta cum pulueribus, globis, curribus onerarijs, & toto commeatu capta, inter quæ fuerant quædam ante 34. annos Polonis, & superioribus annis ipsis Trãssyluanis Vngaris adempta. Item duo vexilla maiora & principaliora, tympana, & multa alia bellica apparamenta. Quæ omnia facta sunt 22. Augusti preteriti. Poloni prosequentes victoriam, insequuti sunt fugientes Valachos per milliare Germanicum vnum & dimidiatum, trucidantes, & plerosque de nobilioribus viuos capientes. Fuit cæsorum ingens numerus, & inter eos multi de primoribus Valachi reperti. Hunc lætum victoriæ nuncium attulit serenissimo Poloniæ regi quidam præfectus militum, nomine Szuuienziciki 29. Augusti Cracouiam. Postero die

ro die missus à comite de Tharnouu capitaneo generali quidam iuuenis nobilis nomine Sbigneus Szienyenski, quosdam sereniss. Maiest. regiæ etiam captiuos attulit. Et inde alius præfectus militum Laslouuiecki duxit secum magnum captiuorum numerum, inter quos est, qui dicitur sermone Valacho Glogofer, quod est apud illos supremi cancellarij nomen. Item & pocillator, seu pincerna, & structor mensæ, cum plerisq; alijs ipsius Valachi officialibus. In summa nihil aliud ex eo conflictu secum, quàm duobus vulneribus saucium corpus asportauit Valachus, qui non immeritò perfidiæ suæ sic dedit pœnas. Hinc tantus timor suos in Valachia inuasit, vt multi in Vngariam, & Moldauiam quotidie cum bonis suis profugerent. Christo Domino sit honor, & gloria, atq; omnis gratiarum actio, qui sereniss. Poloniæ regem quàm diutissimè contra crucis suæ hostes viuere, & triumphare concedat, Amen.

EXCERPTA est hæc victoriæ historia ex ipsis sereniss. Poloniæ regis literis, & quorundam, qui omnia magis peculiariter scripserunt.

Datum Bruxellis, in curia Cæsareæ Maiestatis, 24. Septembris, anno Domini M. D. XXXI.

Per R. D. Ioannem Dantiscum, C. Episcopum Culmensem, oratorem ipsius sereniss. regis.

FRAGMENTVM EX LIBEROBARONE DE HERBERSTAIN NEYPERG, ET GVETTENhag, &c. de bello Poloni, & Moſcbi.

ERAT Ioanni magno duci ex Sophia, filia Helena, quam collocauit Alexandro Magno duci Lituaniæ, qui poſtea rex Poloniæ declaratus eſt. Sperabant Lituani iam grauiſſimas vtriuſq; principis diſcordias eo matrimonio ſopitas fore: at longè grauiores inde exortæ ſunt. In ſponſalibus namq; concluſum erat, vt templum Ruthenico ritu in caſtro Vilnenſi, deſtinato loco exædificaretur, eiq; certæ matronæ ac virgines eiuſdem ritus iungerentur, quæ cùm aliquanto tẽpore fieri negligerentur, ſumit ſocer cauſſam belli contra Alexandrum: & triplici exercitu inſtructo, contra eum progreditur. Primum verſus prouinciam Seweram in Meridiem: ſecundum verò in Occidentem contra Toropecz, & Biela inſtituit, tertium in medio verſus Drogobuſch, & Smolenczko collocat: ab ijs exercitum in ſubſidijs retinet, quò ei maximè, contra quem Lituanos pugnatores animaduerteret, ſuccurrere poſſet. Poſtquam autem ad fluuium quendam Wedraſch vterq; exercitus veniſſet, Lituani duce Conſtantino Oſtroski maxima procerum, & nobilium frequentia ſepto, ex quibuſdam captiuis numerum hoſtium ac ducum quoq; cùm cognouiſſent, magnam ſpem profligandi hoſtium concipiunt. Porrò cùm fluuiolus cõflictum impediret, ab vtriſq; tranſitus ſeu vadum quæritur. Primi autem Moſchi aliquot, ſuperata ripa, Lituanos ad pugnam laceſſunt: atq; illi haud timidi reſiſtunt, eosq; inſequuntur, fugant, vtraque fluuiolum pellunt: mox vtrinq, acies cõmittuntur, prælium q; atrox oritur. Interea dum vtrinq; eodem ardore animorum acriter certarent, exercitus in inſidijs collocatus, quem pauciſſimi Rutheni adfuturum ſciebant, ex latere in medios hoſtes inducitur. Lituani metu perculſi, dilabuntur: Imperator exercitus vnà cum pleriſque nobilibus capitur: reliqui perterriti, caſtra hoſti concedunt: ſe & arces, Drogobuſch, Toropecz, & Biela pariter dedunt. Exercitus verò, qui meridiem verſus proceſſerat, cui præerat dux Machmethemin Tartarus rex Caſani, fortè Brensko ciuitatis præfectum, quem vernacula lingua Waiuodam vocant, comprehendit, Brenskoque ciuitate potitur. Duo pòſt germani fratres, Baſilij patrueles, alter de Staradub: alter verò Semeczitz dicti, bonam partem prouinciæ Seueræ poſſidentes, alioqui Lituaniæ ducibus obedientes, imperij Moſchi ſe tradunt. Sic vnico conflictu, & eodem anno adeptus erat Moſchus, quæ Vitoldus magnus dux Lituaniæ multis annis, maximisque laboribus obtinuerat. Porrò cum hiſce captiuis Lituanis, Moſchus crudelius egit, grauiſſimis catenis vinctos detinuit: egitque cum Conſtantino Duce, vt relicto domino naturali, ſibi ſeruiret, qui cùm aliam ſpem elabendi non haberet, conditionem accepit, obſtrictusque grauiſſimo iuramento, liberatus eſt. Huic porrò quamuis prædia, poſſeſſio-

nesq; pro statu sui conditione attributæ essent: ijs tamen placari ac detineri adeò non poterat, vt ad primam occasionem, per inuias syluas redierit. Alexander rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, qui perpetuò magis pace, quàm bello gaudebat, relictis omnibus prouincijs, & castris à Moscho occupatis, liberatione suorum contentus, pacem cum socero fecit.

Moritur autem Ioannes ille magnus, anno mundi 7014. cui filius Gabriel, postea Basilius dictus, magnus dux successit, habens in captiuitate Demetrium nepotem ex fratre, qui auo adhuc viuente iuxta gentis cõsuetudinem legitimus monarcha creatus erat: & ob id viuo adhuc, atq; etiam mortuo pòst nepote, solenniter Basilius creari monarcha noluit. Patrem multis rebus imitatus est: ea quæ sibi reliquerat pater, integra custodiuit: ad hæc multas prouincias non tam bello, in quo erat infelicior, quàm industria, imperio suo adiecit, quemadmodũ pater Nouogardiam magnam in seruitutem suam redegerat, ita & ipse Plescouiam, sociam vrbem: item insignem principatum Smolenzko, qui plus quàm centum annis sub ditione Lituanorum fuerat, adeptus est. Mortuo etenim Alexandro rege Poloniæ, etsi belli causſam contra Sigismundum regem Poloniæ, & magnum ducem Lituaniæ nullam haberet, tamen quia regem ad pacem magis, quàm bellũ inclinatum: Lituanos verò bellum pariter abhorrentes videret, occasionem belli inuenit. Sororem videlicet suam, Alexandri relictam, dicebat abeis minimè pro dignitate tractari: regem præterea Sigismundum insimulabat, Tartaros contra se con-

citauisse. Quare bellum indicit, Smolenczko obsidet, admotis tormentis: ne quicquam tamen oppugnat. Interea Michaël Lynczky, ex principum Ruthenorum nobili stemmate, & familia ortus, qui quondam summam rerum apud Alexandrum tenebat, ad magnum ducem Moschouiæ profugit, quemadmodum infrà patebit: mox Basilium ad arma hortatur, eiq; promittit, se Smolenczko, si iam denuo obsideretur, expugnaturum: ea tamen lege, vt sibi hunc principatum Moschus concedat. Pòst cùm ad conditiones à Michaële propositas assensus esset Basilius, atque Smolenczko graui iam denuo premeret obsidione, Lynczky pactionibus, seu largitione verius vrbe potitus, militiæq; præfectos omnes secum in Moschouiam duxit: vno duntaxat excepto, qui ad dominum suum, nullo proditionis crimine sibi conscius, redierat: reliqui verò centuriones corrupti pecunia, & muneribus, redire in Lituaniam nõ audebant: & vt culpæ suæ patrocinium prætenderent, iniecerunt metum militibus, dicentes: Si Lituaniam versus iter arripiemus, passim aut spoliabimur, aut occidemur: quo malo perculsi milites, omnes in Moschouiam profecti sunt, stipendioq; principis aluntur.

Hac victoria elatus Basilius, exercitum suum cõtinuò in Lituaniam progredi iubet: ipse verò in Smolenczko manet. Dein cùm aliquot propinquiora castra, & oppida deditione capta essent, tum primùm Sigismundus rex Poloniæ obsessis in Smolenczko, coacto exercitu auxilium, sed tardius, misit: mox occupato Smolenzko, vbi Lituaniam versus Moschi exercitum ire animaduertit, ipse Bori-

sou iuxta fluuium Beresina situm aduolat, atq; inde exercitum suũ Constãtino Ostroskij duce, dimittit: qui cùm attigisset Borysthenem, circa Orsam oppidum, quod à Smolenczko 24. mill. German. distat, aderat tum iam exercitus Moschi circiter 80. millia: Lituanicis autẽ non excedebat triginta quinq; millia hominum, adiunctis tamẽ aliquot bellicis tormentis. Constantinus mense Septemb. die 8. anni 1514. strato ponte, peditem vltra Borysthenem, iuxta Orsam oppidum transfert: equitatus autem angustum vadum sub ipso castro Orsæ superat. Mox vbi dimidia pars exercitus Borysthenem transisset, nunciatur Ioanni Andreæ Czeladin, cui summa rerum à Moscho erat commissa, vt hãc exercitus partem inuaderet, contereretque. At ille respondit: Si parrem hanc exercitus oppressérimus, supererit altera pars, cui fortè aliæ iungi copiæ possent, atq; ita nobis maius periculum immineret: expectemus tantisper, dum totus exercitus transferatur: tantæ enim sunt nostræ vires, vt sine dubio, nec magno labore, hunc exercitum aut opprimere, aut circumuentum Moschouiam vsque, veluti iumenta agere possimus. Tandem, quod vnicum restat, totam occupemus Lituaniam. Interim appropinquabat exercitus Lituanicus, Polonis & externo milite mixtus: & cum quatuor millibus passuum ab Orsa processisset, vterque subsistit. Moschorum duæ alæ longius ab exercitu recesserant, vt hostem à tergo circumuenirent: acies autem instructa in medio stabat, subductis quibusdam in fronte, qui hostem ad pugnam lacesserent. Ex aduerso Lituanus diuersas copias, ordine longo collocabat: singuli etenim principatus, suæ

suæ gentis copias, & ducem miserant, atque ita singulis suus in acie dabatur locus. Tandem cohortibus in fronte constitutis, Moschi classicum canentes, primi in Lituanos impetum faciunt: illi haud timidi resistunt, eosque repellunt: quibus mox alij in auxilium missi, vicissim Lituanos in fugam conuertunt: sic aliquoties vtraque pars nouis subsidijs aucta, alteram repellebat. Postremò maxima vi certatur. Lituani studio cedentes ad locum, vbi tormenta bellica collocauerant, ea in Moschos insequentes conuertunt: extremamque aciem eorum in subsidijs arctius collocatam feriunt, turbant, dirimuntque. Hoc nouo belli genere Moschi, qui primos duntaxat in acie cum hoste confligentes, in periculo esse putabant, terrentur, turbatique primam aciem iamiam fusam putantes, fugam capessunt, quos Lituani conuersi, omnibus copijs effusis insequuntur, fugant, cæduntque. Hanc cædem sola nox acsyluæ diremerunt. Est inter Orsam, & Dobrounam (quæ quatuor mill. German. distant) fluuius Cropiwna dictus: in cuius dubijs, & altis ripis fugientes, tot Moschi submersi sunt, vt cursus fluminis impediretur. Capti sunt in eo conflictu omnes militiæ præfecti ac consiliarij: quorum præstantiores, Constantinus sequenti die lautissimè accepit: dein ad regem misit, qui per castra Lituanica sunt distributi. Ioannes Czeladin cum alijs duobus præcipuis ingrauescentis iam ætatis ducibus, habebatur, in ferreis compedibus Vilnæ: hos ego, cùm à Cæsare Maximiliano legatus in Moschouiam missus essem, permittẽte rege Sigismundo, accessi, eosque consolabar: aureos præterea aliquot, obsecran-

tibus mutuò dederam. Princeps porrò acceptaſuorum clade, Smolenczko continuò relinquens, in Moſchouiam fugit: & ne caſtrum Drogobuſch Lituani occuparent, incendi iubet. Lituanicus exercitus rectà Smolenczko ciuitatem contendit, ſed capere eam non potuit: quòd præſidijs impoſitis, Moſchus eam bene firmatã reliquerat: & quòd hyems impendens obſidionẽ impediebat: tum quod plurimi poſt conflictum prædæ onuſti, ſatis ſe effeciſſe rati, domum repetebant: denique, quòd neque Lituani, neque Moſchi expugnare arces, aut vi capere norunt. Ex ea autem victoria, præter recuperata citra Smolensko tria caſtra, rex nihil reportauerat. Anno poſt hunc conflictum quarto, miſit in Lituaniam exercitus Moſchus, atque intra meatus Duuinæ fluuij, & Poloczko caſtrum conſedit: ac inde bonam exercitus partem, quæ Lituaniam abacta præda, cæde, & incendijs depopularetur, dimiſit. Albertus Gaſtold Poloczkij Vuayuoda vna noctium egreſſus, flumine ſuperato, aceruum fœni, quod ad longam obſidionem congeſſerant Moſchi, incendit, hoſtem inuadit: quorum alij cæſi ferro, alij fugiendo ſubmerſi, alij capti, pauci euaſerunt: cæteri, qui palantes Lituaniam vaſtabant, pars in locis diuerſis deuicti, alij in ſyluis errantes à colonis trucidati ſunt.

MARTINI

MARTINI CROMERI ORATIO IN FVNERE OPTIMI ET MAXIMI PRINCIPIS, SIGISMVNDI, *eius nominis primi, Polonorum, Lituanorum, Ruſſorum, Pruſſorum, & Maſouiorum regis, &c. an.* M. D. XLVIII. *Calend. April. defuncti.*

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, Domino Sigiſmundo Auguſto Dei gratia regi Poloniæ, magno duci Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, &c. Domino & hæredi, Domino ſuo clementiſſimo, MARTINVS CROMERVS.

IN *publico & acerbiſſimo omnium noſtrũm luctu, quem tecum pariter, Sigiſmũde Auguſte rex inclyte, mortę ſanctiſſimi regis noſtri* SIGISMVNDI, *patris tui, nuper hauſimus, nulla eſt (mea quidem ſententia) maior, & efficacior doloris leuatio, quàm honeſtiſſimè, & laudabiliter in primis ab eo actæ, & religioſè exactæ atq; poſitæ vitæ: beneq; & feliciter ſapienter & cum approbatione omnium bonorum adminiſtrati regni huius recordatio. Quain parte cùm ego pro meo de multis bene merendi ſtudio, opis aliquid nõ ubi, neq; maioribus natu (qui multos annos in Repub. hac noſtra, & in aula eius regis verſati, exactius omnia norunt, & memoria tenent) ſed minoribus & imperitis afferre cuperem, priùs quàm abs te orator*

ad Pont. max. Paulum eius nominis tertium proficiscerer, scripsi ei funebrem orationem, siue laudationem: qua vitam eius penè omnem, resq; gestas illustriores, nudè & succinctè, quoad fieri potuit, exponendo, non verbis amplificando (quod per longum, & non mearum sanè virium opus futurum erat) complexus sum, vt esset commentarij vice interim, dum siue ánobis ipsis in instituta historia gentis nostræ, siue quod malim à doctiori atq; disertiori quopiam diligentius omnia pertractentur. Nec sanè desunt in hoc tuo regno, quod multò florentius, & belli, & pacis artibus pater tuus reddidit, quàm acceperat: qui, si tua benignitas accesserit, & libenter id opus susceperis, & cum dignitate persecuturi. Equidem, si nihil aliud hoc labore meo assequar, certè doctiorum cessantium ad huc studia excitabo, & persequi hæc accuratè, & ornatè volentibus materiam subministrabo. Tibi verò in primis, inclyte rex, orationem hanc dicare volui, cui meipsum non ita pridem addixi, & ad quem hæreditas paterna gloriæ maximè pertinet: vt si quidem placebit, nonnulla, si non cum voluptate, certe cum lenocinatione desiderij paterni, domestica decora recognoscas: & nostri siue ocij, siue negocij fructum, & quasi primitias quasdam delibes: sin displicebit (quod magis credo) melioribus des id negocium, vt ne cum eorum, qui nunc viuunt, mortalium memoria, sapientissimi, & optimi patris tui laudes intermoriantur.

Historia Polonica ab autore conscripta.

Quanquam viuent ea (nisi me vanum fallit augurium) æuo sempiterno, easq; posteri nostri longè etiam, quàm nos gratiore, & iucundiore memoria prosequentur. Quod reliquum est, Deum precor, vt

vt fausta tibi, nobisq; omnibus regni tui initia esse velit, & lætioribus indies successibus id cumulet, ac diutissimè incolume, fortunatumq; præstet. Cracouiæ 9. Calend. Aug. M. D. XLVIII.

SANCTI POLONIÆ, &c. REGIS SIGISMVNDI PRIMI Epitaphium.

Sigismundus in hoc iacet sepulcro,
Quod viuens sibi prouidè parauit.
Primus Sarmatiæ potens feracis
Hoc rex nomine, quem Iagiellana
Ex magnis Ducibus vetus propago,
Gestis, iustitia, fideq; clarum,
Produxit: quibus & diu Polonos
Rexit magnanimos, eosq; multis
Auxit diuitijs, honoribusq;,
Et tot magnificis vbique passim
Structuris, vt in hac patescit arce,
Intemplis, & item Deo dicatis.

Armis atque toga probè per omnes
Insignis procul inde nationes,
Veri cultor erat, tenax honesti,
Et prudens, sapiens, pius, modestus,
In cunctis ratione semper vsus,
Non præceps, neque concitus notatus.

Tandem transijt hinc, bis octo lustris
Ex hoc pondere corporis, peractis:
Sanctè sicut in hoc agebat, hoc sic
Est iam tempore, mortuusq; sanctè,
Christus, quo tumulum die reliquit,
Coniunctus superûm beatitati.

Natus anno Domini 1467. prima Ianuarij. Electus 1506. octaua Decembris. Coronatus 1507. vigesima quarta Ianuarij. Mortuus 1548. prima Aprilis.

Ioannes Dantiscus episcopus Varmiensis, domino suo bene merenti non sine lacrymis posuit.

SIGISMVNDVS REX IPSE DE SE.

Ciuibus, externisq; mea est clementia nota,
Consilium, grauitas, religio, atq; fides.
Pax mihi cara fuit: tamen haud me impune lacessit
Teutho, Liuo, Moschus, Turca, Scytha atq; Getes.

ORATIO.

INtemperantius fortasse, Sigismunde Auguste rex inclyte, & vos Patres amplissimi, ac cæteri viri undequaq; ornatissimi, abuti facilitate, & patientia vestra videor, quilocum hunc augustum, apud vos hoc tempore dicturus, conscenderim: nihil neque conspectum, confessumq; istum vestrum amplissimum, gra-

grauissimumq; reueritus: neque rei, de qua dicendũ est, magnitudine deterritus. Neq; ego ita sum hebes, vt non intelligam, quid & quantum sit, quod nunc à vobis expectetur: neque ita mihi ipse placeo, vt nõ perspiciam, quid à me præstari possit. Quod si Alexander ille Magnus, rex Macedonum, qui res maximas mira celeritate, & rara felicitate gessit, neque pingi se, nisi ab Apelle, neque fingi, nisi à Lysippo, præstãtissimis suæ ætatis artificibus, passus est: quanto acumine, quàm varia doctrina, quàm solido iudicio, qua memoria, quàm vbere denique, & illustri eloquentia esse oportet eum, qui de optimi, fortissimi, sapientissimi, clementissimi, & pientissimi regis SIGISMVNDI, cuius nunc exequias Polonia, Lituania, Russia, Prussia, Samagitia, & Massouia omnis, mœsta & pullata celebrat, laudibus, & vita omni, verè, & pro meritis eius dicere velit? Et effigiem quidem cuiusquam aptè, seu pingere, seu fingere, non maximi est ingenij, neque laboris, ac ne operæ precij quidem. Patent omnium obtutibus corporis lineamenta: neque magnopere cuiusquam refert, quo colore, qua figura oris, quo corporis totius habitu, quàve statura quisque fuerit, qui inter homines esse desijt: animorum habitudines, vitamque omnem, non cuiusuis est neq; exactè perspicere, neq; dicendo aptè, & ad viuum exprimere. Magnorum autem virorum, & excellenti virtute præditorum laudes celebrare, apprime vtile est vitæ hominum, & necessarium: vt & illis, quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur: & cæteri habeant, vnde virtutis, & laudis exempla petant, & quò ad benè merendum de suis incitentur. Tantæ sunt autem huius

Alexandri Magni delectus pictorũ, & sculptorum.

Propositio.

Animorum habitudines exprimere difficile.

Vtilitas ex laude bonorum.

Sigismundi regis virtutes.

optimi regis virtutes, vt summis pariter ac imis abundè exemplorũ, ad vitã rectè, & honestè instituendam suppeditent: tanta in nos & in patriam hãc nostram cõmunẽ merita, & beneficia, vt ea sempiterna immortalitatis laude consecrari à nobis oporteat.

Authoris modestia.

Neque tamen is ego sum, qui id me rectissimè, & cum excellentibus sanctissimi illius regis virtutibus, tum perpurgatis vestris auribus, dignè facere posse cõfidam. Absit hæc à me arrogãtia: nõ adeò effrons, demensq; sum: intelligo nullam in me esse doctrinam, nullum dicendi vsum, & exercitationem, nullum excellens ingenium, nullam deniq; memoriam. Quænam verò tanta est cuiusquam eloquentia? in quo tantum flumen lectissimorum verborum? in quo tanta vis, & (vt ita dicam, flumen sententiarum? in quo deniq; tanta memoria, & pronunciandi dignitas, vt clarissimis optimi regis virtutibus atq; meritis par esse possit? Sed si lautis & delicatis epulis

Excusatio insufficientia.

deficimur, anne cibarium quidem panem hospitibus apponemus? Et, si auro, gemmis, preciosaq; veste caremus, ne malo quidem cotoneo, vel scypho aquæ ex præterlabenti amne haustæ, gratitudinem animorum nostrorum sanctissimæ huius regis animę ostẽdemus? ~~Vetus est prouerbium, Eos, qui thuram nõ habent, mola salsa litare.~~ Certè vel cum peri-

Iusta laudãdi caussa.

culo priuatæ temeritatis, & impudentię, nõ est prodendã caussa publica: neq; committendum est, vt dum singuli pudori nostro consulimus, cuncti hoc extremo laudationis officio in funere talis ac tam bene meriti regis prætermisso, ingratitudinis (ne dicam impietatis) reprehensionem apud hos ornatissimos magnorũ principũ oratores, & apud omnes gentes

gentes, quę humanitatẽ colũt, meritò incurramus. Audendum est igitur, & eo quidem maiore fiducia, quod ijs de rebus dicendum est, quæ vobis plerisq; omnibus æquè ac mihi notæ, nonnullis etiam notiores sunt: nempe quas vidistis ipsi ferè, & meministis, & quarum (vt ait Poëta quidam) pars magna fuistis. Ita enim futurum est, vt me rudi, & inculto, sed

Virgil. Partitio.

plano tamẽ sermone, capita modò rerum attingente, cætera vos ipsi diligentius mecum recognoscatis, & grata, iucundaq; (vt par est) memoria recolatis. Ac de tribus bonorum generibus, quæ sola sunt laudabilia: primùm externa: deinde de corporis: postremò animi eius bona succinctè persequar. Quod dum facio, vos mihi quæso, viri præstantissimi, benignos vos, & attentos præbeatis.

Iagellonum vetus stirps.

GEnus paternum Sigismundi à Cazimiro est, Vladislai Iagellonis filio. Nemo est autem sic hospes in Polonia, ac in toto ferme Septentrione, cui non sit auditum de Iagellonum familia, quæ iam supra centum, & quinquaginta annos apud nos regnat, à vetustis Lituanorum ducẽs originem. Cu-

Vladislaus Iagello. Vladislaë etymon.

ius princeps Iagello, cui Vladislao nomen, bono, veroque omine, quasi qui gloria potens esset, maiores nostri indiderunt. Huius auus, tuus autem Sigismunde Auguste, proauus, cum Lituaniæ, & magnæ partis Russiæ dominatu potiretur, expetitus à Polonis, & ad regnum vnà cum coniugio religiosissimę virginis Heduigis, demortui Ludouici regis Vngarorum & Polonorum filiæ, repudiatis quibusdam alijs procis, accitus: religioni Christianæ sese, & cunctam simul Lituaniam addixit, ditionesque suas omnes Poloniæ fœdere sempiterno adiunxit

Heduigis regina Ludouici filia. Lituanorũ ad Christiũ conuersio.

in curanda & prodigiosis dæmonũ superstitionibus ad veri Dei cultum conuertendo gente sua agresti, & barbara, per multum laboris, operæ, sumptuumque impendit. Nec indecorũ sibi duxit præpotens rex, doctoris, & apostoli munere fungi apud rudẽ, & vilem plebeculam, cùm nostri sacerdotes eius linguæ penitus essent imperiti. In Bohemis quoq; ad sanitatem, priscamq; religionem à multiplici errore, quo se authore Ioanne Hussо implicarant, reuocandis, non parum operæ sumpsit: cumq; pertinaciores eos esse animaduertisset, regnum ab eis delatum repudiauit. Silesios quosdam, & Russos duces demuit. Cruciferos Germanos non modò Lituaniæ inhiantes, verùm etiam Poloniam ipsam, parentem & nutricem suam crudeliter, & impiè laniantes, clarissimis aliquot victorijs repressit: victis, fractisq; pacem æquis cõditionibus dedit. Erat enim singulari lenitate, & mansuetudine, ad remittendas offensas perfacilis, & supra modum credulus: quippe qui falsimundi Cæsaris, tum Vitoudi, & Suitrigellonis proximorum suorum, de quibus erat bene meritus: per quos factum est, vt in administrando regno plusculum haberet negocij. Huic decrepita valde ætate, cùm duodequinquaginta annos regnasset, vita defuncto, de duobus filijs impuberibus, quos è quarta vxore Sophia Russa Kiouiẽsium ducis filia suscepe-
rat, maior natu Vladislaus in regno successit: is qui Vngarorũ quoq; regno suscepto, & profligatis simma cum gloria aliquot Turcarum exercitibus, cùm priùs ad Macedonię, deinde ad Thraciæ fines, hosti

Iagellonis studium in propaganda religione. Bohem.

Vladislai regis gesta.

Iagello crudelis, & cãdidus.

Suitrigellonis. Iagellonis filij.

Vladislaus rex Vngar. & Pol. apud Varnam à Turcis occisus.

pacem petẽti formidabilis, cum animosiore, quàm validiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter confertissimos hostes incautiùs dimicans, certam propemodum victoriam cũ vita pariter amisit: cum vndecim ferme apud nos: apud Vngaros verò non totos quinq; annos regnasset.

Post hunc Cazimirus natu minor frater, tuus Sigismunde Auguste, auus, regnum hoc suscepit: cui peruastata à Tattaris (tametsi profligatis semel atque iterum) Podolia & Russia, & amissus per defectionem ad Moschos dominatus Seuerienſis, ac domestici motus, seu veriùs offensæ voluntates multorum, propterea quòd Lituanis plusculum indulgeret, malisq; consultoribus vteretur, non parũ de æterna felicitate detraxêre. Prussiam tamen, & Pomeraniam per deditionem recepit. Cruciferis fœderum non tenacibus post tredecim annorum bellum supplicibus, & iureiurando in verba sua, & posterorum suorum regum Poloniæ adactis, relicta parte Prussiæ pacem dedit. Valachorum palatinum bellicosissimum Stephanum, in clientelam accepit, & in cõsilio suo locum ei dedit, ac magno ei ad profligendos Turcas adiumento fuit: cum Vngaris & Bohemis vario Marte bella gessit. Filios sex, & septẽ filias ex Elizabetha Alberti Cęsaris filia, Ladislai Vngarorum, & Bohemorum regis sorore, fœmina honestissima, & religiosissima, suscepit. Ex his viuens Vladislaum natu maximum Bohemis Cazimirum, ac deinde Ioannem Albertum Vngaris reges dedit. Sed vtroque hoc dissensione partium deserto, Vngariam quoque Vladislaus obtinuit. De quo nati Ludouicus quidem filius, bimulus viuẽte patre co-

Cazimirus rex. Prussia per deditionem Polonis adiuncta.

Crucifери iurarunt in verba regis Polon.

Valachus cliens Polon.

Vxor & filij eius sex, & filiæ septem. Vladislaus Vnga. & Bohem. rex.

Ludouicus rex.

ronatus, cùm ei exacta ætate mortuo, in vtroque regno succeſſiſſet, iuuenis admodum, Turcico bello ante vnum & viginti annos apud Mohatium miſerabiliter perijt. Anna verò filia cum Ferdinando Cæſare, qui poſt Ludouicum apud Vngaros, & Bohemos regnat, nupta, tribus filijs præclaræ indolis, & nouem filiabus ſuperſtitibus relictis, anno ãbhinc altero parturiens, diem clauſit extremum. De ſuprà memoratis verò duobus filijs Cazimiri regis, Cazimirus quidem iuuenis caſtiſſimus atque religioſiſſimus, in Lituania immaturam mortem obijt, non ſine celebri ſanctimoniæ fama, quam complura miracula ad ſepulcrum eius edita confirmarunt. Ioannes Albertus poſt patrem octo, & amplius: deinde hunc ſecutus Alexander quinq; annos regnarũt: ille quidem maximi animi, ſed ante ſuſceptum regnum, quàm regnans, felicior: hic à Moſchis apud Vedruſios victus, eoſdem apud Opoſcam: Tartaros verò Tauricos apud Clecicum paucis ante mortem diebus inſignibus prælijs profligauit: vterque extinctiproperè, credo vt digniori cederent: poſt hos Sigiſmundus hic noſter natus eſt. Hunc ſecutus Fridericus, ſacris initiatus, Archiepiſcopus Genſnen. ſimulq; epiſcopus Cracouienſis, & S. Rom. Eccleſiæ preſbyter cardinalis fuit.

Anna ſoror eius, & vxor. Ferdinandi regis Rom. &c. Ferdin. Caſ. liberi. Cazimirus filius Cazimiri ſanctus.

Ioan. Albertus rex Polon.

Alexander rex Polon.

Fridericus cardinalis.

Filiarũ Cazimiri deſponſatio.

Porrò filiarum Cazimiri duæ immaturè mortuæ; Heduigis Georgio duci Bauarorum, Sophia Friderico Marchioni Brandenburgenſi, Anna Boguſlao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonum: Elizabetha verò (patre mortuo) Friderico Legnicenſium, & Bregenſium ducibus matrimonio iunctæ fuêre: & omnem penè Germaniam affinitatibus, & propinquitatibus illuſtrium virorũ, & mulierũ, quas enumerare perlongum eſſet, nobis deuinxêre. Sed ad inſtitutũ noſtrum reuertamur. Hoc igitur Sigiſmundi genus cõpluribus, quẽadmodũ videtis, præclaris principibus ac regibus fœcundum fuit. Atque is ab ineunte primùm pueritia, vna cũ alijs fratribus, ab honeſtiſſima, & religioſiſſima matre, ſanctè ac temperãter educatus, & à præceptoribus, viris eruditis, bonis, grauibus, & pijs ad virtutẽ in primis, & pietatem, cultumq; diuinum inſtitutus, in literis quoq; non cõtemnendos progreſſus fecit: ita, vt Latinè ſcribentes, & loquentes ſine interprete intelligeret, nec incõmodè ipſe ea linguâ veteretur. Germanicã verò, cuius propter finitimos atq; etiã incolas Germanos, non exiguus eſt vſus apud nos, exactiùs didicit. Porrò in diuinis Scripturis ita fuit exercitatus, vt multa inde ſenior meminiſſet: ac ſæpe eas in ore haberet, nõ ad ſcurrilem iocum, aut ad curioſam diſceptationem, vt nunc improbus, ne dicã impius, mos inoleuit, ſed ſeriò, & ad moderandas actiones, vitamq; omnẽ: eoq; timorẽ Dei, iuſtitiam, & virtutẽ maximè ſemper præ oculis habuit. Permultùm. n. refert, quib. rebus quis ab ineunte ætate aſſuefactus fuerit. Nec ſcio, an ad vitam ſic vel ſic degendã longè plus faciat, quo modo quis à puero eductus, & inſtitutus, quàm quo modo natus ſit. Solent enim plerunque etiam bonæ, & generoſæ indoles, prauã, atque adeò negligentiore quoque educatione deprauari: vitioſam verò naturam ſæpe bona educatio corrigit. Sic igitur educatis Sigiſmundus, adoleſcẽs ſingulari indole, modeſtia, comitate, grauitate, & induſtria, quæ res maximè ætatem illam cõmen-

Educatio Sigiſmũdi.

Linguarum peritia.

Pius vſus ſacrarum literarum.

Educationis bonæ vtilitas.

Adoleſcẽtia Sigiſmundi.

dant, magnam sibi non modò nostrorũ hominum, sed etiam externorum, Vngarorũ, inquam, Bohemorum, Silesiorum, & Germanorum, cum quibus vixit, beneuolentiam adiunxit. Nam cùm regnante Ioanne Alberto fratre post patrem, iuuenis in Vngariam ad Vuladislaum alterum fratrem se contulisset, ibi ea dignatione fuit, vt Vngari, & Bohemi magis eum propemodum, quàm regem suum reuererentur: per eum, quæ cuperent, publicè & priuatim à rege peterent: eius autoritati, & iudicio libenter starent. Vsque adeò maiorem vim habet ad tenendos in officio etiam feroces homines, equitatis, grauitatis, constantiæ, & sapientiæ opinio, quàm regium sceptrum, quàm etiam carcer, bonorũ confiscatio, proscriptio, virgæ deniq; & secures. Itaque magno omnium fauore, Glogouiensem, & Opauiensem dominatum, & summam vtriusque Siliesiæ præfecturam à Vuladislao fratre obtinuit: adeoque carus ac venerandus fuit Silesijs, vt hodie etiam eius imperium grata, & iucunda memoria prosequantur. Quid illud, nónne ingens est bonæ existimationis, & beneuolentiæ hominum erga eũ documentum? quòd cùm regnaret iam in Polonia, à Suetijs, post electum Christiernum regem, & item ab Vngaris atq; Bohemis, post miserabilem Ludouici fratris filij interitum, vt illa quoq; regna susciperet, extra petitus est? Neq; deterrebat Suetios tanta terræ, maris q; intercapedo, quanta à nobis disiunguntur: ac ne Vngaros quidem, & Bohemos pacta conuenta cum Maximiliani Cæsaris liberis, aut Caroli, & Ferdinandi maximorum principum potentia, si Sigismundus delatum sibi regnum suscipere voluisset. Apud

Fauor Sigismũdi apud Vngaros, & Bohemos.

Glogouiẽsis & Opauiensis dominatus, & supremapræfectura Silesiæ.

Regna ei oblata, sed non acceptata.

Apud suos verò quàm gratiosus fuerit, vel illud permagno argumento est, quòd Ioanne Alberto rege mortuo, prælatus fuisset proculdubiò in regnò, maiori natu fratri Alexandro cunctorum suffragijs, nisi plus publica quies atq; tranquillitas, & vetusta cum Lituanis, quos iam Alexander ditione tenebat, fœdera valuissent. Iam verò quantum ei honorẽ summi quiq; Principes habuerint, redite quæso mecum paulisper in memoriam. Primum enim Maximilianus Cæsar, nõ minoris animi, quàm prudentię princeps, dudum hostis accerrimus, post celebrẽ illum congressum Viennensem, eo ipsum honore prosequutus, ea caritate complexus est, vt in loco fratris deinceps eum haberet: eius gratia fœdus cum Basilio magno Moschorum duce ictum respueret, ac non modò defenderet contra Sigismundum Crucigeros in Prussia, quos defendendos susceperat, verùm etiam auxilia ei contra illos, si quid noui moliretur suo, nepotumq; suorum nomine promitteret. Qua de re extat apud nos diploma eius.

Gratiosus apud Polonos.

Amicitia, & fœdus cũ Maximilian. Imp. Viennensis cum Cæsare congressus.

Huius verò nepos Carolus, qui nunc latè & feliciter imperat, nónne hunc Sigismundo honorem habuit, vt inclytæ huic reginæ Bonæ, vxori eius coniunctissimæ, Barẽsem principatum, quem post obitum matris eius in potestatem suam redegerat, redderet? ipsum societate sua, & aureo vellere vltro dignaretur? sæpe honorificentissimam eius mentionẽ faceret? neq; vnquam Cruciferis, & alijs Germanis bellum contra eum flagitantibus indulgeret? Adest hic vir clarissimus Stanislaus Lascius palatinus Siradiensis, haud ita pridem apud illum potentissimum Imperatorem legatione functus. Adsunt item viri

Amicitia cum Carolo V. Imper.

Stan. Lascius.

Petrus Opalenius. *Stan Borgius.* *Nicol. Myscouius.* *Ioan. Dantiscus episcopus.* *Amicitia cum Ferdinando rege, & Cæsare.*

præstantes, Petrus Opalenius castellanus Gnesnen. Stanislaus Borgius Decanus Cracouiensis, Nicolaus Myscouius regiæ mensæ structor. Vellem adesset etiam vir eruditissimus Ioannes Dantiscus, episcopus Varmiensis: qui omnes idem munus apud eundem imperatorem cum laude superioribus temporibus obierunt. Ex his cuique licet discere, quantopere ille princeps maximus, & grauissimus Sigismundum regem obseruârit. Quid frater eius Ferdinandus Cæsar & Rex potentissimus? nónne plurimum eum & amauit, & coluit? Nónne eius arbitrio controuersiam suam cum Ioanne rege regno Vngarorum permisit? Non dico, quibus verbis, & rebus prætereà sæpenumero idem rex quanti Sigismundum faceret declarauit. Possem autem non graui rumore accepta referre, sed quæ cùm de grauissimis viris accepi, tum ipse explorata habeo, cùm nuper ad illum à te, rex Sigismunde Auguste, cum

Nicol. Radiuilus, & Mar. Crom. oratores ad Ferdinand.

Nicolao Radiuilo, viro illustri, & acuto, Lituaniæ summo Marschalco missus essem. Ne illud quidem commemoro, quanto animi dolore idem nuper Sigismundi nostri mortem prosequutus, quantoque studio pariter, & apparatu exequias ei in maxima principum Germaniæ celebritate fecisse dicitur. Vt autem & Gallorum regem Franciscum,

Amicitia cũ maximis regibus, & pontificibus Rom.

qui anno superiore decessit, Iulium secundum, Leonem decimum, Clementem septimum: & hunc qui nunc præsidet, sapientissimum Paulum tertium, pontifices maximos præteream, quorum illustria habiti huic regi honoris documenta commemorare possem: vt magnorum item & grauium quorundam Germaniæ principum perhonorifica de ipso

de ipso elogia, quæ ipse his auribus audiui nuper, omittam. Barbari nónne eum præ cæteris regibus, & monarchis reueriti sunt? Quo enim rege cultior, & populosior fuit Russia, & Podolia? hoc est, quo rege quietiores fuêre Tartari, prædis & açpto alioqui viuere soliti? Quid ego dicam de Turcis, qui felicitate sua elati, omnes homines atq; Gentes præ se contemnunt? Annón Solimannus bellicolissimus, & felicissimus eorum imperator, cum eo perpetuum fœdus percussit, & religiosè coluit? negare id alijs postulantibus, aut ad tempus modò concedere, nec admodum superstitiosè seruare solitus. Annón Valachis ac Tartaris vectigalibus suis, ne Sigismundi regis ditiones infestarent, edixit? Annón idem, huic etiam eius filio Sigismundo Augusto, per Petrum Opalenium, & Ioannem Ocesium castellanum Biecensem, viros ornatos, pacem, & amicitiam in gratiam patris promisit? Annón eiusdem intuitu, filiam eius Isabellam reginam viduam, nepotemque, hactenus incolumes esse barbarus tyrannus passus est? qui ne ad Valachiam quidem adspirasset, nisi eum intempestiuè, ne quid aliud dicam, dissensiones nostræ animassent. Quid Selimus Solimanni huius pater, ferox, & in patrem etiam suum impius, annón Sigismundi amicitiam splendida legatione olim expetiuit? Nimirum admirabantur in eo cuncti virtutem, grauitatem, & constantiam singularem: reuerebantur etiam nonnihil eius felicitatem. Quis enim tot annorum spacio in tãta orbis terrarum perturbatione felicius eo regnauit? quis regnum, superiorum regum infelicitate diuexatum ac deformatũ, aut pacatius adminis-

Barbari Sigismundum reuerits.

Cum Solimanno.

Ioan. Ocesius orator ad Solimãnum Turc. imper.

Isabella regina Vngar.

Regnũ florens & pacatum.

ſtrauit,& retinuit,aut florentius,& opulentius reliquit? Quis tot ac tam difficilia bella, tam ſecunda fortuna, tantaq; celeritate confecit? Commemorantur à veteribus ſcriptoribus, Cyrus Perſarũ, Alexander Macedonum, Mithridates Põti, Carolus Magnus Germanorum, maximi & fortunatiſſimi reges. Celebrantur Alcibiades, Conon, Themiſtocles atq; Timotheus Athenienſium: Ageſilaus, Pauſanias, Lyſander Lacedæmoniorum: Pelopidas, & Epaminondas Thebanorum: Hannibal, & Aſdrubal Carthaginenſiũ: Romanorũ verò (vt multos omittam) Fabij, Scipiones, L. Lucullus, Gn. Pompeius, & C. Cæſar, clariſſimi Duces, & Imperatores. Nec noſtrorum quidem Boleslaorum, & Wladislaorum obſcura eſt gloria. Verùm illi omnes partim cum imbellibus populis rem habuerunt: partim bello felices, cæteris rebus infortunati fuerunt: partim clades victorias propemodum adæquarunt: partim etiã aliquouſq; à fortuna euecti, in medio curſu deſtituti, & ad extremum ſæuis eiuſdem procellis obruti ſunt. At Sigiſmundum noſtrum ab initio ad finẽ vſq; ſecũdo flatu fortuna proſecuta eſt. Cum quibus verò bella is geſſit? Nempe cum potentiſſimis Moſchis, ferociſſimis Tartaris, acerrimis Valachis, fortiſſimis Germanis, cum Turcis deniq;, vel ipſa victoriarum perpetuitate formidabilibus. Quarum gentium validos exercitus, vel inſignibus prælijs vicit, & profligauit, atq; adeò deleuit etiam, vel caſtris exuit, vel deniq; regiones earum impune vaſtauit: quaſdã etiam domuit. Atque, vt à Tartaris, perpetuis noſtris hoſtibus incipiam: horum quidem nõ contemnendos tres exercitus apud Sluſcum tribus prælijs duce Con-

Reges, & duces inclyti.

Comparatio Sigiſmundi cum clariſſ. principib.

Bella Sigiſmundi.

Victi ab eo Tartari diuerſis prælijs.

Conſtantino Oſtrogio, principe omnium ſeculorum memoria digniſſimo, ad internecionem penè cæcidit. Deinde apud Viſnoueciam vigintiquatuor millia, cùm ſe per Ruſſiã populabunda diffudiſſent, ſexies fuſa leuibus, & particularibus prælijs, ad extremum tota acie in abeuntes facto impetu, Nicolao Camenecio palatino Cracouienſi, & eodem Conſtãtino, ducibus profligauit, cùm noſtri ſex millium equitum numerum nõ excederent, de quibus vix centum eo prælio deſiderati ſunt. Hoſtium verò multò minor pars pernici fuga euaſit. In Valachia quoq; ante multos annos à Bogdano Palatino, huius regis auſpicijs, & armis ijdem hoſtes graui prælio victi ſunt. Ne illæ quidem victoriæ ſunt, quæ apud Voronouiam Ioanne Camenecio, apud Buſcũ Stanislao Lanſcoronio, apud Zincouiam arcem Iacobo Sencignouio atq; iterum palatino Kiouienſi, in Volinia Conſtantino, & Oſtaphæo ter, apud Oſſacouiam hoſtilem arcem eodem Oſtaphæo, & Prædislao Lanſcoronio Ducibus, & quæ in Podolia Trebinij, quæque apud Camenecia, & Vereſtatincium pagum, & compluribus alijs in locis Nicolai Senauij viri fortis, & magnanimi, qui nunc palatinus Belſenſis eſt, ductu, & fratrum eius Alexandri, & Procopij, ac Bernardi Prætificij Sileſij opera partæ ſunt. Nam leuiora cum his apud Trebouliam, Podhaiciam, Medibozum, & multis alijs in locis proſperè item geſta certamina, ſciens, volensque prætereo, ne ſim longior. Tot enim ferè ſunt, quot excurſiones ea gens rapaciſſima, & famelica, & vel è flamma, quod dicitur cibum petere ſolita, in ditiones eius ipſo regnante fecit: perrarò enim impune id

Conſtantinus Oſtrogius dux.

Nicolaus Camenecius.

Valachi victi.

Ioannes Camenecius.

Stan. Lanſcoronius.

Iacobus Sencignouius.

Oſtaphaus.

Prædislaus Lanſcoronius.

Nicolaus Senauius.

Bernard. Prætificius.

abstulit. Quid illa apud Caniouiam in Lituania ante vnum & viginti annos, nónne omnibus seculis est memorabilis victoria, qua viginti sex millia Tartarorum eodem illo Constantino duce parua manu profligata sunt?

Bella cum Turcis gesta.

Cum Turcis nullum hic rex apertè bellum gessit: sed tamen aduersus eos, cùm vel Tartaris intermixti è Podolia prædas agerent, vel Valachis opem ferrent, vel denique nostros circum Bialogrodum, quod & Moncastrum vocant, populabundos insequerentur, cùm ab alijs, tum à Prædiflao Lanscoroniæ regis huius auspicijs prosperè dimicatum est. Bis contra eosdem in Vngariam Ludouico regi missa auxilia. quo quidem vtroq; tempore, vtinam priùs quidem viro illustri, & incomparabili Ioanni Tarnouio, eorum copiarum ductori: posterius verò Gnoinio obtemperatum esset. Vterque Turcica arma, viresque periclitatus erat in Podolia: cùm illi inde, irritati à nostris, aliquoties prædas egissent. Sed magis comes Tarnouius, cuius præclara virtus enituit, quo tempore Turcæ ad tredecim millia, Podoliam, & Russiam ad Leopolim vsque & fines Vngariæ ferro, ignique vastantes, tria millia, plus minùs de suis, particularibus aliquot prælijs fusi, amisêre. Quod si idem robur animi fuisset in eo, penes, quem tunc erat militare imperium, potuerat exercitus ille cunctus deleri. Taceo duodecim millia Turcarum in Austria, ante quindecim (nisi fallor) annos, nostratium trium millium opera, & virtute in primis penè ad internecionem deleta. Nam ij tunc, quamuis Sigismundo regnante, tamen non publicè, neque Sigismundi auspicijs, sed

Præd. Lāsc.

Ioann. Tarnouius comes. Tarnouij laus.

sed Caroli Cæsaris, & Germanorum stipendijs militarunt. Iam Valachos dolis atque artibus vsitatis fretos, & clade nostrorum Ioanne Alberto regnante apud Bucophinam siluam accepta, Turcarumque ac Tartarorum auxilijs tumentes, quanta non modò felicitate, verùm etiam celeritate vicit, ac domuit: cæsisque eorum copijs, vastatis longè, lateque agris, senatu penè omni capto, Bogdanum regulum gentis, quem Voicuodam, & Palatinum vocant, restituentem prædam, quam paulò antè in Russia cœperat, in verba sua iurare coëgit: & amissam maiorum suorum culpa Pocutiam ab eo recepit. Nostra verò memoria, cùm Petrus palatinus rebellasset, Pocutiamque rursus inuasisset, primùm sex millia hostium apud Guosdeciam arcem, ac mox viginti duo millia apud Obertinum pagum vix à quatuor millibus nostrorum, duce hoc Ioanne comite Tarnouio viro clarissimo, & primario bellatore, insigni, & inopinata clade profligata sunt, erepta cum bombardis cætera impedimenta, Palatinus ipse saucius vix fuga euasit. Nec tamen ad officium redijt, donec postea in arce Chocimensi obsessus, & ad extrema redactus, solenne vnà cum proceribus, & cuncta nobilitate sua regi iusiurandum dedit. Porrò cum Germanis Prussiam sibi vendicantibus, quo tempore tu Sigismunde Auguste natus es, bellatum quidem vaè, sed nunquam, nisi prosperè à nostris dimicatum est. Nēpe apud Prusmarcū, Zeburgā, Gutestadiam, Brunsbergam, Resslam, & Rastemburgum, à Iacobo Sencignouio: apud Pissiam à Staniflao Massouio-

Bogdanus Valachus victus.

Petrus Valachus duce Tarnouij victus.

Bella cum Cruciferis Teuthonicis gesta in Prussia.

Iacobus Sencignouius.

rum duce: in sinu Varmiensi, siue Habo lacu nauali prælio à Gedanensibus, bis apud Bartensteinam, sæpiùs à Prædislao Lanscoronio, & Ioanne Zaremba palatino Calissiensi multis in locis: apud Heilsbergam ab Alexandro Ilouio, Gdani, & Elbinge, cùm eas vrbes adorti essent, à ciuibus fusi, & profligati: ad extremum tot cladibus, & inedia, vigilijs, & iugi nostrorum equitum vexatione fracti, & ad paucos redacti, Prussia excesêre.

Lanscoron. Ioan. Zaremba. Alexander Ilouius.

Quid ego de Moschis loquar? qui vel præcipuam gloriæ, & victoriarum materiam huic regi præbuêre? Apud Polosçum, olim quidem septem millia hostium à Ioanne Boratinio, viro acri, & animoso, interfecta: deinde verò tredecimo abhinc anno, cùm ij Lituaniam non ampliùs decem & octo milliarijs à Vilna metropoli, hyberna excursione depopulati, reuerterentur, mille extremi agminis, quos solos Lituana nobilitas cum aulico regis comitatu, tumultuariè accurrens, assequi potuit, trucidati. Superiori etiam quodam tempore in interiore Lituania prædabundi, magnum suorum numerum, & prædam, quam abigebant, Lituanis insequentibus, amisêre. Iam apud Starodubum Radogostiam, & apud Smolenscum aliquoties ante tredecim annos, ductu Georgij Radiuili castellani Vilnensis, non sine magnis cladibus profligati: apud Orsam verò cùm primum Sigismũdus regnare cœpisset, ne expectare quidem nostros, dum Borysthenem tranarent, sustinuêre, experti vim eorum in vna, & altera turma, quæ primo impetu incredibili audacia traiecerant: verùm dilapsi, cùm vastari sua vltra Vesmam etiam atque Drohobusum cernerent, denuo coadunati ad centum

Victoriæ de Moschis partæ. Ioannes Boratinius.

Georgius Radiuilus.

tum millia, ne adoriri quidẽ ter mille nostros mercenarios milites cum paucis Lituanis longiùs à castris regijs ad Smolenskum positis progressos, ausi sunt. Magnis verò incommodis affecti, Mosiro, Turouio, & alijs quibusdã munitionibus, quas dudum Michael Glinscius ad eos perfugiens interceperat, redditis, commutatisque captiuis quinquaginta nobilioribus ac senatorij ordinis, quos de Lituanis Alexandro rege victo apud Vedrusios ceperant, pacem accepêre. Nec maiore ij fuêre fiducia longè pòst, cùm Radogostiam, ac deinde Ioanne Tarnouio nostros ducente, Homiam & Starodubum arces à nostris partim vi captã, partim in deditionem acceptas amisêre. Et Starodubum quidem, cùm ampliùs quindecim millibus armatorum, qui fuerunt in eius arcis præsidio: qui soli nostrorum numerum longè superabant, virtute perpaucorum militum nostrorum, & sulphurati pulueris, ignisque adiumento expugnatum, & euersum. Neq; verò ij tanto temporis, hoc est, plus quàm viginti annorum interuallo, quantum inter Orsensem pugnam, de qua iam dicam, & hoc extremum Starodubense bellum intercessit, abiectos semel spiritus recipere potuêre. Orsensem verò illam celeberrimam, & cum omnibus ferè omnium gentium atq; seculorum victorijs comparandam victoriam, quid hîc plutibus commemorare attinet? Eadem opera soli lumen adderẽ. Quis enim est, qui nesciat, illo prælio, Constantino Ostrogio principe, & Ioanne Suirzouio ducibus, octoginta millia Moschorum bellatorum, qui omnem nostrum exercitum nõ modò proterere posse videbãtur, verùm etiam Borysthenem tra-

Orsensis de Moschis memorabilis victoria.

Ioannes Suirzouius.

nare passi, pecudum in modum flagris abigere in Moschouiam destinarant, ingenti strage interfecta esse: ita vt desideratorum numerus ad quadraginta ferè millia peruenisse, vel certè duo & triginta millia superasse dicatur? Ductores eius exercitus, vitos illustres, omnemque senatum gentis, & supra quater mille captiuos viuos in potestatem venisse, direpta castra opulentissima: ducé ipsum Basilium bellatorem exercitatum, & contra Tartaros, & alias gentes finitimas victoriosum vsque ad regiam suam Mosquam profugisse: atq; ibi amplius centum, & viginti milliaribus bene longis à loco conflictus, tamen vix tutò se subsistere posse credidisse. Tantus verò tunc pauor Moschorum animos occuparat, vt Smolenscum, Seuerience Nouogrodum, & complures alias munitiones, quæ ferè fraude, & perfidia Russorum, partim hoc ipso rege regnante, partim superioribus temporibus in potestatem hostium venerant, desertas tunc ac vacuas defensoribus, nullo negocio recuperare nostri potuerint, si prosequique hæc quidem sunt bellica huius regis decora principua (nam leuiora multa prætereo, ne anxiè & minutatim cuncta exquirere, & persequi videar) quæ quidem hoc sunt admirabiliora, quò magis inopinata: vtpote in summa ærarij inopia, & plerag; omnia lõgè imparibus viribus gesta: ita, vt bene cum nostris agi videretur, quoties non plus duplo hostium multitudo excederet. Has tot ac tantas victorias, tanta imparitate copiarum quæsitas, nihil mirum est (vt est rerum humanarum conditio varia, & instabilis) si quæ clades interpolarunt. Sed quotnam,

Basilius Moschouitarum princeps.

Clades pauca & parua in tot bellis.

nam, & quantulæ sunt eæ? Vna apud Socalum à Tartaris, temeritate Russicæ nobilitatis accepta, vbi quatuor fortasse millia nostrorum à quadraginta millibus Tartarorum loci opportunitate vsorum, defatigata veriùs, quàm superata, non incruentam hostibus victoriam concessére. Nostri mille ducenti desiderati, barbarorum verò cæsa quatuor millia. Itaque raptim ij cum præda, quamuis victores retrocessére. Altera apud Serethum amnem, cùm perpauci nostri in hostico palantes, à Valachis circumfusis oppressi sunt: vbi tamen non plures, ducentis nostris periére. Nam eum peruastata longe, late que circum Pescouiam, siue Plescouiam Moschouia, ab oppugnatione Opolcę à valido hostium præsidio reiecti sumus, ignominia illa veriùs, quàm clades fuit, ductorum inscitia, & incuria (nolo dicere ignauia) accepta. Amissa verò magna pars Albæ, Russiæ Michaelis Glinscij, hominis ambitiosi, & Alexandri regis gratia inflati, proditioni, & Russorum atque præsidiariorum militum perfidiæ imputanda est. Porrò apud Ozacouiam, cùm vir in primis strenuus, Nicolaus Senauius eò vsque cum milite (opinor) equitibus priuato consilio populabundus excurrisset, priuata illa, non publica clades fuit, crudelitate eius, & perfidia Tartarorum contracta. Hæ sunt vniuersæ clades, quas Sigismundo regnante accepimus, quæ omnes vna aliqua ex his, quas superiùs percurrimus, victorijs abũdè expiatę & compensatæ sunt: nec scio, an quasi næuuli quidam formosum corpus, vel nubeculæ meridianum solem, tot illas clarissimas victorias illustriores reddidére. Bellóne autem tantùm clarus, an etiam pace Sigis-

Michael Glinscius.

Nicolaus Senauius.

Pacis studia.

mundus fuit? imò verò pace, quam semper expetiuit, clarissimus. Testantur id tantæ opes & facultates hominum nostrorum, tam opulenta cùm externis commercia, tantus splendor, ne dicam luxus, tanta elegantia cùm in ædificijs, & victu, cultuque corporis, tum in sermone, & moribus, quanta nunquam ante hunc regem in Polonia fuit. Loquuntur leges diligentiùs aliquanto conscriptæ, clamant tot arces instauratę, tot exornata templa Dei Opt. Max. tam splendidè, & magnificè exædificata publicis iuxta ac priuatis ædificijs Cracouia, Posnania, Leopolis Varsouia, Lublinum, Gdanum & aliæ quędam vrbes atque emporia: tam denique culta, & habitata Russia, Prussia, Lituania, & Podolia, quæ regiones antea sylvestres, & incultæ, aut superiorum temporum conditione desertæ magna ex parte iacuerant. Quid ego priuatos Sigismundi thesauros, & æratium sine vlla cuiusquam iniuria, in extremos Reip. vsus asseruatum? quid tot ac tantas possessiones à maioribus eius oppigneratas, ab hoc verò redemptas, commemorem? Hæc eo sunt maiora, & magis honorifica, quò fœdius fuit ac deformius, quosdam ante eum reges quotidianis quoque sumptibus interdum defectos esse. Iam verò non minima est & illa felicitatis accessio, quòd eo regnante Zatoriensis ditio, & Massouia post quadringentesimum ferè annum ad corpus, & compagem Poloniæ redierunt: Prussia recusatum diu, & aliquoties excussum iugum accepit: Pomerani Stolpenses ad intermissam aliquandiu huius regni societatem, & clientelam, iureiurando adacti, reuenêre: in qua tamen nostra conniuentia nō diu permansêre. Porrò in commemorandis coniugijs, & liberis, quæ non exigua felicitatis humanæ pars est, diutiùs me immorari necesse nō est. Permulti sunt in hoc cœtu, qui priorem eius vxorem, Barbaram, Stephani comitis Scepusiensis, ac Transyluanienſium palatini, cuius ductu nonnunquam cum Turcis Vngari fortiter dimicarunt, filiam, Ioannis postea regis Vngarorum sororem, fœminam sanctissimam, & pientissimam, nouerunt: quæ quidem maximam illam Orsensem de Moschis victoriam assiduis diurnis ac nocturnis precibus, cum lacrymis, & profusa in egenos beneficentia, asperioreq, cultu corporis, & ieiunio coniunctis, à Deo impetrasse existimata est. Quæ quàm coniunctè cum viro vixerit, magno & longo mœrore, & vberi fletu, ac penè muliebri eiulatu post mortem eius indulgentissimus rex testatus est. Hac immaturè intra tertium annum amissa, alteram suasu Maximiliani Cæsaris duxit, Bonam Sphortiam, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium ducis & Isabellæ Arragoniæ filiam: cuius auus maternus, Alphonsus eius nominis secundus, Neapolitanorum rex, & stirpis Arragoniorum ac Siculorum regum, de qua Carolus quoque, & Ferdinandus summi monarchæ maternum genus ducunt, antiquitate, & sua virtute fuit clarissimus. Paternus verò proauus Franciscus Sphortia, Sportiæ, qui primus eam familiam rebus magnis gestis fundauit, filius, cum plurima, & grauissima bella cū maximis principibus, potentissimis populis, & præstantissimis bellatoribus per omnem Italiam prosperè gessisset, nominisque sui acterrore eam implesset, à Philippo Maria Mediolanensium duce, Blancæ Mariæ fi-

Splēdor, & elegantia Polonorum.

Leges. Arces instauratæ, & templa. Vrbes opulentiæ iubSigismundo. Thesauri regū.

Zatoria, & Massouia recuperata.

Prussia, & Pomerani in clientelā accepti.

Coniugia.

Barbara vxor religiosa.

Altera vxor Bona Sphortia.

Alphonsus rex Arragonum.

Franciscus Sphortia dux Mediolani.

liæ coniugio, dotaliq́ue Mediolanensium principa-
tu dignatus est. Hoc igitur tali genere prognatam
Bona regina fides & obsequium. Bonam, alteram vxorem Sigismundus rex accepit. De qua, quoniam præsens adest, graui dolore,
Sigismundus plurimum indulsit Bonæ. & mœrore amissi dulcissimi mariti, quemadmodum cernitis prostrata, nihil dicam amplùs, nisi
quòd triginta ferme annos cum eo nupta, tanti ea
fecit maritum regem, vt his extremis aliquot an-
nis ægrotantem, & viribus planè destitutum, non
coniugali caritate, sed ancillari planè ministerio
sine omni fastidio curaret. Quo factum est, vt plu-
rimùm ei vicissim rex amantissimus indulgeret. Ha-
Heduigis filia. rum verò duarum vxorum è Barbara quidem He-
duigim filiam susceptam, fœminam lectissimam,
Quatuor filiæ Sigism. è Bona. Ioachimo Marchioni Brandenburgensi, Electori
Roman. imperij, matrimonio iunxit, & neporibus
ex ea viuens adhuc auctus est. E Bona verò maximâ
Isabella regina Vngariæ. natu filiam Isabellam, fœminam excelso & regio
animo præditam, Ioanni regi Vngarorum affini
iam priùs suo nuptui tradidit: nepotemq́ue ex ea,
quemadmodum fertur, indole puerum suscepit:
quæ mulier complures iam annos post mariti mor-
tem in præcipua laceri, & afflicti regni parte regnat.
Reliquas verò tres, Sophiam, Annam, & Catha-
nam, virgines spectatissimas, magnorumq́ue re-
gum connubijs dignas, quas hic dolore immaturè
amissi patris miserabiliter lamentantes, & humi ab-
iectas videtis, elocari ipsi, ita vt optabat, datum non
Filius Sig. Augustus puer coronatus. est. Filius verò vnicus hic Sigismundus Augustus,
puer etiam dum decimum agens annum paterno
regno, ipsius opera, studioq́ue ante decem & octo
annos inauguratus, pòst iuuenis factus, vxorem ac-
cepit

cepit voluntate patris, Elizabetham, Ferdinãdi Cæ- *Elizabeth prima Sigis. Aug. vxor.*
saris, & Vngarorum, ac Bohemorum regis filiam
natu maximam. In qua muliere genus cum forma,
forma cum comitate, & mansuetudine, hæc cum
probitate: probitas denique cum pietate (quæ ipsi
patria virtus fuit) certabat, ita vt nescires, quid in ea *Elizabetha laus.*
potissimùm admirareris. Quæ vtinam vixisset diu-
tiùs, & editis socero optatis ac sui similibus nepoti-
bus, felicitatem eius perfecisset, tranquillitatemq́;
huius regni stabiliuisset. Sed non merebantur hæc,
opinor, nostra scelera. Nunc ad Sigismundũ redeo.
Nonne igitur hoc singularis cuiusdam felicitatis
fuit, rege patre, patruo, auoque: matre verò Cæsa-
ris filia, & magni regis sorore ortum esse: tres fra-
tres, & vnius ex his filium, reges vidisse: regem & i-
psum supra vnum & quadraginta annos tranquille, *Nobilitas Sig. regis & felicitas.*
feliciterque regnasse? Summis principibus venera-
bilem, hostibus formidabilem, cęteris admirabilem
fuisse? regnum legibus, opibus, ædificijs, humanita-
te, elegantia, & gloria longè florentius, quàm acce-
perat, reliquisse? Filiam reginam, alteram verò re-
gina non inferiorem, & ex his nepotes & neptes
habuisse? Filium denique regem secum, & post se
fecisse? morientem, permagnum sui desiderium
bonis omnibus reliquisse? Nonne hæc (inquam) ei
præclarissima, & longæ posteritati memorabilia in
hac vita contigerunt? Atque hæc tamen pleraque
omnia externa sunt bona, in quibus fortuna pluri-
mùm sibi vendicat: sed ab eo tamen ratione & con-
silio moderata sunt. Quid ego nunc formam, & sta- *Bona corporis forma.*
turam eius, robur cuiusuis honesti laboris patiens,
dignitatem oris, dignamq́ue, vt ait Poëta summus

Imperio faciem, depingam? Quod si facere maximè velim, non possim. Priùs enim ferè hæc in eo ætate ingraueſcente marceſcere cœperunt, quàm ego in hanc lucem prodij: ſed tamen permanſerunt in eo etiam affecta iam ætate, non obſcura earum rerum veſtigia. Roboris verò, & virium eius argumenta, fractæ inter manus nõ ſemel florentiore ætate ferreæ equorum ſoleæ, rupti funes canapei craſſiores, intenſę manu baliſtæ, diſcerpti luſoriarũ chartarum faſciculi, à maioribus natu, qui hæc fieri ab eo viderunt, prædicãtur. Atq; hæc leuiora fortaſſe cuiquam videantur. Illa quidem nõ in poſtrema bonorũ parte numeranda ſunt, ſanitas, quæ ipſi perpetua ferè ante extremam ſenectutem fuit: integritas, & ſolida compago membrorum, quæ afflictas morbo vires facilè recuperabat: vigor ſenſuum, qui ad extremum vſque eum non deſtituit: firma, melioribus præſertim annis, memoria: denique acumen ingenij, quo fratres, maioresq; ſuos longo interuallo anteiuit. Sed & hæc omnia, vt ſint magis propria hominis, quàm illa ſuperiora, tamen ad corpus ferè, quæ deterior pars hominis eſt, pertinẽt, nec magna laude, & admiratione digna ſunt, quippe cum quibus naſcamur, quæque in poteſtate noſtra non ſint, & ingenuo cum ſeruis, vrbano cum ruſticis, nobili cum plebeis, regi cum mediaſtinis, & baiulis: denique bono viro cum improbis ſint communia. Tametſi ne mutæ quidem pecudes, penitus horum bonorum expertes ſunt, quin pleraque in illis, quàm in nobis, maiora, & illuſtriora ſpectantur. Viribus quidem ab vrſis & leonibus, agilitate à ceruis, & biſontibus, longæuitate ab ijſdem ceruis, ſpecie fortaſſis ab equis & pauonibus, ſanitate à piſcibus, ſenſuum vigore à lyncibus, aquilis, canibus, vulturibus: induſtria, & ingenio quodãmodo ab elephantis, vulpibus, & apibus: ſic alijs rebus ab alijs fortaſſe ſuperamur. Cæterùm in animo vera hominis, & propria laus eſt. Corpus enim partim inſtrumentum, partim domicilium, partim etiam carcerem, & ergaſtulum animi, ſapientiſſimi homines eſſe voluerũt: animum ferè hominis appellatione dignati ſunt. Qui verò molliſſimè ſenſerunt, partem quidem hominis, ſed longè deteriorẽ corpus dixerunt: in animo omnem hominis excellentiam, & principatum collocarunt. Quocirca his, quę externa, quęque corporis bona dicuntur, ita obiter tranſcurſis, ad eas, quæ ſunt propriæ hominis, atq; adeò magni & excellentis principis laudes, tranſeamus. Quas dum, quanta maximè breuitate poterimus, perſequemur, quæſo, vt benignè, & attente, quod feciſtis adhuc audiatis. Virtutem, ſummam animi, atq; adeò hominis perfectionem, quicunq; rectè philoſophati ſunt, dixerunt, eiusque virtutis prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iuſtitiam, quatuor partes, & quaſi fontes quoſdam, vnde officium, & omnis honeſta & laude digna actio manaret, eſſe voluerunt. Quænam ergo ex his in hoc præſtantiſſimo rege deſiderata eſt? Prudentiane? quæ ex præteritis & præſentibus, ea quæ deinceps euẽtura ſint, colligit: cauſſas rerum videt, rectè de rebus iudicat, ſibi, ſuisq; in longum proſpicit, impendentia mala ſapienter auertit: at ea ſumma & admirabilis in eo fuit. Argumento eſt, bene & cum approbatione cunctorum, quoad ei per ætatem, atq; morbũ licuit,

Robur, & vires.

Sanitas.

Ingenium.

Vigor ſenſuum in quibuſdam pecudibus.

Bona animi.

Laus propria hominis eſt in bonis animi.

Virtus, & eius partes.

Laus Significa à virtutib.

Prudentia.

administrata, & inter tot vndique imminentes hostes per tot annos incolumis conseruata Respublica. Nam quis sapientius eo, siue ex legibus, & moribus nostris, siue ex æquo & bono ius dixit? Nihil eum varietas legũ atq; morum, quibus alijs equestris ordo, alijs oppidani, alijs agrestes, deinde diuersis Poloni, Lituani, Massouij, Prussi, Silesijq; vtuntur: nihil diuersa, & pugnantia nonnunquam senatorum iudicia, quò minùs ius suum cuiq; tribueret, perturbarunt. Accidit interdum, vt post dictas à senatu sententias, vltima ipsius, ab omnibus diuersa, & tamen omnium esset æquissima. Porrò in consilijs de Republ. nihil temerè, & inconsultè faciebat, cuncta ad publicam, non partis, aut ordinis huius, vel illius, sed omnium vtilitatem referens, fortunę quàm minimum sese, suaque permittens: ac tuta consilia lentiùs, quàm callida, & periculosa semper secutus. Bella, in quibus fortuna plurimùm dominatur, nunquam appetiuit: nec nisi necessariò, & graui iniuria prouocatus, suscepit, & ita quidem, vt abilla comici Poëtæ sententia non discederet: Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet. Itaque à quietis consilijs nunquam, ne inter media quidem arma, & rebus ad nutum fluentibus, abhorruit. Regna à Suetijs, Vngaris, & Bohemis (quemadmodum superiùs dixi) delata recusauit, ne se, patriamq; suam nouis, & periculosis bellis implicaret. Valachos subiugare, siue adeò exterminare, ob rupta crebrò fœdera cùm posset, noluit: ne vel illi desperatione adducti, Turcis sese dederent, vel redacta in prouincię formam Valachia, & amoto quasi obice, ipse difficillimum cum potentissimis Turcarum tyran-

Gentes & leges Varia.

Consilia quieta.

Regna oblata repudiata.

Valachi cur non subacti.

Bellum contra Turcas cur denuntiatum.

tyrannis bellum de finibus gerere cogeretur. Non quòd à pia contra barbaros ac deuotos Christiani nominis hostes expeditione penitus abhorreret: sed quòd suas, illorumque vires iusta lance metiretur. Sic enim iudicabat, neque suum esse, neque vllius planè cuiusquam principis, tam validum hostem, qui Asiæ, Aphricæ, Europæque magnam partem ditione teneret, florentissimum Græciæ imperium euertisset, Caramannos, Cilicas, Syros, Ægyptios, & nescio quas prętera gentes vna æstate subiugasset, deniq; latissimè dominanti Persarum regi grauis esset, debellare. Coniungenda esse Christianis principibus arma, si hostem illum à ceruicibus suis vellent depellere.

Cùm ergo animaduerteret, cæteros principes feralibus odijs inter se digladiari, ac totum penè orbem Christianum plus, quàm ciuilibus bellis ardere, omni honesta ratione semper Turcicum bellum declinauit: & Ludouico, fratris filio, Vngarorum, & Bohemorum regi sedulò idem suasit: qui iuuenis si patrui, quàm ferociorum quorundam consiliariorum suorum, consilijs obtemperare maluisset, oblatamq; à Turcis pacem accepisset, seu verius ipsis expetitam dedisset, viueret fortassis adhuc, neq; munitissimum Christianorum regnorum propugnaculum Vngariam secum vnà perdidisset. Hæc sanè fuit caussa, cur apud pientissimum, & Christianissimum regem Sigismundum nihil valuerunt Iulij secundi, Leonis decimi, Adriani sexti, & Clementis septimi pontificum maximorum preces, & exhortationes, ad suscipiendum contra Turcas bellum incitantium.

Dissuasor belli Turcici.

Consilium Sigismundi à Ludouico rege Vngar. neglectum.

Pontificum exhortationes ad bellũ Turcicum.

Bellum Turcis cõmuni regum consilio, & ope inferẽdum.

Baiazetes pacem petiit à Sigismundo.

Optabat quidem sapientissimus rex tempus illud, cùm Christiani principes restinctis intestinis bellis, reconciliatisq; inter se animis, ad inferẽdum Turcis bellum conspirarent: plurimumq; in id operæ, laboris, & sumptuum impendit, siue quãdo cum Maximiliano Cæsare congressus est: siue cum missis non semel ad dissidentes principes, & ad Pontifices maximos, veluti præsides, & moderatores Reip. Christianæ legationibus, accuratè ac diligenter ea de re egit. Et cùm initio nonnulla eius rei spes ei affulsisset, non nisi annuas inducias Baiazeti, Solimanni huius auo, petenti dare voluit. Ea verò spe frustratus, sæpe diuinauit, nũquam id se viuente euenturum esse, vt Christiani principes aduersùs communem illum hostem vires coniungerent. Intelligebat enim, quousq; nonnullarum nationũ mutua inter ipsas odia processissent: nec defore Turcis, quos à cæterorum consensu, ad impediendos pios conatus, auellerent. Quid illud? cum principes Christiani complures, quos nominare necesse non est, sub Clemente Pontifice, in suum fœdus, contra Carolum Cæsarem, partim inuidentia felicitatis eius, partim potentię metu initum, pertrahere eum non potuerunt? Aut cũ nuper primarij Germaniæ principes, affines ferè ipsius, & præpotens illa tot opulentorum populorum contra eundem Imperatorẽ, & fratrem eius conspiratio, pellicere eum in societatem suam nequiuit? ne eatenus quidem, vt vel petuniæ non nihil mutuò daret affinibus, & cognatis, vel conatus illos tacitè approbaret, vel denique, ne suos homines stipendijs eorum militare prohiberet? Cuius tamen rei non leuem ei excusationem dabãt

Bellum contra Carolũ Imp. semper dissuasum.

Smalcaldẽse fœdus.

dabãt apud Cęsares, libertas & instituta nostra. Non modò autẽ nihil eorũ fecit, sed etiam dissuadere conatus illos, & pacificatorem sese interponere conatus est. Atque vtinam ei obsecundatum esset: non tam vasta quibusdam locis, neque tam exhausta passim esset pecunijs iuxtà ac viris Germania: & liberi adhuc principes quidam retinerent dominatus suos amplissimos. Sed fortasse sic Deo visum, vt fastum, & contumaciam, prætextu libertatis Euangelicæ, contra sanctissimas leges, & instituta maiorum, contra antiquissimum vniuersi Christiani orbis consensum, & cõtra legitimos magistratus suos impie sese efferentem, retunderet. Cùm igitur hæc vel faceret, vel recusaret optimus rex Sigismundus, nónne magna fuit illa eius prudentia, cum fide amicitiæ, & constantia coniuncta? Quid? cum Ioanni regi, bis affini suo, ne regnum Vngarorum Ferdinando Maximiliani nepoti iam priùs destinatum, susciperet, dissuadere frustra studuit? aut cũ ei profugo exilij quidem locũ apud se indulsit, vt aliquid necessitudini, & calamitati eius tamen daret: auxilia verò contra eundem Ferdinandum negauit? aut cùm pacem inter eos componere magna cura instituit? Cernebat nimirum sapientissimus princeps à longè, quantum mali intempestiua illa Ioannis ambitio Vngaris aduectura, quantisque malis, & calamitatibus non modò florentissimum illud regnum, verùm etiam finitimas ei regiones inuolutum esset bellum illud inter duos de regno conflatum. Iam in reuocandis ad officium Gdanensibus quodam furore multitudinis ad rebellionem concitatis, & in ejciendis è Prussia Cruciferis Marianis

Clades Ligæ Smalcaldicæ.

Germanorum contumacia prætextu libertatis Euangelicæ.

Erga Ioann. regem Vng. quomodo se gesserit.

Intempestiua Ioannis ambitio ad regnum.

Gdanum pacatum.

Cruciferi ejecti è Prussia.

tam cupidis, tamque contumacibus, vt nunquam ab eis Polonia, & Lituania quietè esse possent, annón magno & exquisito consilio vsus est? Ne illud quidem eius consilium sapientia vacauit, quo, cùm hinc à Moschis graui bello distineretur, inde Cruciferi non leuius bellum ei ostentarent: Maximilianus verò Cæsar, infensus ipsi adhuc, & hos, & omnes, quoscunque posset, in eum, & in perniciem Polonorum concitaret: Tartaris donatiuum, siue stipendium constituit, non modò vt ab assiduis eorum incursionibus ditiones suas, alijs quemadmodum dixi, bellis impeditas, liberaret, verùm etiam, vt eorum opera in vexandis ac distinendis Moschis, & alijs hostibus suis, paruo redempta vteretur. Qua re tantum profecit, vt & Moschos ad petendam pacem adigeret: & tam culta & habitata sit, quàm nunquam sub fratribus, patre & patruo eius fuit, Podolia. Quàm solidum verò fuit eius iudicium in mandandis honoribus, & magistratibus, & in allegendis in senatum viris idoneis, quoties id ei arbitrio suo facere per quosdam importuniores, quibus impensius indulgebat, licuit? Atque hoc id admirabilius est, quod difficile est non peccare in hac parte maximis quibusque regibus, & principibus, propterea quòd alienis ferè & oculis cernunt, & auribus audiunt. Iam peculiaris illa eius in omnibus dictis & factis cunctatio, nei-ipsa quidem sua commendatione caret. Nimirum sapientis est, nihil temerè, nihil præcipitanter, sed omnia consultè ac deliberatè agere. Sic enim cauemus, ne cuius nos dicti aut facti vnquam pœniteat. Itaq; celebratur etiamnum literarum monumentis,

Stipendium Tartaris sapienter datum.

Iudicium in distribuendis honoribus, & magistratibus.

tis, non ignobilis populi Roma. Imperator, Fabius Maximus, de quo vulgatus ille Poëtæ cuiusdam versiculus:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Atque hactenus quidem de prudentia Sigismundi regis nobis dictum sit modò. Cuius quidem ipsi causa fuit timor Dei, cum lacte nutricis, vt ita dicam, imbibitus. Initium enim sapientiæ, quemadmodum sapientissimi reges, Dauid & Salomon inquiunt, est timor Domini. Fortitudine verò & magnitudine animi, quanta hic rex præditus fuerit, quàm impiger ad propulsanda, & suscipienda pro salute, & incolumitate suorum bella, quàm contemnens earum rerum, quæ maximè in hac vita expetendæ esse videantur (qualia sunt, regna & imperia) satis iam, opinor, intellexistis ex his, quæ superiùs diximus. Quin ex illo quoque magnitudinem animi eius intelligere licet, quòd Prussico bello, cum terrore non modico aduentantium è Germania auxiliorum, meliore rursus loco res Crucigerorum esse cœpissent, nihil de conditionibus pacis hosti priùs à se oblatis, mutare voluit: aut quòd cùm ipsi Lituaniæ possessionem post mortem Alexandri fratres adeunti, ne nouis quorundam Lituanorum motibus renunciaretur, non est deterritus, quò minùs institutum cum pauco comitatu aulico iter prosequeretur. Et cùm deinde Michaëlem Glinssium, ducem Russium, qui ad dominatum adspirare, dicebatur, cum valido equitatu aduentare, in balneo tunc fortè sese abluens, cognouisset, neutiquā turbatus est animo. Venientē cum tranquillo vultu, & comiter accepisset, cuncta ei scele-

Timor Dei principium sapientiæ.

Fortitudo, & magnitudo animi. Constantia.

Michael Glinscus.

rata consilia (quod Michael ipse postea fassus esse fertur) è pectore excussit. Tantum eius animi magnitudo, in graui & cõstanti aspectu relucens, apud hominem Alexandri regis nimia gratia insolescentem, ac dominandi cupiditate incensum valuit. Sic feroces alioqui canes ad molossorum aspectũ proijcere sese, & adulari cauda solent. Quid illud? quòd Vngaris, & Bohemis, cum suis regibus Viennam ad Maximilianum Cæsarem proficisci, fideique eius, quem Posonij in constituto cõgressus loco diu frustra expectarant, credere sese ob non leues suspiciones dubitantibus: ipse, non sanè amicũ ad eam diem expertus Cæsarem, permagna fiducia ire ad eum perrexit, ac cæteris idem faciendi, data fide pro Cæsare, author fuit?

Fiducia.

Porrò æquabilitate animi in vtraq; fortuna, tanta fuit, vt neque secundis rebus difflueret, neq; aduersis frangeretur: à superbia, & fastu semper alienus, aditu & affatu facilis fuit. Æstus, frigoris, inediȩ, & laboris patientissimus: quippe qui ab ineunte ætate molliciei, delicijsque minimè assuefactus esset: crassioribus cibis, & pannis, & caprinis pellibus, quod iactitare ipse solitus erat, innutritus. Morbos, & aliȩ vitȩ incõmoda admodum æquo animo ferebat. Quodã tempore ad sectionẽ digiti pedis, sacro (vt medici dicunt) igne inflammati, nihil est planè commotus. Porrò cùm arx hæc conflagrasset, illa de re tãtum angebatur animi, quod dubitaret, tantisper se deinceps victurum esse, donec eam instauraret. Publica suorum incommoda depellere, damnaque vindicare non libenter neglexit. Priuatas verò suas iniurias, obtrectationes, conuitia, & maledicta

Animus in lætis & aduersis constans.

Tolerantia.

Educatio minus delicata.

Iniuriarũ obliuio.

ledicta insolentiorum hominum ita contempsit, vt nunquam vindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiam in huiusmodi homines restrictior. Iam verò temperantia, & moderatione non modò cum laudatissimis omnium gentium regibus, & principibus, verùm etiam cum priscis philosophis, quorum seuerior & accuratius instituta fuit vita, certare potuit. Nihil ab eo leuius, nihil cupidius, nihil insolentius, nihil dissolutius, & flagitiosius vnquam dictum aut factum. Fuit in eo vultus æquabilis, & ad seueritatem compositus, incessus lenis, sermo perpaucus & grauis, sale tamen & lepore non inurbano, neque petulanti nõnunquam temperatus: à sordibus semper abhorruit: sed frugali tamen victu, & cultu corporis elegantiore, quàm splendidiore vsus est, nisi quando externos homines & legatos ad se admissurus erat: nam tunc augustiore habitu commendare maiestatem suam studebat: eademque de caussa splendidius, quàm quisquam maiorum suorum habitare instituit. Cuius exemplo, & imitatione eliminata magna ex parte è vita nostrorum hominum pristina barbarie, ciuilitatem, munditiem, elegantiam, & splendorem cum dignitate consectari passim cœpimus. Itaq; longè alia nunc est facies rerum in Polonia, quàm ante hũc regem fuit. Sobrietatem verò rex idem magni fecit, & ab infantia quidem ad senectutem vsq; patris, auique instituto, planè abstemius, & aquȩ potor fuit: ingrauescente verò ætate, medicorum suasu vinum bibere didicit, sed ita tamen, vt nunquam eum quisquam ebrium viderit. Edacior quidem, & libidinosior natura fuit, verùm in vtroq; tamen magnopere

Temperantia.

Ciuilitas Polonorum.

Sobrietas.

Abstemius Sigismũdus.

Edacitas.

sibi imperabat: cùm prægrauatum se sentiret, ipse sibi cibum subducere solitus. Quod verò ad Venerem attinet, cælebs quidē viridiore ætate laxius aliquanto vixit, & liberiùs: nec tamen alienos thoros contaminauit, nec vim cuiquam honestæ, & pudicæ intulit: neque fœdius quicquam, quod honestæ aures abhorreant, admisit: & veros illos lubricæ ætatis ipsius multis clarissimis virtutibus compensauit atque contexit. Maritus verò, coniugij fidem sanctè seruauit. Verecundia summa, & penè virginali, quoad vixit, fuit. Nudū se, aut necessitati naturæ satisfacientem, nonnisi à perpaucis interioris cubiculi ministris, conspici passus. Obiurgare & admonere officij eos, qui aliqua dignatione essent, non sine rubore solitus. A probris, maledictis, & acerbioribus verbis, quamuis iratus, omnino sibi temperauit. Quanta verò fuit huius optimi regis modestia? qui cùm acri & solido esset cùm in iudicando, tum in consultando iudicio: & neq; gratia, neque odio facilè deduci se ab æquo, & bono pateretur, tamen nihil ferè maius vnquam sine consilio senatus fecit, aut statuit: ac nonnunquam de recta sententia sua consensu senatus adductus decessit, ne pertinax esse videretur: quod ingens est, & pernicioſum plerunq; in principe vitium. Fiunt enim multa interdum iniustè, & inutiliter, atq; etiam temerè, & cum multorum exitio, ab ijs, qui sibi plus, quàm cæteri sapere videntur, dum iudicio suo freti, aliena consilia aspernantur. Iam illud, nonne magnæ fuit modestiæ simul & grauitatis, quod aduersantē sæpe desiderijs suis, vel vtilibus, vel certè non pernicioſis Reipub. nobilitatem, æquo, & moderato animo pertulit: neque vi quicquam inuitis extorquere aggressus est, neq; intemperantiorem cuiusquam in se petulantiam acerbiùs vltus est: ne tum quidem, cùm apud Leopolim cōcitatæ multitudinis conatus prodigiosa tempestate diuinitus disturbati, ferociorem eum facere potuerunt? Ac ne eblandiri quidem præter dignitatem aliquid, quod extorquere nollet voluit. Non pauca tamē aliquando extra ordinem, & præter debitum huic eius modestiæ consensu, & obsequio multitudinis atq; consiliariorum cōcessa sunt. Ita nimirum sæpe eius impetrat modestia, quàm exprimit imperium & violentia, præsertim ab hominibus, ab humanitate & libertate non alieniſſimis. Ab eo verò, quē sibi in omni vita proposuerat, modo, neq; cupiditate vlla, aut metu, neq; ira aut odio, neq; aduersitate & ægritudine animi, neque lætitia, deniq; & voluptate (quę res transuersos ferè rapiunt homines) facilè vnquam auocatus est, & abstractus. Porrò si quando animum grauibus, & cōtinentibus Reip. occupationibus lassum, & quasi fatiscentem recreare, & relaxare voluisset, equitationib. ac cerborum, onagrorum, aprorum, vrsorum, & bisontium venationibus (quod studium ipsi gentilicium atq; hæreditarium fuit) non sine vtili & salubri corpori & virium, atq; etiam industrię exercitatione id facere solitus est: interdum etiam equestrium certaminum atq; ludorum spectaculis. Scurrilibus quidem iocis, & leuioribus, sordidisve lusibus, mimis item, & histrionibus, & morionibus nō libēter, præsertim integrioribus adhuc viribus vacauit. Nec plura nunc de regis huius temperantia, & modestia dicam. Reliqua est nobis vna maxima, & præclarissi-

Pudicitia.

Verecundia

Modestia.

Considētia caruit.

Moderatio erga nobilitatem.

Leopolienses turbæ.

Studium nobilitatis erga eum.

Constātia.

Quales animi recreationes.

Iustitia.

ma virtus eius, quæ eiusmodi est, vt neq; vesperugo, neq; aurora sit magis admirabilis, quemadmodum inquit Sapiens quidam: Iustitia, inquam, qua firmantur solia, vt ait sapientissimus rex Salomon, stabiliuntuŕq; regna: quæ quidem vel maximè in hoc regno resplenduit. Itaque ergo iure optimo firmatum est solium eius, regnumq; stabilitum. Nam siue æquabilitatem, & æquitatem eius in dicendo iure, tã diuerso & vario, quàm est in hoc regno, spectes, siue grauitatem, & constantiam inter diuersas plerunq; senatorum, & nonnunquam pugnãtes inter se sententias, studiaq; ad gratiam, vel odium (vt fit) inclinantium, siue laborem & patientiam in exercendis iudicijs, quoad ei per valetudinem licuit, & audiendis etiam infimorum hominum querimonijs, est quòd admireris, nedum laudes. Admiranda est, & illa eius cõtinentia, quòd nemini vnquam, eo regnante, quamuis luculentas, quãuis amœnas possessiones regijs vicinas habere obfuit: quin illum vicinum, quàm proceres quosdam, cuncti maluistis. Quid ego fidem eius cùm in promissis, tum in fœderibus, & amicitijs, inimicis iuxtà ac amicis spectatam, prædicem? Commemoraui nõnulla superiùs, quæ ad hanc rem pertinent, nempe quòd ad dissoluendam cum Cæsaribus, Carolo & Ferdinando amicitiam adduci se nũquam passus est, ne à necessarijs quidem & affinibus. Promissi verò, quàm tenax fuerit, possem hic, si necesse esset, locupletissimos eius rei testes citare, nõnullos viros amplissimos, qui partim hîc adsint, & hæc taciti audiunt, partim iam è viuis excesserunt: quibus quò minus præstaret semel promissa, neq; gratia, neq; odio, neq; precibus, neq;

Iustitia.

Prouerb. 16.

Æquitas in iure dicẽdo.

Labor.

Continentia Sigis.

Fides eius in promissis, & fœderib.

neq; conuitijs, neque lacrymis cuiusquam flecti potuit. Nihil in eo fallax, aut multiplex: aperti verò & simplices fuêre mores, pariter & oratio. Et quoniam ea, quę Respub. continet, tuetur, & florentes facit, iustitia pœna, & præmio, sæueritate, & clementia maximè constat, de his quoq; pauca dicamus. Vtrunque ille quidem coluit: nec dum alterum sequitur, neglexit alterum: sed cùm intelligeret, liberis, & minimè malitiosis populis se imperare, & satis magnam pœnam sceleri & ignauiæ, institutis maiorum nostrorum esse propositam, infamiam inquam, & odium bonorum virorum: ad sæuritatem quidem, & expetendas de sontibus pœnas fuit remissior: nec nisi necessariò, quemadmodum ad secandum, vrendumq; medici, ad hoc descendebat. Vt, cùm Cazimirienses aliquot decuriones ob cædem nobilium quorundam, tumultu cõcitatę multitudinis patratam, supplicio capitali affecit, ne quod maius malum inde existeret, & vt illi exemplo essent in posterum magistratibus, multitudinem temerè concitantibus, concitatámve non refrenantibus: vel, cùm Gdani de capitibus seditionis vrbanę supplicium sumpsit. Vel denique cùm dux adhuc Siles iæ, regionem illam omnem latrocinijs, quibus infamis erat, iam inde ex quo tempore bella ibi à Bohemis & Vngaris, Matthia, & Georgio, ac mox Vladislao regnantibus, gesta sunt, penitus repurgauit. Quod factum eius cùm finitimi omnes laudant, tum Silesij quoq; etiamnum grata memoria prosequuntur. Ad clementiam verò fuit propensior, ita vt cùm aliquando eam ob rem, nescio à quo viro senatorio reprehẽderetur, vrbaniori respõso repres-

Synceritas.

Seueritas & lenitas.

Cazimirienses puniti.

Gdanenses seditiosi puniti.

Purgata à latrocinijs Silesia.

Clementia Sigismundi.

sisse illam eius acerbitatẽ feratur: Qui scis, inquiés, à quónam sæueritatem istam exordiret? Illud opinor innuens, neque illum culpę exortem esse, & ad multa nonnunquam conniuendum esse Remp. administranti. Proinde multos capitis reos vita donauit, nõnullis inustam iure infamiam sustulit: nullius propemodum bona confiscauit: cõfiscata etiam ijs, quorum fuerant, reddidit. Exules & proscriptos reuocauit, sine accusatore quidem & indicta causa neminem damnauit. Gdanensibus vilis plebeculæ impetu ab officio discedentibus, nihil ferè de pristina libertate & immunitate, nihil de commodis, quę perampla sunt ciuitati illi publicè, & priuatim, detraxit, autores modò seditionis paucos inuitus partim interfecit, partim exilio mulctauit. Hostibus supplicibus libentissimè veniam dedit, ita, vt vel de medio victoriarum cursu non grauatè retrahi se ad veniam, reconciliationemq; pateretur. De Valachis quidem iam diximus. In Cruciferos verò debellatos iam ferè, quàm clementer se gessit? Quod nisi fidem eorum suspectam habuisset, non modò siuisset eos retinere, quæ habebãt adhuc, sed ablata quoq;, ni fallor, eis reddidisset. Magistrum quidem eorum, Albertum Marchionem Brandenburgensem, sororis suæ filium, expectatione, & aduentu auxiliorum è Germania, variè tunc, vt quàm leuissimo verbo vtar, secum agẽtem (dabit mihi veniam princeps amplissimus, vulnus suum necessariò refricanti, & beneficentissimi in se auunculi memoriæ hoc non inuitus, vti spero, donabit) retinere ea, quæ ante belli illud habuerat, & partim iure belli amiserat, partim amissurus esse videbatur, omnia iussit: & honore auxit,

Clementia erga Gdanenses.

In Cruciferos clemẽtia

Albertus Marchio Brandẽburgen. dux in Prussia factus.

auxit, Magistri appellatione in ducis nomen, quo omnem deinceps rebellandi occasionem tolleret, cõmutata: deniq; hęreditarium ei, fratribusque eius Cazimiro, & Georgio, in mares duntaxat liberos, principatum illum constituit. Hæc annón maxima sunt documẽta clementię, hostem, quẽ minimè esse decuerat, & hostẽ pertinacem, penè deuictũ & fortunis spoliatum, meliore quàm fuisset dudum, conditione, in societatem, & amicitiam recipere? Quid illud eodem bello, quòd Germanos milites cõtra se militantes, velitationibus, & leuibus nostrorum prælijs exagitatos, & labore, inopia, inedia, vigilijs, vulneribusq; confectos, delere, cum posset, noluit? Captiuos, quorum plenæ erant turres, & ergastula in maiore Polonia, & Cuiauia, sine vllo precio liberos, atq; adeò veste & viatico donatos, dimisit? Cuius clemẽtiæ, benignitatisq; fũę maximũ, nisi fallor, fructũ cepit: nempe, quòd per tot annos deinceps eo regnãte, in Prussiam Germani, & cõtra Polonos, quamuis sedulo sollicitãtibus Cruciferis, arma non sumpserunt: non tam viribus, & fortuna regis, vt equidem credo, deterriti, quàm beneficentia victi. Sæpenumero enim ij, qui aliquando victi, fractiq; sunt, cõtra victores sese recolligunt. At quos victos seruaris ac iuueris, eos beneficij pariter & fortunæ suæ recordatio, pristinos spiritus recipere non tam facilè sinit. Neque illud minus est, nec scio an longè maius clementiæ Sigismundi argumentum, quòd cum permagna libertate, cui reges atque monarchæ plerique omnes infensi, & infesti sunt, Respub. nostra constituta sit, nunquam eam infringere conatus est: quamuis impellentibus ad id quibusdam,

Prussia in feudum concessum Marchionibus.

Clementia in victos. Germanię milites.

Libertas in Republ.

& maiore nonnullorum licentia aliquando prouocante. Verũ cedere furori paucorum, quum detrahere aliquid propter eos de cõmuni libertate, rex optimus maluit. Quòd si qui reprehendunt, ijdem sanè reprehendant, quòd amari à suis, quàm timeri: & patrem se, quàm dominum haberi maluit. Hæc & illud pertinet, quòd procerum simultates atque dissensiones semper sedauit, quoad potuit: quas alere tyranni, & qui priuata cõmoda sua, quàm Rempluris faciunt, solent. Nec eæ tantum (proh dolor) his extremis eius temporibus inter quosdam inualuissent, magno iustitiæ, & iuris dicũdi impedimento, scelerum impunitate, & periculo, maloq; Reipdum ea quasi plausum disparibus ac diuersis iumentis, auriga cessante, aut nec quicquam laborante, distrahitur ac discerpitur: non inualuissent, inquam, dissensiones tam pestilentes, si senium, & perpetuus ferè morbus cõsuetudinem, & autoritatẽ pristinam retinere eum siuisset. Quò fit, vt ipsi iure quodã suo venia danda sit, si nõ per omnia eum, quem debuit, quemq; florentiore ipsius ætate tenuerat, cursum Respub. pristino illo sensuum, animi, & memoriæ vigore in eo deficiente, tenuit. Ætatis hæc, viri Poloni, & Lituani, non illius culpa est. Ille quidem præclaris virtutibus suis, atq; superioris temporis administratione, & felicitate hæc, si qua fuerunt, extremi corporis incõmoda, penitus (si modò vos æquiores, & gratiores, quàm maligniores haberi mauultis) obscurauit. Neminem vnquam mortalem inuenietis, qui omnes numeros felicitatis absoluat. In carissimis quoq; parẽtibus, suauissimis vxoribus, dulcissimis liberis, atq; adeò in seruis quoq; vestris multa quotidie vos ferre necesse est, nisi humanitatem exuere prorsus velitis. Quę enim ista esset iniustitia, & immanitas, atq; adeò impietas, si liberi parentem suum, à quo progeniti, liberaliter educati, & instituti, semper indulgenter habiti, & omni ratione aduti, & ornati, summa deniq; omnia cõsecuti essent, ad extremum propter olẽtem animam, mucidasq; nares: addo etiam, si libet, propter neglectam rem familiarem, abominarentur, aut etiam grauius incusarent, superiorum omnium beneficiorum oblivisci? Non est hoc vestri moris, neq; ingenij, viri Poloni: qui nõ penitus malos reges, nedum bonos, & bene meritos, grata memoria prosequi soletis. Verùm ad institutum nostrum reuertamur: fuit igitur in Sigismũdo, quemadmodũ videtis, singularis clementia, & priuatim, & publicè. At fuit is restrictior in bene merentes de se ac Repub. Fuerit sanè ita. Sed quis hoc ei vitio vertat? si bene secum reputet, inane ante eum regem ærarium: oppigneratas à maiorib. eius possessiones plerasq; & bona regia: egentes quosdã reges, ne in quotidianos quidem sumptus pecunia suppetente: nõ solutas à patre: ab ipso verò exactas omnium, nisi fallor, sororum dotes: dotatas duas filias, tres etiam reliquas dotandas, & pro dignitate sua, regniq́ue elocandas: persoluta militibus suis, & externis supra ducenta millia florenorum, emeriti apud Ioannem Albertum, & Alexandrum fratres stipẽdij nomine debita: deniq; complura bella non sine magnis impendijs gesta, & alia prẽterea impendentia. Hęc quisquis rectè secum perpendit, simulq; cogitat, quò indignitatis illa ærarij inopia, patrem, fratresq;, atq; etiam maiores eius nõnunquam im-

Simultatũ sedator.

Simultates procerum.

Senium Sigismundi.

Senio cõdonandum aliquid.

Carminum Largus fuit.

Sumptus.

Magnificentia Sigis.

puleterit, æquior multo in hac parte Sigismundo erit. Et tamen nihil is prætermisit, quod ad splendorem regni, & patriæ, dignitatemq; suam, & magnificentiam pertinere existimauit. Vt enim illa, quæ modò attigi, non repetam, vt redemptos à barbaris captiuos: restitutas res, ne belli causſa essent, potēti hosti à nostris prædabundis ablatas: senas nuptias magnificentissimo apparatu factas: cōstructas aliquot locis, & pro veteribus tugurijs regali magnificentia exornatas domos. Vt hæc, inquam, præteream, arces quidem, Camenecenſis in Podolia, Leopolienſis, Sendomirienſis, Corcinēſis, Vilnenſis, Cracouienſis, & hæc quidem bis, & aliæ quædam instauratæ, & munitæ: comparatæ, & instructæ permultæ, & magnæ bombardæ: frequentes legationes ad exteros principes missæ, & ab eis vicissim veniētes splēdide ac liberaliter acceptæ atq; dimissæ, permagno ei constiterunt. Sumptuosus verò & ille fuit, splendidissimusq; cum Cæsare Maximiliano, & Vladislao ac Ludouico regibus apud Viennam cōgressus, quo Polonorum & Lituanorum nomen, obscuriùs antehac, & inopiæ, inertiæ, barbarieique opinione contemptibile apud externas gentes, illustrius & admirabilius esse cœpit. Post hos tot, tantosque sumptus, nō in luxum, delicias, & voluptates priuatas profusos, sed ad vtilitatem, salutem, decus & ornamentū Reip. factos, non est sanè reprehendendum, nec scio an valde laudandum, quòd ærarium nō inane reliquit, filij hæredis necessitati, & futuris Reip. vsibus, vt filiarum dotes taceam, vtiliter seruiturū: belliq;, si quod alicunde nobis inferretur, neuum futurum. Et tamen cū hoc sibi proposuisset, ne in

Arces ab eo extructæ, aut instauratæ.

Bombardæ.

Legationes. Regum conuētus Viennæ.

Ærarium inane. Beneficētia.

priuatos quidem benignitatem, & munificentiam suam clausit: & fortes, doctos, ac sapientes viros, aut quauis alia ratione vtiles Reip. cum donis, tum honorib. & alijs beneficijs prosequutus est. Vt enim literatos homines, nostrates pariter & externos, quorum vel opera honorificè in rebus magnis vti se posse existimabat, vel scriptis & præconijs suum, populorumq; suorum nomen illustratum in sperabat, vt eos igitur omittā, ac de fortibus viris aliquot modò insigniores cōmemorem, nónne Constantinum Ostrogiensem ducem peramplis beneficijs auxit? nónne Ostapheio plebeio, aut obscuro duntaxat homini, sed in Tartaricis bellis exercitatissimo, & vigilantissimo, cùm aliàs, tum post obsessam aliquandiu, & oppugnatam à Turcis atque Tartaris: ab eo verò strenuè defensam arcem Cercassiam, permagnum honorem habuit, & multa largitus est: multa sæpe delinquenti indulsit? Quid Nicolaum Senauium, scientia, & vsu rei militaris præstantem, excellētis virtutis ergo collocupletatum, & ad eum, in quo nunc est, honoris gradum euectum? Quid ve virū omni laude cumulatissimum, Ioānem comitem Tarnouium, cùm alijs non obscuris beneficijs ornatum, tum ad summum dignitatis fastigium euectum, euidentibusq; grati animi indicijs, & præclaris elogijs, cum siue à Moschico bello, & Starodubo euerso, siue à deuictis apud Obertinum Valachis reuerteretur, ab ipso ornatū, & honorario munere, publico totius Poloniæ cōsensu binis grossis collatis, cohonestatum, cōmemorem? Viuunt hi duo, & adsunt, & hæc mea dicta nutibus renidentes approbant. Tametsi longè maximum hi virtutis

Constantinus dux Ostapheius.

Senauius.

Tarnouius.

Honorariū publicè decretum Tarnouio.

prẽmium ſempiternam rerum à ſe geſtarũ gloriam, quæ eos nunquã deſtituet, arbitrantur. Taceo Bielſcium & Lacium Moſchos transfugas perhonorificè ab eo acceptos, & luculentis poſſeſſionibus donatos, ingenij, fidei, & ſcientię rei militaris ergo. Nó fuit ergo Sigiſmundus, ne in hac quidem parte reſtrictior. Aut ſi quando tandem fuit, non ſua voluntate, ſed neceſſitate, idque ingraueſcente maximè ætate fuit. Quoniam autem illa quoq; vel potiſſima pars eſt iuſtitiæ, quæ cum cælitibus hominum, quaſi ſocietatem quandam tuetur, pietas, inquam, & religio, de hac quoq; iam tandem poſtremo loco mihi dicendũ eſt. Conſulto autem in hunc eam locum ſeruaui, vt quæ reliquas omnes virtutes in ſe continet, & quaſi germina quædam ex ſe emittit, hominisq; felicitatem perficit, eadem nobis huius optimi regis perficiat laudationem. Abſq; hac enim cæteræ virtutes, imagines virtutum, & vmbræ ſunt verius, quàm virtutes: neq; omnino laudabiliter, & beatè, quamuis rebus ad vota fluentibus, viuitur. Qua autem pietate fuerit, quamq; ſanctè, & religioſè Deum optimũ maximũ Sigiſmundus hic rex coluerit, ſi alia nulla eſſent, ea quæ hactenus perſecuti ſumus, ſatis magno eſſent argumento: neque enim ita ſe ille tum in adminiſtrando regno, tum in omni vita geſſiſſet, neq; tantus euaſiſſet, neq; tot bonis, & felicitatibus, quot percurrere obiter vix potuimus, aut ipſe, aut ditiones eius cumulatæ fuiſſent, niſi Deum propitium habuiſſet. Veriſſimum enim illud eſt, quod eſt in epiſtola diui Iacobi Apoſtoli: Omne munus bonum, & omne donum perfectum ſupernè deſcendere, à patre luminum. Eum verò nemo propitium habere poteſt, niſi qui agnoſcit, reuereturque & colit, omnemq; fiduciam ſuam in eo collocat. Sic enim canit Dauid rex & propheta: Inquirentes Dominum, non deficientur vllo bono. Et alibi: Qui confidunt in Domino, erunt ſicut mons Sion, qui non commouetur in æternum. Cùm igitur Sigiſmundo tot illa, tantaq; bona in omni vita ſuppetierint, quis negabit eum Deo curæ fuiſſe? Vt enim non fallitur, ita neque fallit Spiritus ſanctus, qui per Dauidem olim locutus eſt: Quoniam rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi, non commouebitur, & quæ præcedunt: Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Et alibi: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus ſe in veritate: voluntatem timentium ſe faciet, & preces eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe. Sed quoniam impijs quoq; nonnunquam proſperè multa in hac vita cadunt, elucetque in eis etiam aliquando nonnulla imago virtutis atque probitatis, age videamus, num qua alia ratione pietatem huius regis oſtendere poſſimus. Et ecce occurrunt nobis templa Dei Opt. Max. partim inſtaurata, partim à fundamentis excitata, & multis, magnisque donarijs, & precioſis vtenſilibus, ad ſplendorem ſimul, & vſum cultus diuini, regali munificentia exornata. Atque vt Vilnenſem baſilicam, & Rupenſe, ſiue Scalcenſe fanum, & quædam alia, quæ nunc in mentem non veniunt, præteream: hoc quidem certè delubrum pulcerrimum, & ſumptuoſiſſimum baſilicæ huic adiunctum, quod ſepulcrum, & monumentum ſuum ille eſſe voluit, cum inſtituto iu-

Bielſcius & Lacius Moſchi transfugæ.

Pietas, & religio Sigiſ.

Regni felicitas ex cultu Dei.

Pſal. 33.
Pſal. 124.

Pſal. 20.

Pſal. 144.

Impiorum proſperitas.

Templa magnificè culta extructa, & ornata.

giter & concinnè Deum colentium sacerdotũ collegio, ferit oculos nostros, & quodã augusto splendore perstringit. Huic verò basilicæ quàm multa & ampla donaria contulit? Iam quis nescit, quàm sedulo is, dum per ætatem, & morbum potuit, & quàm religiosè sacris, cultuique diuino operam dederit, nulla neque temporis, neque loci incommoditate, neque occupationibus retractus? Quid ego precum eius assiduitatem, quid festorum dierum, ieiuniorumq; intemeratam obseruãtiam commemorem? in quibus omittendis vix valetudinis gratia atque id extremis demum aliquot annis, medicorum suasu, & episcoporum permissu, ne dicam hortatu, sibi indulsit. Quæ enim à teneris annis cum lacte quodammodo materno imbiberat, ad extremũ vsque halitum constanter & mordicus ea retinebat. Externi hi sunt cultus, ritusque, fateor, neque in his cardo religionis nostræ vertitur: vera & interior pietas in mentibus, & voluntatibus nostris penitus inclusa est. Ita sanè. Sed cùm ea soli Deo perspecta & explorata sit, tamẽ his externis sese nobis prodit, & exerit: vt sic luceat, secundum authorem salutis nostræ Christum, lux nostra hominibus, vt ij videntes opera nostra bona, celebrent, & glorificent patrem nostrum cælestem. Bona est enim, ait angelus ad Tobiam, oratio cum ieiunio, & eleemosyna. Ipse quoque CHRISTVS IESVS apud Matthæum magnopere hæc tria commendat, dum quomodo fieri debeant, præcipit. Quid verò prolixam Sigismũdi in egenos, quorum victus, vestitusque parandi rationes vel morbus, ætas, vel calamitas aliqua, vel denique arctioris, & addictioris Deo vitæ professio impediuisset, beneficentiam, & liberalitatem persequar? Eadem opera lucem hanc diurnam accensa lucerna illustrare coner. Cernitis en ipsorum turmas, non modò templum hoc, verùm etiam vias, & plateas complentium, & orbitatem suam, tam benefico rege amisso, miserabiliter deplorantium. Illa verò eius in receptis antiquitus Dei placandi ritibus, & cerimonijs, sacrosanctè retinendis ac defendendis, & in propugnandis Dei ministrorum commodis, præclara voluntas, & constantia, in ista præsertim nostri temporis licentia, & isto nouarum rerum, quo nunc leuissimi quique homines flagrant, studio, seu verius pruritu, nónne maximum est singularis pietatis argumentum? Vidit enim sapientissimus rex, in religione nostra nihil melius, nihil exactius hoc tempore à quoquã inueniri posse, quàm ab ipsis Christi seruatoris nostri discipulis, eorumq; successoribus proximis, sanctissimisque patrũ Conciljs cõstitutum, & publico Christiani orbis cõsensu tot seculis retentum esset. Didicerat non hîc, aut illic, & in angulis omnino Christum quærendũ esse: neque vnuscuiusque esse, arbitratu suo verba, & instituta Dei interpretari: sed ecclesiam, ecclesiam, inquam, in qua certa esset ac perpetua, vt inquiunt vetustissimi, sanctissimi, & grauissimi doctores, Irenęus, Cyprianus, & Augustinus, tot seculis continuata, verorum episcoporum successio, columnam esse, quemadmodum ait diuus Paulus, & firmamentum veritatis. In ea sola dari spiritum veritatis, qui vt author, ita interpres quoque sit sacræ Scripturæ: non dissensionis, verùm pacis Deus. Quo quidem illis carere necesse esset, quibus inter ipsos

Sedulitas in templis.

Obseruãtia institutorũ ecclesiasticorum.

Externus cultus Dei.

Tob. 12.

Matth. 6.

Eleemosyna Sigismũdi.

Constantia in fide & religione catholica.

Ecclesia, & doctores antiqui.

Matth. 24.

1. Tim. 3.

1. Cor. 14.

non conueniret: & qui ne ipsi quidem singuli sibi constarent, sed omni vento doctrinæ, quasi nebulæ turbine exagitatæ, circumferrentur: Iam verò illa, quòd moribundus sacra Christi mysteria ritu Christiano expetiuit, & venerabundus accepit, quòd se totum Deo religiosis verbis, & suspirijs commendabat, quòd in eius clementia, & misericordia fiduciam suam omnem collocabat, quæ & isti euidentissima, nisi fallor, veræ pietatis indicia iudicans, nónne certa sunt piè, & religiosè exactæ vitæ testimonia? Cùm igitur tanta pietate, quanta genere illo inclyto, & educatione optima digna fuit, prædituS fuerit Sigismundus, nihil mirum, si iustus quoq; clemens, magnificus & benignus: si temperãs, moderatus, pudicus, & modestus: si fortis, constans, patiens, & excelso animo: si præteritorũ memor, præsentium sagax indagator, futurorum acutus coniector, & vtilium publicè, priuatimq; diligens & sapiens prouisor fuit. Non mirum, si in hac breuitate vitæ humanæ, magnisq; laboribus viuendo octogesimum secundum annum attigit, si viribus & valetudine plerunq; firma fuit, si sensuum, ingenijsque vigorem ad extremum penè retinuit. Non mirum, si gratia, & authoritate apud suos pariter, & exteros, summos iuxta ac infimos valuit: si amplissimũ regnum, elatis post patrem duobus fratribus, maturè adeptus, bellis felix, & victorioSus, pace multa beatus, vxoribus & liberis non infortunatus, dictonum aliquot accessionib. locupletior, tã bene, tam quietè, tam feliciter, tantoq; bonorum omnium fauore vno & quadraginta annis id administrauit: & florentius multò, quàm acceperat, nõ degeneri, vti confi-

Ritus Christiani in morientc.

Virtutes sig. in speculum principibus posita.

Ætas 82. annorum.

dimus, filio reliquit. Non mirũdeniq;, si sempiternum optimi, & fortunati principis, & patris patriæ nomen atque gloriam, nisi me vanũ fallit augurium, apud longam posteritatem celebris, inclytusque rex retinebit: quippe, qui superiores omnes principes, & reges nostros non modico interuallo post se reliquisset. Nam quæ in singulis illis singula laudabilia fuerunt, ea hic vnus omnia complexus est. Boleslai Chrobri, vt ab hoc potissimùm ordiar, solertiam & magnificentiam: Cazimiri monachi, pacis & instaurandæ patriæ superiorum temporum iniuria afflictę studium: Vladislai eius filij mansuetudinem, Boleslai Criouousti victorias, Crispi prouidentiam, Miecislai senis grauitatem, Cazimiri horum duorũ fratris iustitiam, Lesci albi excelsum animum, Boleslai pudici religionem ac temperantiam, Lesci nigri moderationem animi: Vladislai Loctici fortitudinem, & in tolerandis aduersis patientiam: Cazimiri magni, in ornando, & muniendo regno studium atque diligentiam: Iagellonis aui, si non propagando, certè in amplificando cultu diuino, pietatem, laborem, & munificentiam: Vladislai patrui magnanimitatem, & clementiam: Cazimiri patris facilitatem, & offensarum perbreuem memoriam: denique Ioannis Alberti fratris ad res magnas gerendas, quanquam meliore fortuna, alacritatem. Has, inquam, omnes omnium, illorum virtutes solus Sigismundus non modò æquauit, sed superauit etiam: ita: vt nulla cuiusquam eloquentia, nedũ infantia nostra, satis dignè, & pro meritis eum laudare possit. Sed iam ipsum ex augusto illo mausoleo, in quo heri recõditus est, nos, quibus præfuit,

Pater patriæ Sigism.

Polonia regũ virtutes.

Sigismund. omnibus excellentior.

alloquentem audiamus. Quàm iustè, quamq; moderatè, vobis viri Poloni (liceat enim mihi vos omnes, imperio coniunctos, vno nomine appellare) imperauerim, & quanta felicitate regnum hocauxerim, ornauerim, & cumulauerim, vos ipsi probè nostis: aut si qui per ætatem intelligere, & iudicare adhuc non potuistis, è maioribus natu, bonis & grauibus viris, discere potestis. Pro his meritis meis, iure meo illud à vobis postulo, vt si quid vnquam imprudens offendi, id vel humanæ imbecillitati, vel ætati meæ condonetis: quam verò mihi debetis gratiam, eam liberis meis dulcissimis referatis, morte mea pupillis. Filium hunc meum vnicum, quem ipsi vobis regem, mihi successorem, me volente, & postulante, iam pridem designasti, eodem quo me, aut maiore etiam, si potestis, studio prosequamini, consilijs adiuuetis, consentientibus animis atq; viribus protegatis, ætati eius nõnihil etiam indulgeatis. Ne audiatis eos, qui dum suam rem agunt, vestram agere videri volunt: & tamen aliud alibi præ se ferũt, vtrinque vt gratiam ineant, & opes, potentiamque suam augeant, & stabiliant. Cernitis qualia nũc sint tempora, quousque domi progressa sit multorum audacia, quanta huic regno, & communi patriæ periricula à barbaris impendeant. Maturè vobis prouidendum est, ne non modò imperium vestrum, & Respub. verùm etiam libertas, & vita vestra, vestrorumq; in extremum discrimen veniat. Id verò ita demum rectè prouidebitis, si sublatis omnino quotidam factionibus, dissidijs, & simultatibus mutuis, amore, & officio erga vos inuicem: erga regem verò vestrum studio, & beneuolentia certabitis. Sic enim

Pathetica filij cõmendatio.

Consilium regis.

enim fiet, mihi credite, vt qui nũc formidolosi nonnullis videmini, formidabiles vicinis vestris, hostibusque sitis. Ad te verò, fili carissime, hæc mea est oratio. Illo autem habitu, illoque vigore, hæc tu, Sigismunde Auguste, patrem tecum loqui existimato, quo fuit, cùm tibi huius regni habenas, sceptrũq; traderet. Nihil est, quòd te vnà cum matre, & sororibus tuis, puellis lectissimis, propter mortem meam tantopere excrucies. Mihi quidẽ ego meo tempore, annorum, vitæ, gloriæq; satur, non dico mortuus sum, sed ad beatiorem vitam, regnumque melius migraui. Vt autem vestro quoque & horum omnium tempore id factum esse videatur, secundum Deum in te, fili, maximè situm est. Tibi, mi fili, deinceps, & mater, & sorores, & verò Resp. maximè curę esse debebunt. In te spes omnes omnium, quas frustrati te æquum, non est, sitę sunt. Nonnihil quidem nobis debet Polonia, quemadmodum audisti, sed nos illi multò plus. Quippe quæ nos sibi, maioresq; nostros, posthabitis quibusdam illustrioribus, & elegantioribus, atque etiam potentioribus fortasse, reges assumpsit, & summa fide, studio obsequioque coluit. Te, quemadmodum ipse nosti, puerulum etiam tum, regio diademate insigniuit. Ad eius igitur salutem atq; dignitatem, vicissim te voluntatem tuam, studia & conatus omnes adiungere in primis æquum est. Id verò ita demum rectè facies, si omnib. te æquabilem, familiarem verò non nisi grauissimis, & sapientissimis quibusq; præbebis: si nullius ius, & innocentiam, neq; gratia, neq; odio cuiusquam oppressum sines: & in iudicijs exercendis, non cuius cognatus, necessarius aut cliens quisque sit, sed quàm

Verba Sigis. ad filium.

Aurea pij patris mo-nita.

iustam causſam habeat, attendes: si tenuiores à vi & iniurijs potentiorum vindicabis: si honestatem voluptati, publica commoda tuis priuatis antepones: si nulla in re leuior, aut præceps eris, neque de maioribus rebus absq; consilio senatus quicquam statues: cum iuuenibus verò, & iuuenili ardore præditis, consilia non temerè communicabis: si assentatoribus aures non accommodabis (blandum enim est malum, sed pestilens in primis regnis atque regibus, assentatio) si dissensiones ordinum, & simultates procerum, inter ipsos authoritate tua penitus extirpabis: si denique pietatem atq; religionem sanctissimam sedulò & ex animo coles: neque abinstitutis maiorum, & iam inde ab exoriente religione Christiana apud omnes gẽtes recepto, & ad nostra vsque tempora transmisſo, retentoq; cultu Dei optimi maximi, venerandisque cæremonijs atque dogmatibus, te cuiusquam, vel insidiosis blanditijs, assentationibus, & illecebris auocari, vel importunitate auelli sustinebis. Harum rerum omnium exempla domestica habes, satis, nisi fallor, illustria. Non ignoras, fili, quo successu, qua felicitate, quantaque gloria nos tam diu regnauimus: id nos totum Deo Opt. Max. quem sedulò, ritéque coluimus, acceptum referimus. Existimare autem debes, neque regnum, neque quicquam omninò sanctum & inuiolabile esse posse, vbi religio labefactatur. His tibi vijs, fili suauissime, ad laudem, ad beneuolentiam hominum, ad salutem, tranquillitatemque ditionum tuarum, denique ad decus, & immortalitatem grassandum est. Hac certus est, & exploratus pijs principibus ad cælum aditus. Hæc recum

tecum Sigismunde Auguste, pater: illa rex vester vobiscum, viri Poloni. Reliquum est, vtrique vt sanctissimis, & saluberrimis monitis eius obtemperetis, eiusque præclara erga vos merita, assidua pietate, & grata memoria semper prosequamini: omnesque pariter eum, vti debemus, viuorum, & mortuorum Deo, apud quem nemo satis iustus & insons est, assiduis precibus commendemus. Vicissim ille in cælis, vti speramus, pro nobis orabit: & quorum saluti, & incolumitati omni ratione, quoad vixit, consuluit, ijs ne nunc quidem, omni iam rerum terrenarum cura, & molestia solutus, studium suum in placando Deo Opt. Max. deesse patietur.

IN FVNERE SIGISMVNDI IAGELLONIS, POLONIÆ REGIS, STANISLAI ORICKOVII Rvtheni Oratio.

REx noster mortuus est, si tamen ille mori potuit, quem sua præstans atque regia virtus immortalem ante obitum reddiderat: quã ille cùm cõstanter in omni vita coleret, quid tandem est, cur hunc mortuum dicamus esse potiùs, quàm hoc mortali corpore exutum, ad illam immortalem vitam abijsse, ad quam sibi iter sobriè, iustè, ac piè viuendo parauerat? Abijt ergo hinc, nos flenteis ac dolenteis reliquit in hoc squalore ac sordibus, quibus obsiti, in funere ipsius comparemus, nobis cum illo periêre omnia, Equi-

tes: illi verò nihil præter hoc mortale corpus decessit: pro quo tamen ipso, cumulatur nunc ipsius acta vitę æternitate, atq; immortalitate sempiterna. Nostra autem hæc mors veriùs, quàm vita illius à nobis discessu, quàm afflicta, exinanitaque sit, testes sunt mœror hic vester, ac vestræ piæ lacrymę, quibus deflemus non interitum regis nostri, qui nullus illi est, sed orbitatem nostram. Amisimus enim, equites non dominum: nihil enim ille minùs nobis fuit, sed iustissimum regem, atq; indulgentissimum patrem, qui cùm vnum, & †quadragesimum annum regnaret apud nos, quod exemplum regnans non dedit iusti ac moderati Imper. aut quod monimentum post se non reliquit in hoc regno, humanitatis, mansuetudinis atque beneficentiæ erga vos singularis? Quocunq; te animo atq; oculis conuerteris, plena omnia exemplorum illius sapientiæ, iustitiæ, fortitudinis, temperantię ac virtutum omnium reliquarum reperies: siue Eccles. Dei videas, quam ille integram atq; incorruptam in Polonia præstitit: siue ipsam Rempublicam, quam ille tanquam bonus pater vnicam filiam in sinu suo complexus, tam domi, quàm foris, tam pace, quàm bello, fouit, auxit, ac omnibus ornamentis cumulauit, in qua quidem Republica talem se ille regem gessit, vt & omnes ante se reges facilè vinceret, & cæteris post se spem imitandi adimeret. Cedant huic omnes reges: soli etiam scientiam regnandi concedant. Non Cyrus ille, non Agesilaus partem laudis æqualem ac gloriæ cum hoc petant, qui non tam rebus ipsis, quàm scribentium ingenijs magni fuerunt: de ijs enim non ad veritatem historiæ, vt videtur, sed imitationis

†quadragesimum annum regnaret.

nis exemplum Græci homines multa fictè scripserunt. At hic noster Sigismundus regum rex, non solùm bene viuendo ac sapienter regnando Cyrum atque Agesilaum superauit, aut si quid in regum genere maius hisce fuit, sed etiam illorum ipsorũ scripta, qui de illis regibus eloquentiss. copiosissimeq; scripserunt. Melius hic vixit, quàm illi dixerunt, melius regnauit, quàm præceperunt. Ita Sigismundus rex noster non fictum, neq; stylo adumbratum, sed viuum exemplum, atque rebus ipsis expressum. Cæteris regibus à Deo fuit propositum, vt in hoc rege, ceu in quodam illustri monumento, essent repositæ omnes regiæ virtutes, vnde sumi posset, quò humanum genus seruari, quò regna administrari, quò iura, mores, instituta, leges in hominum vita sanctè ac quietè possint retineri. Quid? solúsne regibus ille exemplum viuendi fuit? minimè verò, equites. Nemo enim etiam sortis infimæ reperietur, qui ad bene, beatéque viuendum ex hoc rege exemplum non possit sibi sumere: siue enim religionem ipsam spectes, quem anachoritam sanctimonia vitæ non vicit? siue etiam has virtutes vitæ communis consideres, nempe patientiam, obsequium, modestiam ac temperantiam: quis non dico in summo Imper. rex, sed homo ipse priuatus, quem angusta res coercet, hac ista commendatione Sigis. par fuit? Pauci equites, & haud scio, an aliquis omnino fuerit. Ita ille summã vitę absoluit, vt sapiẽtia reges: priuatos verò moderatione vitæ antecelleret, talemq; se in omni vita priuatim ac publicè præberet, vt id nulla orationis copia, vt par est, explicari possit, ne illius quidem Xenophontis

Græci, cuius ore Musas tum loquutas ferunt, cùm Cyrum illum atque Agesilaum verbis magnos faceret. At ne me quis ad Græcorum morem, temporis ac luctus vestri, caussa magna hæc facere existimet: ostendam, equites, talem regem nos amisisse, qualis in Polonia ante Sigismundum nemo, extra Poloniam verò pauci omnino apud omnes gẽtes fuerunt, siue bona ipsius propria spectes, siue quæ illi natura, aut fortuna largita fuit, consideres, vt meritò mors huius optimi regis dolorem huic senatui, mœrorem equestri ordini, squalorem Poloniæ, luctum ac gemitum omnibus attulerit: &, vt hæc ex iusto dolore profecta esse, ac amore intimo omnes intelligant, breuiter mihi dicendum est, quod genus viri fuerit, qui in regnando mores, quæ fides erga illum, & voluntas vestra. Vtilis erit & grata hæc oratio non solùm nobis in malis nostris, sed etiam his, qui cum laude viuere, aut gloriosè regnare cupiuerint. Sic enim de Sigismundo rege loquar, vt nihil nisi singulare, nisi regium, nisi diuinum, de hoc rege à me situs audituri: idque quod dicam, non facultate orationis meæ, à qua longissimè absum, illustrabo, sed rebus ipsius gestis atque exemplis, cùm sua sponte clarissimis, tum verò nobis notissimis. Non abutar enim conscientia vestra, equites: falsam enim gratiam ab illo mortuo quid inire studeam, quę tota morte ipsius sublata est? Sola illius virtus mansit immortalis, de qua sine inuidia audiendum est: vt illius clarissimi viri recordatione ac desiderio vota faciamus, quo Deus noster similes Sigismundo regnare in Polonia velit, si non omnes, (nam id sperare ferè iam fas non est) at saltem aliquos,

quos, hoc nos certè animo esse in hoc exequiarum munere conuenit, vt Deus non huic tantùm mortuo, sed etiam ipsi Poloniæ regno, nobisque sit propitius, nostrasque res afflictas, atque in desperationem propemodum adductas, benignus adspiciat me etiam, vt attentè audiatis, etsi rogandi non estis, mœror enim hic vester vos satis attentos facit, tamen vt consuetudinem seruem, rogo.

Sigismundus rex, auum habuit Vladislaum Iagellonem, qui ex Lituana gẽte in Polonia regnauit primus: virum omnibus tam bellicis, quàm religionis laudibus cumulatum: qui cùm octo & quadraginta annos in Polonia regnasset, multa trophæa de hostibus omnis generis constituit, inter quos Germanos memorabili pugna ad Dumbrouunum in Prussia deuicit: &, quod nulli vnquam regum *, neque nationum de Germanis licuit, hic solus est inuentus, qui, cęsis in acie vno die Germanorum quinquaginta millibus, Germanos à Polonis vinci docuerit. Prætereo alias victorias atque triumphos ipsius varios atque infinitos, quod illi nunc nihil ad nos, & si ad nos, nihil ad hoc tempus, de quibus tamẽ eruditi homines multa scripserunt. Hoc tamen dicam, id quod à patribus traditum meminisse debetis, magnum hunc, & excellentem regem, ac admirabili regnandi sapientia in Polonia fuisse, qui nõ satis se functum officio ad munere regio putabat, si tantùm res humanas administraret, nisi etiam res diuinas summo studio curaret. Itaque Luthuanam sine Deo gentem ac impiam antehac, ad ouile Christi primus adduxit, in Ecclesiamque dicauit: deinde, cùm literas ipse nullas sciret, tamen hic omne li-

terarum genus ac Musas ipsas, tam Latinas, quàm Græcas, in Poloniam introduxit, nullum regnum esse ratus absque literis, nihilque sancti ac iusti, neque honesti ibi posse esse, vbi Philosophiæ non versaretur nomen: quod illa ex agrestibus ciuiles, ex immanibus mites, ex barbaris doctos, ex hominibus postremò Deos faceret. Huic ergo tam excellenti, siue arti, siue virtuti, siue diuinitati potiùs cuidam Vladislaus Iagello domicilium in ea vrbe collocauit, quæ caput ipsius regni fuit. Cracouiæ enim gymnasium condidit, quod omni virtutis, ingenij ac doctrinæ laude ad hanc diem floret, vt inde, tanquam ex equo Troiano innumerabiles viri prodierint, sapientia, & doctrina præstantes. In hoc enim gymnasio Iagellonis opera, non sepolita aliqua Philosophiæ, seu sapientiæ pars tractatur, sed tota ipsa omnibus suis partibus perfecta atque absoluta. Summa hæc laus est, equites, ingens Iagellonis gloria, immortale etiam in vos, liberosque vestros meritum huius optimi & diuini regis, quo ille tanquam luce quadam, atque splendore mirifico, obruit omnes victorias, laudesque non solùm suas, sed etiam aliorũ, qui Sarmatiam illam feram, & indomitam hac ista humanitate literarum expoliuit: vt, cùm ferocius gẽte Polona antea, fuerit nihil, nũc contrà beneficio doctrinæ hac eadem nihil videatur esse mansuetius, neque humanius. Hanc ego humanitatem, quam in tẽplis, quam in foro, quam in regno ac in moribus nostris versari videtis, Iagelloni regi omnem debemus: qui accersitis in Poloniam literis, adhibitisque earum Doctoribus, nos ab agresti vita ad ciuilem vocauit, nobisque persuasit,

suasit, humanitate, & doctrina nihil esse melius: contra verò, feritate ac inhumanitate nihil esse homine indignius, qua vna re atque sola immortalem gloriam ille est adeptus. Nam vincere bello Germanos magnum quidem illi fuit: sed quod victoriæ non bonorum virorum sunt tantum, sed interdum etiam malorum, ideo vera carent laude: at curare, vt piè, castè ac religiosè viuatur ab his, quibus præsis solius est (mihi credite) hominis pij, casti atque religiosi. Iam verò, nisi diuino aliquo animi motu Iagello rex maiora concupijsset, & nisi fuisset† natura philosophia in huius viri mente quædam, quomodo ille, aut de literis ipsis, aut de illorum Doctoribus, ac de gymnasio condendo cogitare potuisset, præsertim cùm literam ipse legeret nullam? Quàm autem cara fuerit Deo optimo maximo, hæc Iagellonis mens atq; voluntas, inde apparet, quod ipsius genus longè, lateque regnare, non in Sarmatia solùm, sed in Hungaria, Bohemia, Silesia atque Moravia longæuum ac glorioſum voluit: vt Iagellana progenies singulari Dei beneficio edita in hanc lucem esse videatur ad retinendos homines in hac ciuili societate ad erudiendam vitam illorum communem, ad cõstituenda regna, ad vnienda imperia: denique ad proferendos fines humanitatis atque religionis. Iam videtis, equites, quæ vestra est sapientia, è quo fonte profluxerit Sigismundus rex ad hominum vitam gubernandam atque conseruandam, quàm puro, quàm sancto, quamq; repleto omni militiæ atq; sapientiæ laude immortali. Sed antequam de Sigismundo dicam, audite per quos vitos hæc auita virtus ad Sigismundum peruenerit:

† NATIVA

Iagellone è viuis sublato Vladislaus eius filius maior natu, huius autem Sigism. patruus, regnum paternum suscepit digniss. filius illo patre, ac successor, intuendo paterno regno omnium acerrimus: qui extrema pueritia à Polonis rex est factus: ineunte verò adolescentia, rex est ab Hungaris absens expetitus, bello Turcico maximo atque acerrimis hostibus. Tanta opinio de illo animos omnium peruaserat, vt in illius indole salus omnium gentium reposita putaretur, ita vt & Polonis dare salutē, & Hungaros liberare periclis posse videretur. Tanta virtus huius regis fuit, tantus ad virtutem impetus, vt præter ætatem periculosissimis temporibus maximis vndique septus hostibus duo regna maxima Sarmatiæ atq; Hungariæ, summa atque incredibili virtute conseruârit. Scythas in Russiam irruentes sæpe vicit, Valachos Polonis adiunxit, Amurathem ipsum spe atque cupiditate Hungariæ imminentem cum vniuersa Asia ex Hungaria victum, fugatumq́ue expulit atque eiecit: cui quidem regi, veluti Aaronem quendam sanctissimum atq; fortissimum virum Ioannem Capistranum de familia Francisci, Eugenius Quartus in societatem Turcici belli miserat: quo ille administro atque comite non solùm Hungariam, sed omnes Christianorum prouincias ab æterno interitu conseruauit. Nam quandiu vita incolumis Vladislao fuit, tandiu Turcarum genus minus potens, ac minus formidabile prouincijs nostris fuit. Illo verò Varnensi prelio victo, quot ille virtuti ac rebus secundis cōfisus, impari militum manu cum Amurathe conflixerat, tantùm Turcarum tyranni postea sunt adepti, quātum nunquam eo

eo viuo optare sunt ausi, in quo tamen prælio enituit illa Iagellonis excellens atque inuicta in hoc rege virtus: cùm enim inclinaret iam victoriæ, spesq́; in sola restaret fuga, & cùm cæteri exceptis Polonis, fugerent omnes, ille veluti Cæsar alter, sui oblitus, in confertissimas hostium cohortes, opem laturus suis, cum magna hostium strage se immisit: & cùm quidam vi ex prælio reuocare iuuenem conarentur, ferox monitoribus respondit, Non esse sui sanguinis vincere velle, & fugere: ô generosam mentem, & magno rege dignam. Non ego te eo prælio periisse dicam, Vladislae, neq; immaturam mortem hoc loco deflebo tuam. Viuis enim rerum gestarum gloria, & quandiu hic Sol terras adspiciet, viues. Nam quod tibi aut puerilis ætas negauit, aut immatura mors ademit, id tu suppleuisti virtute tibi: quam ad hanc diem, nō Hungari solùm, pro quibus sanguinem fudisti, neque Poloni, quorum cum patribus illo in prælio occubuisti, sed illi ipsi Turcę, gentesq́ue omnes barbaræ à te deuictę venerantur, fatalemq́ue tuum sanguinem ad delendum Ottomannicum nomen sibi esse arbitrantur. Sed me longiùs prouexit, equites, recordatio huius regis cum grato quodam desiderio cōiuncta, & quod hoc intuens corpus, de illis quoque recordor, qui ex eodem sanguine erant creati, vnde & hoc erat sumptum. Nunc ergo relinquam patruum Sigismundi, tanti ac tam inuicti spiritus regem, & ad parentes ipsius iam vobis breuiter ostendendos, descendam. Vos quæso, quod adhuc fecistis, me diligenter audiatis: Vladislao Varnensi prælio extincto, Casimirus frater, huius autem Sigismundi pater, regnum

ſuſcepit fraternum, atque paternum, & quinque, & quadraginta annos in Polonia regnauit: quo in ſpacio res ille tantas geſſit, vt, ſi de ſingulis mihi dicendum ſit, abuterer tempore, & auribus veſtris, equites, ipſe etiam me ignorare viderer, ſi ad res magnas huius excellentis regis orationem nequaquam parem adhiberem, præſertim cùm ad ipſum Sigiſmundum tota properet oratio. Hinc tamen Caſimirus quantus rex fuerit, inde ſcire poteſt, quòd contra potentiſſimos reges atque ſummos Imperatores, non ſolùm ſuæ ætatis, qua ille regnauit, ſed omnis ante illum memoriæ, Poloniæ regnum incredibili virtute defendit. Nam cum Matthia rege Hungariæ fortiſſimo atque bellicoſiſſimo, bellum in Sileſia acerrimum geſſit, & Stephanum Valachiæ Palatinum, bellatorem inclytum parere Polonorum imperio coëgit, & Mahometem Turcarum tyrannum ex Valachia expulit, pacemque petere compulit, Pruſſiam maximo bello perdomuit: Moſchouiam deuicit: Scythiam ſæpe repreſſit: pacem, ocium ac tranquillitatem, armis atque legibus in ſuo regno diligenter cuſtodiuit: quibus ille rebus cùm eſſet apud omnes clariſſimus, facilè obtinuit, vt externis etiam auxilijs regnum Poloniæ muniret, quod ſciret regna, niſi finitimorum opibus ac beneuolentia iuuarentur, firma non eſſe. Itaque quod armis atque bello aſſequi non potuit, vt pax illi tum Germanis de Pruſſia eſſet, id vxore ex Germanis ducta eſt aſſequutus. Nam de domo Auſtriæ clariſſima, atque totius Germaniæ potentiſſima, eaque imperiali, vxorem duxit Eliſabetham, huius iſtius Sigiſmundi matrem: filiam autem Alberti ducis, qui idem Romanis, Hungaris, atque Bohemis rex fuit *cuius * Quæ nuptiæ, cùm eſſent plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, ac regiæ cuiuſdam maieſtatis, ita tamen fœcunditate atque prole beatæ fuerunt, vt vix è veteri regum memoria vllius nuptiæ cum his Caſimiri conferri queant: nati enim ſunt inde filij ſex, omnes patri ſuperſtites: quorum ſerie quadam mirabili atque diuina, Vladiſlaus natu maior, in Hungaria regnauit viuo patre: Ioannes Albertus autem in Polonia patri ſucceſſit: illi Alexander, huic verò Sigiſmundus hic rex: reſtabant duo, quòd illis credo meliora regna hiſce terrenis debebantur, Caſimirus, & Fridericus, quorum alter in Diuos relatus eſt: alter verò vrbis Romanæ cardinalis fuit: filias quoque ſeptem numero, ex hoc eodem matrimonio ſuſceptas, omnes Germanis principibus in matrimonium dedit, atq; ita genere ac ſanguine ſuo cunctam Germaniam Caſimirus compleuit, vt pauci ſint ex omnibus Germanis principibus, qui conſanguinei non ſint Polonis. Felix Caſimirus hac iſta Deo grata, ac tam illuſtri apud omneis gentes ſobole, ex quo tot ac tanti orbis terræ conſeruatores prodierunt: qui felicior, ne in ſuſcipiendis liberis, an diligentior in educandis fuerit, non facilè dixerim. Nam vt filias prætermittam, quæ ſumma pudicitia, & digna illo loco ac genere cura à matre ſanctiſſima atque diligentiſſima fœmina educabantur: filij certè ea diſciplina fuerunt inſtituti, vt non regis filij, ſed priuati cuiuſdã viderentur eſſe. Nullus in ijs educandis regius ſumptus, luxus nullus, ſed ſumma moderatio in victu, amictu, atque cultu adhibita fuit.

Norat siquidem ille sapientissimus rex atque idem pater optimus, fundamentum esse omnis reliquæ vitæ cùm priuatę, tum publicę institutionem ipsam educationemque puerilem. Hinc enim petuntur primùm rudimenta illa ad laudem, & ad gloriam disposita, nempe quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid expetendum, quid fugiendum sit, quid Deo, quid parentibus, quid amicis, quid ciuibus, quid legibus, quid ipsi deniq; Reipublicæ debeas, quæ nisi tu ineunte ætate, in angusta ac seuera vita cognoueris, inutilis homo, perniciosus rex tuis futurus sis, necesse est. Quid enim per Deos immortales ab eo expectes, qui sine vllis honestis præceptis ex puellarum cœtu emersus, à cantu, à tibia, à luxu, à tripudijs, à vino, à somno, à stupro, ad summum imperium accesserit? Iactabit se, mihi crede, illius intemperantia in illa copia insolentiùs, neque quomodo prosit, sed quomodo obsit rebus communibus cogitabit. Nam cùm voluptas ipsa per se virtuti sit inimica, tum verò si ad illam potestas aliqua maior, aut imperium accedat, in furorē agitur, de statuque omni mentem exturbat humanam. Ex hac tali ratione illæ humani generis pestes prodiêre partim crudeles, partim verò effœminati tyranni. Hinc enim Busiris atque Phalaris illi veteres: hinc Nerones isti recentiores ac crudeles tyranni: hinc etiã effœminati Sardanapali sunt orti: quorum vitam si inspicias, facilè reperies ineuntem ætatem illorum, non parsimoniæ, neque disciplinæ radicibus, sed ipsius voluptatis atque licentiæ illecebris nixam fuisse. Horum exemplis admonitus Casimirus rex, nihil priùs habebat, quàm vt illam primam filiorum suorum ætatem certis legibus pudoris, verecundiæ, modestiæ, atq; ipsius religionis adstringeret, certò sibi persuadens, taleis filios suos in regnando futuros, qualis illorum educatio præcederet, & meritò quidem: institutio enim puerilis regum ipsorum, primùm proculdubiò medium atq; postremum illis in regnando est. Hinc enim omnis ornatus vitæ, regibus est petendus: hinc contra fortunæ tela præsidium sumendum: hinc consilium, hinc authoritas ac grauitas petenda: deniq; id, quod caput est, quid sit regē esse, quid deceat illum, quod officium regis, qui vultus, incessus, victus, habitus: hæc sola recta institutio regi demonstrat. Non capit hæc, mihi credite, angusta ac nulla bona institutione erecta mens, sed vacillat ac titubat in omni regio officio ac munere. Qui enim rex hæc puer non didicit, is vitam miseram, desertam, contemptam, infamem, ac obtrectationibus expositam agat necesse est. His ergo malis atque his incommodis omnibus ab initio Casimirus statuit occurrere, præposterè se facturū ratus, si regnum ipsum filijs post se relinqueret: filios autem ipsos, quibus illud seruaret, negligeret: quare ne videretur (vt dicitur) plus curare calceum, quàm pedem: summa ope requisiuit, cuinam instituendos filios suos traderet. Erat illis temporibus vir doctus, & bonus Ioannes Longus, Olugos à Polonis vocitatus: cuius vita probata, ac inculpati mores, cùm illius cōmendarent doctrinam, facilè Casimiro fuit persuasum, qui hunc filijs suis Doctorem accersierit: vt ex eius viri præceptis, atque institutis, veluti ex fonte quodam, atque totius honestatis radice flueret illa regia disciplina,

quam docti homines ſummam eſſe rerum omnium voluerunt: quæ mentem, linguam ac rationem futurorum regum, ad Reipublicæ gubernationem cum ſumma laude dirigeret: ſic Caſimirus non aliquem externum, aut alienigenam, ac ignotæ virtutis hominem, filijs ſuis præceptorem delegerat, ſed Sarmatam ac Polonum, eundemque ſpectatæ doctrinæ ac integerrimæ vitæ virũ. Itaille non in externa inſtitutione, neq; in peregrina adoleſcere mentem liberorum ſuorum voluit, ſed in Polona atque domeſtica: nec iniuria. Vt enim ſemina, ſi in peregrinam mandentur terram, amittunt vim ſuam, ſæpeque in diuerſum genus abeunt: ſic puerorum ingenia inſtitutione degenerant à patria virtute, vt ex duro Scytha mollis fiat Arabs, ex Latino Græcus, ex Polono Italus. Quare Caſimirus, cùm ſe ſciret genuiſſe reges, non Italis, non Græcis, neque Indis, ſed ſolis Polonis: cauit diligenter, ne quis primam illam indolem, niſi Polonus fingeret. Adhibuit itaq; Ioannem Longum, vt Polona inſtitutione, Polonus ipſe bonos reges Polonis eò diligentiùs efficeret, quantò in illorum inſtitutione ſalutem non ſolùm regni, ſed ſuam etiam incluſam eſſe videret. Hoc ergo munere Longus non minùs difficili, quàm operoſo ſuſcepto, ſtatim ab initio amouit è conſpectu illius teneræ ætatis peſtem ac perniciem iuuentutis libidines omnes, & illarum authores. Non erant auditi in Longi ludo verſus impudici, non cantus, neque ſymphonia turpis, quæ aculeis nequitiæ incendunt ad vitium iuuenum menteis, nunquam ibi ſunt viſi turpiloqui, nunquam ebrioſi, nunquam mimi, nunquam amore ac vino, & mendacio corrupti

rupti hiſtriones: denique nunquam illa dijs irata, quam Itali appellant, maſcara in ludo illo fuit: nihilque earum rerum omnium, quarum imitatione atque conſuetudine in vitium labitur iuuenilis ætas, taliſq; fit, quales ſunt ij, quorum cõuictu lætatur: cum claudo enim (vt dicitur) claudus eris. Quare aures illorũ regum ab auditu oculos à conſpectu talium flagitiorum diligenter fidelis magiſter continebat. Libri apud illum à regibus illis pro maſcaris tractabantur: viri boni ac moderati, pro hiſtrionibus cum regibus illis verſabantur: parſimonia vitæ, morum reprehenſio, malorum irriſio, virgæ mediusfidius ipſe, atque plagæ, adminiſtræ illius inſtitutionis erant, atque comites: meminiſque me audire de noſtris ſenibus, Caſimirum dicere ſolitum, nullum ſe acroama audire ſuauius, quàm eiulantem, ac virga cæſum ab illo magiſtro filium: ô regem Sparta dignum, qui in illis lacrymis, ac in illius vitæ anguſtijs fundamẽta bene ac ſapienter regnandi filijs ſuis repoſita eſſe arbitrabatur. Itaque cum magnarum rerum cupiditate, monitore Ioãne Longo, incenderetur aſſiduè præclara illa ad virtutem indoles, videtis quos fructus maturitate ſua poſtea tulerit. Quid enim aliud cauſſæ putatis eſſe, quòd omnes vicinæ gentes, atq; nationes, ad Caſimiri domum, quaſi ad Philoſophi ſcholam cõcurrerent, vnde nõ ſolùm reges regnandi, ſed etiam magiſtros bene viuendi peterent? Nulla fuit alia, equidem, niſi ipſius inſtitutionis opinio. Hac enim impulſi ſunt Hungari, vt ab illo Vladiſlaum regem ſibi peterent: hac eadem Bohemi adducti Ioannem Albertum expetiuerunt, ita Alexandrum Lituani, ita

Sigiſmundum Sileſij: ô felicem tali prole Caſimirum: ô ter, quaterque beatam Poloniam, quæ tantæ indolis primùm, deinde virtutis parens atque altrix extitit: quæ quanta fuerit, teſtes ſunt omnes gentes atque terrarum oræ vltimæ, quæ ab hac iſta virtute, aut ſeruatæ, aut deuictæ, aut cum Poloniæ regno ſunt coniunctę. Nec mirum, nacta enim fuit hęc virtus naturam imperio aptam: ad quam cùm acceſſiſſet vſus, confirmatioque doctrinæ, ad tantam laudem, dignitatemque peruenit: & cùm omnes iſti optimi atque omni laude digniſſimi fratres florerent ingenij gloria: ſic tamen inter hos Sigiſmundus excelluit, vt tantum ipſe vinceret omnium teſtimonio fratres, quantum illi vincebãt reliquos omnes. Nam quæ veſtra opinio, quãta etiam ſpes omnium de hoc iſto iuuene fuerit, teſtes ſunt comitia illa Caſimiro mortuo Pitrokouiæ habita, vbi cùm de rege deligendo deliberaretis, hunc natu minimum, fratribus maioribus Ioanne Alberto, ac ipſi Alexãdro, anteferre ad imperium voluiſtis: & niſi partim Eliſabeth mater, partim verò Sigiſmundi ipſius contenentia, fratri maiori concedentis, obſtitiſſet, antetuliſſetis. Vos hoc loco appello huius regni robur atque firmamentum, Thenciſci, quæ iudicia de hoc iſto rege tum feciſtis? quanta contentione animorum atque armorum veſtrorum hunc regem ſuffi-
cere patri voluiſtis? Quid tanto motu rerum ſpectaſtis aliud, niſi ſpeciem quandam atq; opinionem excellentis virtutis, quæ cùm ipſa ſumma eſſet in Sigiſmundi fratribus, in hoc tamen ita excelleret, vt quantum ætate ſuperaretur à fratribus, tantum ille ſplendore virtutis ac nominis ſui, fratres ipſos ſupera-

ſuperaret? quod autem ille tum ſe non extulerit, & quod à præſenti iam regno ac oblato abſtinuerit, nónne hanc abſtinentiæ illius laudem cuiuis regno anteponendam putabimus? niſi enim inſediſſet in huius viri mente conſtans ac æquabilis ratio quædam vitæ, nunquam ille, mihi credite, abſtinuiſſet ab eo, quod illi tum ſumma voluntate ac incredibili veſtra conſpiratione datum, oblatumque fuit. Nam non volitare cupiditate gloriæ, non inflãmari ambitione ad rapienda regna, præſertim cùm rex eſſe poſſis, hoc omnium difficillimum opus eſt, equites: hoc ſolius ſapientis, ac huius hominis eſt proprium: qui tamen hoc ipſum, quod fratribus ante ſe conceſſerat, quàm cumulatè poſtea à vobis ſit adeptus, res ipſa docuit. Mortuo enim Ioanne Alberto, deinde Alexandro fratribus, vniuerſi hunc ex Sileſia ad regnum paternum vocauiſtis, in ſummo ipſius regni diſcrimine, ſummoque periculo: ita in eo ſolo reſtare ſpem regni, atq; ſalutis veſtræ tum putaſtis: quo quidem regno ſuſcepto, ita illud vnum & quadraginta annos adminiſtrauit, vt omnibus opibus florentiſſimum vobis poſt ſe reliquerit. In quo quidem regno, qualem ſe regem ille geſſerit, quibuſve artibus illud adminiſtrârit, res ipſa iam poſcere videtur, vt dicam: fuit enim hoc ſecundum è tribus, quæ de hoc ipſo rege dicenda ab initio propoſuimus. Vtinam, equites, ea in nobis eſſet orationis facultas, qua, vt par eſt, dicendo explicare poſſemus, quínam huius regis in regnando mores, quæ artes, qui modus fuerit. Nunc verò cùm virtuti Sigiſmundi regis non tantùm mea, quæ nulla eſt, ſed nullius omnino poſſit par oratio inueniri: date mi-

hi hanc veniam, vt non tam orationem à meipsam, quàm rerum ipsarum, quas is gessit, commemorationem expectetis: quarum recordatione ac memoria, & hoc mœstum illius funus celebremus, & alijs præscribamus, quales reges in regnando esse conueniat. Ego enim sic existimo, in summo rege quatuor has res ineſſe oportere, sapientiam, iustitiam, fortitudinem, atque clementiam. Quis igitur hoc homine sapientior rex vnquam fuit? qui mox susceptо regno, non vnam aliquam partem regni, sed omnes illius partes animo complexus est: quæ cùm laborare viderentur, præsentem medicinam omnibus summo cum præsidio attulit. Nam cùm Poloniæ regnum maximis bellis, quæ pater ac fratres ante illum gesserant, exinanitum, ac omni consilio, & auxilio destitutum accepisset, in eundam sibi ante omnia rationem putauit, quo & auxilijs iuuare, & consilijs firmare, & opibus reficere regnum posset. Multa illi ad ea expedienda, quæ animo conceperat, obstabant inopia primùm ærarij assiduis bellis exhausti: deinde desertum ab amicis regnum. Nullo enim tempore Poloniæ regnum maiori motu rerum fuit, quàm eo, quo à Sigismundo est susceptum: hinc enim influebat tota in Russiam Scythia: hinc bello affecta imminebat Valachia: hinc Asia, Turca duce, minabatur nobis tota: cum Germanis etiam non satis certa nobis propter Prussiam pax fuit. Hic Sigismundus solus in medio relictus, ac magnis vndique periculis circumuentus, ostendit patriæ illud speratum lumen animi, ingenij, consilijque sui. Omneis enim finitimos partim societate sibi

te sibi adiunxit, partim fœdere reconciliauit, partim verò bello deuicit. Nam Valachiam insperata victoria de Ioanne Alberto elatam, fregit ac domuit. Scythiam quoque multis prælijs secundis deuictam, ad extremum tandem munificentia, liberalitateque sua in fide habuit: perfecitque vt Scythæ genus hominum ferum ac indomitum, liberalitatem ipsius potiùs, quàm arma experirentur: quem illi honorem, ante Sigismundum, nulli regum, ne illi quidem Alexandro domitori Asiæ habuerunt: cum Turcarum etiam tyranno, cùm ab omnibus derelictus, solus periculosissimum bellum gereret, fœdus ad extremum fecit, magis ex suorum tempore, quàm vt id vtile rebus communibus arbitraretur: de quo quidem fœdere dicam alio loco, equites: & ita dicam, vt hoc ipsum fœdus, quod nonnulli reprehendunt, magna necessitate factum fuisse ostendam. Nunc dico, in his fœderibus atque bellis Sigismundum aliud spectasse nihil, quàm pacem, & ocium suorum: vt videlicet Polonia tot iactata casibus, tot afflicta cladibus, tot denique oppressa malis, requiesceret aliquando, & se ex diuturno labore pace ac quiete reficeret: quæ eo miseriarum iam venerat, vt neque priuatis, neque publicis opibus, posset contra vim hostium subsistere. Ita enim Iagello Germanico bello, & Vladislaus Turcico, & Casimirus Prutenico atq; Hungarico, & Ioannes Albertus Valachico Poloniã attriuerãt, vt in media victoria victa esse propemodum ipsa Polonia videretur. Quare cùm spes restituendi regni nusquam, nisi in pace, Sigismundo restaret: propterea hanc ipsam pacem omnib. bellis,

fœderibus, societatibus atque affinitatibus quæsiuit. Nam sorores, quas habebat, in Germaniam nuptum dedit: qua affinitate ille Germaniam cum Polonia non solùm coniunxit, sed etiam Germanorum opibus illam contra omnem vim muniuit: nobilissimis enim ac potētissimis ex ea gente illos collocauit: qua sanè re perfecit, vt illi primò omnium Poloniæ regū pax cum Germanis firma esset. Nam quod is cum Prutenis bellum gessit, priuatum illud bellum Prutenorum fuit, nulla publica ipsius Germaniæ authoritatem susceptum: & ne quid fortè, quod ad pacem spectaret, prætermittere videretur, cùm iam Scythas liberalitate, Valachos deditione, Moschos victoria, Germanos affinitate sibi ac suis obligatos haberet: restabant Hungari, quos etsi illis temporibus Vladislaus frater cum Polonis coniungebat, tamen Sigismundus longiùs prospiciens animo, Hungaros in perpetuum Polonis volebat deuinctos esse. Itaq; cùm Scepusia domus princeps in Hungaria esset, Stephanusque Transyluaniæ Palatinus, rerum post regem primus in Hungaria potiretur, eius filiam Barbaram in matrimonium duxit, consentiente senatu, ac approbantibus bonis omnibus. Læta hoc matrimonio Polonia fuit, non tam quod societatem illi nouam attulerat, quàm quòd talem reginam ex Hungaria acceperat, quæ ob sanctissimos mores, castissimam vitam, ac ob admirabilem pudoris atq; verecundiæ famam Hester fuit vulgo appellata. Sed hæc voluptas huius lætitiæ nō diuturna Polonis fuit: nam Barbara anno quarto, postquam in Poloniam venerat, vita est functa magno cum mœrore ipsius regis, dolore autem omnium

mnium vestrûm incredibili: quæ tamen ipsa moriens, reliquit vobis pignus initæ societatis cum Hungaris: filiam enim ex ea Heduigim Sigismundus susceperat: qua Ioachimo Marchioni Brandēburgensi in matrimonium data, pacem Polonis cum Marchia fecit. Ita ille hisce artibus in omneis partes intentus, pace parta, Poloniam assiduis bellis afflictam exinanitam atque proiectam erexit, refecit, ac planè denuo constituit. Quanta hæc fuerit illius sapientia, ex alijs quoque potestis suspicari, equites. Alij enim pace bella quærunt: hic verò nihil bellis, nisi pacem quæsiuit. Alij regna suscipiunt: vt finitimos bello vexent: hic regnū absq; finitimorū beneuolentia infirmum esse duxit. Alij fœdera ineunt, vt ad euertendā pacē spacium habeant: hic omnia fœdera quę cum Turcis, cū Scythis, cum Moschis, cū Valachis habuit, pace terminauit. Quis hunc regem non ad euertendos homines, sed ad seruandos, non ad bello inter se cōmittendos, sed ad pace coniungendos, natum fuisse neget? cùm enim pacem omni regno suo compararet, non tantùm suis, sed etiam alijs gentibus atque nationibus pacis author fuit: & quod inter omnes constat, pacem mutuam Christianis prouincijs stabiliorem nūquam fuisse, quàm Sigismūdo rege fuerit: sic ille non tantùm quod sibi soli vtile esset, spectabat: sed cōplectabatur ad suam, & ad communem omnium salutem, omnes finitimos reges atq; nationes. Pacis enim author omnibus fuit: ad pacem inuitabat, hortabatur, ac monebat omnes. Valuissetq; vtinam illius diuina vox atque sententia apud Ferdinandum ac Ioannem reges: staret nunc, mihi credite, Hungaria neque Tur-

cis per illam ad nos, ac ad omnes pateret via. Verùm cùm illi reges belli, quàm pacis, essent cupidiores, Sigismũdumq; nõ audirent, ab Hungaria ambo exciderunt: cuius motu atque casu ea quoque dudum antè habebant, cum magno communium rerum detrimento, partim afflixerunt, partim amiserunt: & meritò quidem: pace enim de medio sublata, quid vtrique salue esse potuit? Pax enim est parens atq; fons omnium rerum bonarũ, equites: sine hac nihil hominibus iucundũ in vita, nihil stabile potest esse: quã qui oderunt, feri & indomiti ac crudeles tyrãni sunt habiti. Contra verò, qui huius patroni atq; authores fuerũt soli homines, soli sapiẽtes: ac generis humani cõseruatores sunt dicti: & iure quidem: pace enim viuunt leges, excoluntur mores, tractantur artes: victus postremò ipse, ad vitam degendam necessarius, ipsius pacis est fructus: quo etiam fit, vt difficilius sit pacificum regem esse, quàm bellicosum. Quanto enim quisque ratione magis *deficitur, tanta est ferocior, & ad bellandum procliuior: at pacis author, atque custos nemo potest esse, nisi idem vir sapiens fuerit. Eædem enim partes sunt pacis, quæ sunt ipsius sapientis. Nam pacis hic finis est, vt in ea conuenienter naturæ ac legibus viuatur: qui finis idem profectò est, & ipsius sapientis. Hoc enim solùm ille curat, ne quid à natura ac legibus aberret. Quare nihil tam cum sapientia pugnat, vt videtis, quàm odium, discordiæ, ac bellum. Hinc enim existunt regnorum mutationes, hominumque ipsorum ac legum interitus: quæ conseruare ac constabilire est ipsius sapientis. Quod in Hungaria ne esset tanquam ex aliqua specula denunciabat Sigi-

Pacis encomia.

Sigismundus Ferdinando atque Ioanni tempestatem futuram: quam cùm illi non prospicerent animo, demonstrantemque Sigismundum non audirent, repente illa tempestas inuoluit ac corripuit omnia. Hungariamque sine legibus, iudicijs, sine rege, sine fide exposuit direptionibus, & incendijs. At Sigismundus interea cùm conscientia consiliorum suorum niteretur, nunquam facere, agere, ac moliri omnia destitit, quo si minùs pacem inter illos reges conciliaret, regnum tamen suum ab illorum contentione abduceret. Qua in re tanta sapientia, tantaq; moderatione fuit, vt in summa illorum contentione vtrique carus esset, vtriq; socius, atq; amicus: cum quibus vt pacem, & amicitiam firmaret, alteri hoc est, Ioanni filiam suam Elisabetham, è secunda vxore, hac ista grauissima atque clarissima Bona Sphortia, de qua dicam alio loco, in matrimonium dedit: alterius verò filiam huic Augusto regi nostro, filio autem suo carissimo atq; vnico, quem nobis ex eadẽ regina reliquit, collocauerat: quę nuper magno omnium cum dolore, ac mœrore decessit. Ita ille, nõ arma tantùm, opesq; omnes suas, sed etiam sanguinem ipsum, genusque suum vniuersum in pacis rationes conferebat: sanguineq; suo quàm plurimas gentes atque nationes sibi, regnoq; suo obstrictas esse volebat, & cum bellicosissimis nationibus, victoriosissimisque populis præesset, tamen hanc tantam copiam, non bellorum opes ac neruos, sed pacis instrumenta esse putabat. Quę pax, inquam, in regno cõstituta, quanta bona effecerit, quas artes excitauerit, quas opes huic regno tam priuatim, quàm publicè pepererit,

attendite equites: mentesque vestras paulisper ab hoc mœrore vestro ad res vestras abducite, quarum status, ante Sigismundum, qui fuerit: hęc vestra præsens testatur copia: quam si conferre volueritis cum opibus illis vestris prioribus, inopia summa atq; egestas illæ videbuntur esse præ hisce, quæ nũc sunt. An vos illas opes putabitis esse equite Polono dignas? quæ tam modicè fuerunt, ac penè nullæ, vt legibus etiam vestris cautum fuerit, ne triginta marcas dos equitis filiæ superaret. Non moderationis, mihi credite, sed postremæ inopiæ hæc ista lex fuit, cuius cùm nos (ita me Dij ament) subpuderet, legem hanc dotalem tulimus, vt id, quod inopia fiebat, lege fieri putaretur: cum interim bene se illis res haberet, qui locupletes videri volebant, si illorum sanctius ærarium ipsas triginta marcas haberet. Neque verò hæc inopia tantùm in ordine equestri fuit, sed ipsi etiam medius fidius senatores, ne plus centum marcis dotis nomine filiæ nubenti darent, lege, hoc est, egestate prohibebantur. Sed quid ego dotem huius inopiæ signum fuisse commemoro? cùm capita occisorum equitum tanquam pecudum, non ipsius interfectoris capite ac sanguine, sed precio ac centum marcis, contra omnia diuina sic humana iura, soluerentur? vt non mulcta, nõ pœna, non supplicio, sed tam vili ære capita vestra æstimarentur, cædesque expiarentur. Ex hac tanta, ac tam infami, tamque impia æstimatione apparet, egestas illi regni quanta fuerit: quæ tanta fuisse videtur, vt animam quis pro capite faciliùs daret, quàm hanc pecuniam solueret: quam vtique illis temporibus grandẽ fuisse cõstat, quæ nunc authore Sigismundo nulla

nulla est. Quid verò illa macula atq; labes nominis ac generis vestri, parúmne indicat, quã inops à pecunia fuerit hoc regnũ? Nã si quis fur pecuniã furto à quopiã vestrũ abstulerit, capite plectitur atq; suspẽdio: si quispiam autẽ eum cuius hæc pecunia fuerit, occiderit, pecuniã occisi caput soluit: ô cõmemorãdas leges, & dignas, quæ in hac Rep. versentur, quib. nos, tanquam pecudes, precio ac mercede sicarijs, & interfectoribus addicti sumus: quam nos nõ legem, sed perniciem atque pestem vestram, primo quoq; tempore de medio tollite, equites, si salui esse, & boni viri haberi vultis, de quo quidem ipso erit fortasse nobis apud vos † alius dicendi locus. Nunc vos iam perspicitis, quanta hæc inopia fuerit, cui omnes leges diuinæ ac humanę in Polonia cesserant. Quid? in priuatis ne tantùm rebus hæc tanta inopia fuit? imò verò multò etiam maior in publicis: Recordamini enim per Deos immortales, illas angustias ærarij amissa vectigalia, bona, villas, vrbes, atque prouincias regias pecunia obligatas priuatis hominibus: tum demum statuetis, quantum Sigismũdo regi debeatis, qui hæc omnia redemit, recuperauit, ac libera Reipublicæ restituit: quarum rerum inopia erat factum, vt homines historici literis mãdarent, Polono rege miserius esse nihil, & ita profecto res est, si tempora illa respicias, quibus illi scripserunt. An vobis tum regnum hoc diues fuisse videbatur, cùm subsidia belli ac ornamenta pacis mendicato penè reges vestri quęrerent? cum pignoribus, obligationibus, ac mutuationibus, non solùm bella administrarent, sed etiam domi viuerent? cùm ita exinanitum erat ærarium, diminuta vectigalia, o-

† *Alias.*

mnes villæ, possessiones, salinæ, prouinciæ pignori oppositæ, ac à regio vsu auersæ, vt rex ipse neruis prorsus careret, quibus Rempubli. gereret? Quis vnquam non dico rex, sed priuatus homo aliquid sepositum ad vsus necessarios non habuit? soli ex omnibus regis vestri sunt inuenti sine vllo sanctiore ærario. Nihil fingo, equites: memoria in medio est res ipsa. Legite priuilegia bonorũ obligatorum, facilè reperietis eò inopiæ redactos fuisse illos superiores reges, vt, si non dico bellum aliquod abilis esset gerendum, aut filia elocanda, sed equus ipse emendus, non priùs haberent, quàm aliquid adderent ad priuilegij summam. Quare cùm maximus nodus in Republica sit inopia rei pecuniariæ, fæpe fiebat, vt pernicioſa consilia regis nostri inirent auferendorum è templis vasorum, ac nouorum imperandorum vobis tributorum, res etiam ipsas ad summam Reipublicæ pertinentes, inchoatas atque affectas, cum magno ipsius Reipublicæ detrimento intermittebãt. Difficile enim est efficere aliquid magni, cùm egeas: quod pecuniæ nerui sint omnium benegerendarum rerum. Ex his tantis, tam diuturnis, tam postremis difficultatibus, anguſtijsque, quibus omnes res nostræ priuatæ atq; publicæ premebantur, Sigismundus rex summa sapientia atque incredibili celeritate hoc regnum expediuit: comparatis enim pecunijs, vndiq; collectis Ioannis Boneri opera, viri præclari atque industrij, salinas primùm, deinde præfecturas, postremò villas, vrbes, possessiones omnes redemit: æreque grandi persoluto, vectigalia constituit: fructus prouinciarum auxit: ærarium collapsum altè atque effusum, ingenti

genti pecunia cumulatum atque refertum: vobis reiſque vestræ publicè reliquit. Quid verò hoc eodem principe atque duce, res vestræ priuatæ, ex illa Reipublicæ nocte à Sigismundo productæ, quanta luce, & quo splendore nunc fulgeant, quis poterit, vt par est, dicere? Agri mediusfidius ipsi, syluæ item ac nemora, ruraque ac coloniæ vestræ, quæ in pacis sinu à Sigismundo collocatæ, medio (vt sic dicam) ocij gremio nunc continentur: gestire mihi videntur, atque huic authori, parenti, ac conseruatori suo gratias agere, quæ situ antea squallebant omnia: nunc verò hac noua luce opum & copiæ ab hoc illustrata, fulgent, mouentur, seseque ad summam vtilitatem vestram, reiq; publicæ dignitatem efferunt. Eos enim fructus iam vobis subministrãt, vt hos nullum bellum, quamuis atrox atq; diuturnum, exhaurire possit. Mandate hoc memoriæ, equites: spero multa vos, liberosque vestros, ac maiora indies bona visuros, in hisque semper ita existimabitis, sine Sigismundo rege nihil horum vos fuisse visuros. Nam ante illum quid sperare potuimus, in illis præsertim tantis anguſtijs? cùm mentes, animique vestri debilitarentur inopia, ipsasq; egestas nobis ad omnia, quæ concupieramus, magna atque præclara obstaret, quæ nunc sublata de medio atque remota, res nostras secundas ornauit, aduersus præsidium attulit bello subsidia: paci verò ornamenta suppeditauit, auctæ iam sunt vestræ dotes, quarũ modus in lege, vt antea, sed in voluntate vestra pẽdet: viluit aurum, cuius vsus nimius iam fastidium vobis parit argentum etiam ipsum, nõ priuatorum hominum videtur esse, sed illorum regum

ſuperiorum. Nihil de ære ipſo loquar, quod auro, argentoque veſtro obrutum, vix iam comparet. Ita Sigiſmundus, quaſi alter ex Hieroſolymis Salomon, non copiam auri atque argenti, ſed vtilitatem Polonis attulit, & quod in primis laudatur in Salomone rege, quod ille diuturna pace aurum atq; argentum lapide vilius Hieroſolymis reddiderat, hac certè laude Sigiſmundus non ſolùm illi par, ſed etiam ſuperior fuit. Salomonem enim illa copia dementauerat, ac à Deo ſuo patrio auerterat: hic verò in vberrimis copijs, religioſiſſimus: in ſummis verò opibus temperātiſſimus ad extremum fuit, nihilque ad vltimum ſpiritum curauit magis, quàm vt ipſius regnum in pace vigeret ingenijs, valeret doctrinis, ac omni humanitatis, & religionis laude floreret. Quando, equites, hoc regnum, quando vberius ingenijs, aut cultius vnquam doctrinis fuit? Nunquam, equites: omnia ſe ſimul hoc rege in Polonia profuderunt pax, opes, literæ. Rarum fuit antea ac penè inauditum in Polonia Græcarum literarum nomen, quæ ita erant hominibus noſtris incognitæ, vt id quod quis non intelligeret, Græcum eſſe diceret. Iam verò Latina ipſa oratio, quàm abſona fuerit atque barbara, Biga, & Baraletus ſunt teſtes, boni quidem illi viri, ſed tamen inepti magiſtri ac ruſtici. Conferte nunc cum his ea, quæ & ipſi didiciſtis, & in quibus liberi exercentur veſtri: non barbariam, ſed Græciam, non Sarmatiam, ſed Italiam dicetis factam eſſe Poloniam. Vt iam non Muſæ Græcæ, neque Latinæ, ſed vrbes mediusfidius ipſæ, Roma atque Athenæ, honore, præmio, ac fauore Sigiſmundi inuitatæ commigraſſe in Poloniam videantur. Ita

Ita mens, ſonus ac ſubtilitas vtriuſq; orationis non externa, ſed vernacula: non peregrina, ſed domeſtica, in ore noſtrorum hominũ verſari mihi videtur. Circumſpicite, equites, quàm vndiq; circumferantur verſus optimi: audite quibus laudibus ſolutę ac iunctæ orationis ſuauiſſimi huius regis à Polonis celebretur memoria. Nihil dico de me, cuius oratio, quantulacunq; eſt, aut ſi quæ omnino eſt, huius regis beneficio creuit. Voluimus quidem & nos de hoc rege aliquid dignum ex hoc loco veſtris afferre auribus: ſed tamẽ id aſſequi, tarditate, vt par fuit, nõ potuimus: ſtudio tamen certè, & voluntate proximi illis ſumus, qui literas ſuas, arteisq; optimas huic regi acceptas ferunt: & qui hũc quaſi quendã mortalem Deum, alto cælo demiſſum, mirantur: ac harum ipſarum literarum opera: quas illius beneficio didicerunt, cupiunt eum eſſe immortalem. Viues ergò, ô diuine rex, laudibus, carminibusque noſtris: noſq; è cælo benignius adſpicies, tuoq; numine ac munere hæc bona propria nobis velis eſſe, quæ hinc abiens reliquiſti. Commouit lacrymas, fletusq; interpellauit orationem meam.

Sed tamen quod inſtitueram dicere, par hic pacis artibus Salomoni regi fuit: conſtantia verò recti propoſiti, longè illi ſuperior: quod vt æquabiliter in omni vita tueretur, diffiſus ingenio, quæſiuit in ſuo regno ſocios tantarum rerum tuendarum optimos ac probatiſſimos. Habuit enim ex delectis viris ſumma authoritate ſenatum, ita vt hoc conſtet, in Polonia ſimili ſplendore *conſilium nullius regis vnquam fuiſſe: tria autem præcipuè in deligendis ſenatorib. ſpectare ſolebat: genus primò ipſum, quod *Concilium

maior authoritas apud homines, nescio quomodo spectatę nobilitatis sit, quàm incognitæ: deinde sapientia præstantes: postremò, sententia & lingua liberos. Quòd si quãdo in his legendis remissior fuit, in his magistratibus mandãdis certè fuit, quib. summa nõ continetur regni, & in quibus homines non gerunt Rempublicam, sed gerere discunt. In summis autem regni magistratibus quàm diligens fuerit, vt non repetam vetera, testes sunt hæc lumina regni. Recensete viros hos, & illorum familias, non vt illos laudemus, sed vt in illis diligendis iudicium ac sapientiam Sigismundi incredibilem admiremur, adest princeps regni Tharnouia domus: quid ex hac eadem domo maius? quid rebus gestis clarius? quid Dijs, hominibusque carius hoc isto Ioanne Tharnouio Castellano Cracouiensi hoc in regno vnquam fuit? cuius tot extant victoriæ, quot sunt huius regni inimici: tot trophæa, quot deuictæ prouinciæ: tot triumphi, quot ab illo sub iugum missi hostes: quo homine Sigismundus rex custode periclosissimis temporibus, maximisq; hostibus, hoc regnum defendit, Scythiamq;, Valachiam, ac Moschouiam deuicit: omnesq; hostes vestros hoc duce, aut parere vobis, aut certè cedere coëgit. Prætermitto Turciam ipsam, quam in Hungaria Ludouico regi infestam, ac inimicam, ne capta Alba Græca, omnia simul euerteret, hoc eodem Ioanne Tharnouio duce prohibuit atque repressit. Quid verò hic, qui hunc ordine consequitur, Petrus Cmita, lumen atque ornamentum huius regni? non splendore Wisnicensis familiæ, non sapientia, non authoritate, non

non iustitia, non rebus gestis à Sigismundo impetrauit, vt ad hunc vnum summos magistratus huius regni deferret, Palatinatumque Cracouiensem, Marschalcatum, (vtamur enim verbis nostris) prefecturas item magnas ac illustres illi mandaret? Quid hic Ioannes Lathalicius Posnanensis Palatinus? homo quidem equestri loco ortus, tanta tamen virtute, tantaq; sententiæ libertate præditus, vt ipse suis subnixus opibus in Sigismundi senatum ascenderit? Quid vos decus huius regni atque præsidium Thencisci? quæ ornamenta? Quæ insignia summæ atque excellentissimæ virtutis vestræ à Sigismundo non estis adepti: Vidistis enim Andream ex vestro ortum loco, paruum quidem illum corpore, sed ingenio ac eloquentia summum Castellanum Cracouiensem. Vidistis etiam Ioannem fratrẽ Palatinum Sendomirien sem nuper defunctum. Sed quid ego mortuos commemoro? cùm tu ipse, Ioãnes Sendomirien sis Palatine, coram hic præsens adsis, qui cùm ob amplissimam, & haud scio, an maximam in hoc regno familię tuę dignitatem, tum verò ob prudentiam sapientissimo sene dignam, à Sigismundo dignus es habitus loco isto, & ordine. Iam verò quomodo, te, Stanislae Laski, præteream? cuius genus, & industria, spiritusq; illi senatorij, domi ac foris cogniti, apud Sigismundum tibi sunt suffragati, vt Siradien sis Palatinus esses. Verecũdius de te dicerem, Nicolae Brudzoui, si meo nunc iudicio vterer, nõ alieno. Quanto enim tua erga me beneuolentia maior est, tantò ego minùs possem de tuo genere, virtute, ac doctrina dicere. Nunc verò quoniam senatum Sigismundi, non priuatos amicos cõmemoro,

dico Sigismundum in te fuisse secutum, vt Lancicensis illi Palatinus esses, cùm genus ipsum, virtutemque egregiam, tum verò vel in primis literas, studiaque doctrinæ, quibus instructus atque paratus, vocatu Sigismundi in illius senatum veneras, vt esletis cum hoc Petro Firlegio Russię Palatino, quasi quædam in Sigismundi senatu duo sydera, splendentia omni Philosophiæ laude atque doctrinæ. Vestræ quidem, senatores, succrescit laudi hic Ioannes Coscielecius, in Nouuladislauiensi Palatinus clarissima atque munificentissima ortus familia, cuius maiores tantùm inopia publica, de qua paulò antè dixi, commouebantur, vt pergrandem pecuniam, qua obligata bona regia habebant, regibus remitterent, †Marigeburgoque, ac alijs amplissimis possessionibus vltro Casimiro regi concederent: cùm numum nullum ex illa infinita obligatione acciperent: tanta fides Coscieleciæ gentis erga vestros reges fuit, vt in summa sua copia inopes se arbitrarentur esse, vestro egeno rege. Sed quid ago? aut quo progredior? Incidi in numerum vestri, senatores clarissimi, in quo difficile est ex vobis non aliquem, nefas quenquam præterire. Sed dabitis mihi profectò hanc veniam: & quòd in ipso cursu orationis tam multos prætereo: quosdam autem attingo, partim id tempori, ac auribus vestris seruiens facio, partim verò, quòd me vox, lingua, latera priùs in dicendo deficient, quàm vt par est, explicem, quid in vnoquoq; vestrum deligendo Sigismũdus fuerit secutus. Quanta tamen sit authoritas omnium vestrum cum summa beneuolentia equitum Polonorum coniuncta, cùm ex his, de quibus iam diximus, sciri potest, tum

† Mariabur

verò vel maximè ex hoc isto Andrea Gorcano comite Posnanien si castellano, ac superioris Poloniæ præfecto: qui adolescens ac penè puer ita cõmendatione excellentis virtutis Sigismũdo regi carus fuit, vt dignus ab illo, & summis honoribus haberetur, & qui patri Lucæ clarissimo viro in amplissima præfectura, ordineque succederet. Cuius ea est authoritas apud omnes, ea dignitas, is vitæ splẽdor, vt nullius opes in hoc regno maiores vnquam fuerint: in quo quidem homine illud, quod Platoni illi Philosophorum Deo difficile videbatur, vt summæ opes cum summa virtute in eodem homine possent esse: ita vtrumque cum summa laude excelluit, vt nihil in Polonia illo sit ditius, nihil etiam melius. Nam bonarum rerum, & literarum, ac ipsius doctrinæ ita studiosus est, vt aliud cupere videatur nihil: opes etiam ipsius non libidinum, neque cupiditatum sunt instrumenta, sed humanitatis, virtutis, atq; dignitatis singularis. Hoc homine, equites, quoniam vehemẽter nituntur res vestræ, salutem illi ac incolumitatem, quod facitis, velle & optare debetis. Ex his tot & tantis, ac talibus viris apparet, qualis rex iste fuerit, & haud scio, an aliud signum boni sit regis, quàm ipse senatus, apud eum regem præsertim, qui non sua, sed conseruandorum hominum caussa se factum esse regem nouit. Quemadmodum enim est in ipsis artibus, in quibus, quales ipsi artifices sint, instrumenta illorum declarant: sic etiam, cùm ars artium omnium scientia sit administrandi regni, nusquam ratio ipsius regis magis apparet, quàm in ipso senatu, qui instrumentum quoddam bene gerendę ciuitatis suo regi est: qui si nequam, si iniustus,

si helluo, si rapax ac sceleratus fuerit: certò scito consimilem quoque illi esse regem. Quid ita? quia mens ipsa infelix, non iam regis, sed tyranni, cum spe atque cupiditate omnia suorum ciuium deuorârit, nihil agit, nihil aliud dies atque noctes molitur, quàm vt ne quis illi omnino ad ea obstet, quæ concupiuit. Quare tyrannus omnis veluti quædam immanis bellua, in formam humanam insuta, antequam sternat ciues, vastet leges, ac solus deuoret omnia, senatum omnem tollit funditus, si quem habet: aut curat, ne quis in senatu illius sit genere, sententia atq; lingua liber. Ita tyrânus aut senatu caret, aut si quem habet, ex obscurissimis quibusq;, atque nequissimis, linguaque ac mente seruis, collectum senatum habet: si tamen senatus dicendus est cœtus ille infelix, ex teterrimis quibusque hominibus ideo conflatus, vt cum his tyrannus scorretur, potet, leges mutet, Rempublicam vexet, ac quorum assentatione, quasi œstro quodam, plenus perturbatione atque pœnitentia agatur in furorem, atq; in amentiam: vt ita viuat sine fide, sine pace, sine certo fœdere, ac inconcursu plorantium atque tempestate querelarum perpetuò versetur, plenus turbarum atq; tumultus. Cogitate hoc loco per Deos immortales, equites, & vestros illos veteres tyrannos, & hos etiam aliorum nouos: vt hæc, quæ dico, magis ex aliorum contentione, quàm ex oratione mea intelligere possitis: quàm æquus Sigismundi senatus fuerit, quàm iustus, sobrius, continens atque sanctus: vt facilè appareat, hunc regem, non suæ cupiditatis gratia, sed vestræ salutis caussa, senatum ex his viris delectum habuisse. Quem ille ordinem tanta

tanta cura coluit, vt ab initio susceptí regni plenum senatum semper habuerit optimorum Pontificum ac fortissimorum virorum, quod sine isto adiumento atque præsidio, neque ipsum se, neque regnum suum putaret esse diuturnum. Quam etiam ob rem tanta veneratione senatus apud illum fuit, vt Pontifices, dominos suos: senatores verò sincerè dilectos in literis appellaret, ô mentem non mortali aliquo regno, sed ipsa immortalitate dignam. Cùm enim penes † solum regni summa esset, tamen & regni socios senatores, & Pontifices dominos habere volebat, vt regnum cum socijs certius administraret, & dominos sua spõte sibi prę-ponens in summa potestate nõ insolesceret: & cùm solus omnia in regno posset, nihil tamen secus ab senatu præter regium nomen haberet: quod tamẽ ipsum summa moderatione ipsius senatus temperabat, à cuius authoritate nũquam dissensit: nunquam ille, suadente senatu pacem bellum gessit nũquam contra, senatu ad bellum hortãte, ille pacem fecit. Ita in cõsilio ipsius partes nullæ, dissensio nulla fuerunt; sed mirificus illo gubernante atq; prouidente ad cõmunem salutem consensus. Nõ senatus illi Reipub. clauum in summis tempestatibus gubernanti è manibus prærípiebat, non ille vicissim senatus quasi nautarum remigationem impediebat. Sed cùm in senatu alij venientem tempestatem denunciarent, alij pericula Reipublicæ tanquam nauis ostenderent, alij velis atque remis incumberent: ille tanquam sapiens nauclerus ad gubernacula Reipublicæ immotus sedebat singulaque momenta

† Enim solẽ.

temporum, locorum, hominum ac periculorum expendens, eò quo spes salutis ostendebatur, consilia suorum, cursumque regni dirigebat. Hæc ratio senatus, hæc illius optimi atque sapientissimi regis fuit in hac Republica prouidentia: vt mirum iam videri non debeat, si vna ex omnibus prouincijs atque terris, in tanto rerum omnium motu, Polonia salua atque integra steterit. Non casu aliquo, mihi credite, id est factum, neque fato. Rationi enim homines subiecti sunt, non casibus, consilijs, non fatis, apud quos si quid non rectè neque ordine geritur, scito ibi non fatum neque casum, sed rationem rectam defuisse, quæ cùm à consilijs nostris abest, res nostræ cadunt, stare non possunt. Quare, si vos, regnumq; vestrum sapientia regis vestri, fide verò, & authoritate senatus ad hanc diem stetit: illos, qui iam conciderunt, resq; suas amiserunt: stultitia, non casu, amentia, non fato perijsse dicemus. An tu si quam in nauim ita moratam conscenderes, in qua aut nautę nauclero remoto, aut nauclerus ipse reiecto clauo, cæliq; ac syderum, ventorumque ratione posthabita, vellet ipse remigare, salutē nę tu vllam ibi sperares? aut si quid naufragij accideret, fato cuidam potiùs, quàm illis, qui permutatis officijs nauim euerterunt, naufragium illud tribueres? Ad eum modum, equites, omnes prouinciæ, quas auri-pſi vidistis, aut de quib. ab alijs audiuistis, perierunt, dum rex pro senatu ipse sibi esset, aut dum senatus officium regis obire vellet: prouidere enim ac monere officium est boni senatus: regis verò, gubernare ac seruare. Quæ ratio administrandi regni atque moderatio, cùm semper constans, æquabilisque in senatu

senatu Sigismundi fuerit mirum non est, si soli prope modum ex omnibus gentibus ad hanc diem integri sumus, & si hac ista felicitatis parte Polonia, cæteras omnes prouincias antecellat, quarum nulla illi hac ista parte est par: non Italia, quę varijs seditionibus regum cum plebe libertatem amisit: nō Gallia, quæ sæpiùs fusa atque cæsa, regē suum captiuum vidit: non Germania, quæ nunc studio nouarum rerum, de libertate omni periclitatur, non Hungaria, misera atq; afflicta: quàm discors à rege senatus, puer verò rex funditus euertit, non iam omnes oræ atq; exteræ gentes ac nationes se hac parte vobiscū conferant: quas omnes, aut bellum euertit, aut seditio afflixit. Sola Polonia Dei summo beneficio, atq; huius optimi regis sapientia, ac consilio consentientis senatus cunctis nunc floret opibus, viuit suis legibus, moribus etiam ac institutis antiquis veterem suam retinet dignitatem, nec propter aliam causam (vt iam dixi) nisi quod in ea, & sapiens ipse regnabat rex, & reges ipsi (hoc est, senatores) erant sapientes: qui cùm omnia diligenter prospicerent animo, rege in ipsa puppi Reipublicæ sedente, ac clauum dirigente, nihil fortuna, neque casus in rebus nostris valuit: quæ si quid in rebus humanis valent, ibi certè valent, vbi non recto consilio, sed prę-cipiti temeritate aguntur ac feruntur omnia. Quare soli ex omnibus nunquam accusarent hoc rege fortunam, Poloni nūquam de casu sunt questi. Omnia enim secundum Deum, & illius prouidentiam in Sigismundi ac illius senatus sapientia, tā domi, quàm foris, tam pace, quàm bello erant nobis reposita. Subegimus hoc rege gētes antea inimicissimas no-

bis atq; inuictas: nonnullas nobis adiunximus: eaq; omnia incolumi regno, saluis legibus, ac integra libertate, hoc duce gessimus: domi etiam illo authore atq; principe conuenientissimè in summa benevolétia publicè viuimus: subsidia belli ac ornamenta pacis parta ab illo, relictaque habemus, vt quocunque oculi nostri inciderint, nihil desiderent ex rebus omnibus, quæ ad vitam tutò ac tranquillè degendam pertineant. Est enim pax à Sigismundo constituta nobis: sunt opes, vigent literæ, est fortis atque sapiens senatus. Restat etiam hic Augustus filius spes vnica regni, atque tantæ laudis atq; gloriæ paternæ hæres: qui vt ea tueatur, quæ illi pater ampliſſima reliquit, hanc istam sapientiam patris assiduè intuebitur: res ipsius gestas, consilia item, atque rationes omnes administrandi regni sibi proponet: quæ nullam rem esse declarant, in munere regio positam, quæ sapientia Sigismundi regis non comprehendatur. Verùm hæc ista sapientia, quam summam fuisse in Sigismundo rege multis argumentis perspicitis, & si per se ipsa summa sit, (est enim oculus quidam mentis, quo à magnis atq; excellentibus viris causſæ rerum expetendarum, fugiendarumq; cernuntur) tamẽ hæc ista sapientia, nisi habeat iustitiam in administrando regno adiunctam, infirmata est, rebus etiam humanis nõ multùm sanè proficua. Neque enim satis est, vt causſam videas, qua stent, cadantq; regni res, nisi etiam causſis illis, aut retentis, aut remotis, æquabiliter, iustè ac legitimè in ipsa Republica versẽre, vtque in primis cures, vt in tanta varietate, rerumque humanarum conuersione, quàm minimi motus in Republica existant: quòd si qui

qui acciderint, vt sine detrimento communi accidant: quod cùm sine maximarum rerum vsu vario atq; diuturno teneri non possit, quis hac ista laude Sigismundo excellentior rex fuit? qui cùm beneficio lõgissimæ ætatis (vnum enim & octuagesimum annum agens, decessit) tum etiam prudentia singulari atq; diuina ad eam iustitiæ laudem peruenerat, vt in sua Republica nihil earum rerũ esset omnium, è quib. discordiæ, seditiones ac bella ciuilia existunt, quæ tum fiunt, cùm virtus exequatur vitio: cùm boni præmio, mali verò sua carent pœna: deniq; cùm non pro dignitate ac meritis cuiusq;, sed pro regnantis libidine, alij plus, alij minùs vtuntur rebus communibus. Ex hac enim inequalitate ac intemperantia quadam oriuntur in Republica morbi illi insanabiles, quasi in corpore sano atque integro. Hinc enim existunt discordiæ, seditiones, ac bella ciuilia, cum ipsarum legum atque hominum interitu: & meritò quidẽ. Quid enim in ea Republica salui aut diurni futurum speres, vbi virium præcurrit virtuti, vbi algent boni, lętantur improbi: vbi dignitas cedit pecuniæ, virtus generi, ingenium socordiæ atq; negligentiæ? Postremò vbi indignissimus quisque amatur, colitur, ornatur, ac ad ampliſſima quæque promouetur, summa cum desperatione bonorum? Ruant necesse est in tali Republica, ac intereant omnia, quamuis illa magna sint atque præclara. Non agam pluribus, equites: neq; exemplis vtar Græcorum ac Latinorum, & ipsorum etiam Barbarorum, qui Respubli. suas potentes ac florentes amiserunt, dum in illis nullus habetur virtuti honos, nulla pœna vitio. Ex ipso enim Sigismundo omnium i-

ſtarum rerum exempla ſumi poſſunt: qui cùm ſapientia illa magnæ atque incredibilitatem ipſam videret peſtem ac perniciem eſſe ciuitatis, ad eum finem dirigebat omnia, vt neminem eius Reipublicæ, cuius hic rex fuit, pœniteret: qua cum æquabiliter illo rege vterentur omnes, nõ metuebat, ne qui vir bonus atq; fortis, contemptus ab illo neglectus, aut res nouas in regno moliretur, aut ſeditionem, bellúmve ciuile ſpectaret: quod ibi neceſſariò fit, (vt iam diximus) vbi non æqualiter, neque iuſtè viuitur: quare vt remoueret à ſuo regno omnia hæc mala atq; incommoda, Rempublicam ipſam omnibus ex æquo vtendam, ac fruendam propoſuerat: ita tamen, vt ratione, & boni ad illã admiſſi, & mali inde pulſi eſſe viderentur. Neq; enim in Polonia improbitas atq; indignitas deſperatione frangebatur vnquam magis, quàm Sigiſmundo rege: cõtra verò, virtus, probitas atq; dignitas hunc locum honoris, & gratiæ apud Sigiſmundum habuit, vt cùm genus ipſum illuſtre in claris viris adamaſſet, tamẽ ipſa virtute ſæpe poſterius clarum duxit genus: gradumq; ad honores ampliſſimos in ſua Republica virtutem volebat eſſe, non genus. Dabis mihi hoc loco hanc veniam, Nicolae Wolſci, vt tuo potiſſimùm exemplo me vera dicere probem: cùm enim equeſtri ortus eſſes patre, Sigiſmũdoq; nõ generis, neq; opum, ſed virtutis commendatione eſſes cognitus: hunc tibi honorẽ ille habuit, vt te, & gynecæo clariſſimę atq; pudiciſſimę huius reginæ vxoris ſuæ præficeret: & ad te Sendomirienſem Caſtellanatum cum multis prouincijs deferret. Hoc ille diuino facto ſuo docuit, quàm iuſtus rex eſſet, cùm tantùm tuæ excellenti

lenti virtuti, fidei, ac integritati tribueret, vt, quo genere ortus eſſes, quærendum ſibi non putaret. Quid verò tu, Martine Sborouuski? patúmne ea tum expertus, quàm iuſtus hic rex erga te fuerit, cùm tuæ ſpectatiſſimæ virtutis durior aliquando conditio eſſet? cùm enim virtute, conſtantia, ac magnitudine animi inuidiam, calumniamq; ſuperares, & ſalutem Reipublicæ, libertatemq; communem, tuæ oblitus, maximo animo defenderes: tantùm apud Sigiſmundum ad extremum dignitate valuiſti, vt tua nimia (vt quidam putabant) in cauſſa cõmuni libertas, tibi ad hunc honoris, & dignitatis gradum non obſtaret, quem nunc in Republica tenes: quin verò etiam hæc iſta bona, & animi, & ingenij tui in Caliſienſi hoc iſto Caſtellanatu tibi ſunt apud Sigiſmundum ſuffragata. Sed quid ego hos cõmemoro? cùm externi homines ipſi, atq; aliunde orti, tantùm apud illum virtute valerent, vt illis non in regno tantum ipſo, ſed etiam in Sigiſmundi ſenatu locus eſſet. Adeſt enim Seuerinus Bonerus, vir Wiſemburgo quidem profectus, ita tamen ob virtutem, ingenium, induſtriamq; Sigiſmundo regi probatus, vt nihil illi obſtaret ad honores huius regni externum genus. Cùm enim fides ac induſtria ipſius in omnibus officijs ac muneribus regni ampliſſimis fuiſſet cognita, illum Sigiſmundus, & ſalinatorem fecit, & præfecturas mandauit, ac in ſenatum introduxit, in quo ille maieſtatem Reip. veſtrę cum his ſeruaret, qui in hoc regno è vobis ſunt orti: & tamen apud Sigiſmundum caruit inuidia propterea Bonerus, quòd alienigena eſſet, ac Germanus, non cives neque Polonus: cum illo enim Sigiſmundus

ob virtutem ipsius præstantem ac singularem communicauit hoc regnum, in quo nunc ille omnibus opibus fortunæ, ingenii, ac dignitatis summa vestra voluntate floret. Ad hunc modum Sigismundus præmijs in Republica propositis, optimi cuiusque virtutem ad ipsam Rempublicam tuendam excitabat: qua sanè ratione tantum profecit, vt nullum tempus in hac Republica ferocius fuerit virtutum omnium. Pro se enim quisque tam pace, quàm bello nitebatur, vt sub optimo rege bonus ipse cuius esset: & ne quis, amplissimis præmijs virtuti propositis, ipse sibi ad laudem deesset. Quare tanto studio ad virtutem, & ad glóriam exarserãt omnes, vt summi, medij ac infimi, ad summa contenderent. Testis enim hic est, Ioannes Tharnouius, qui etsi genere clarissimo sit ortus, tamen ad res maximas pro salute huius regni gerendas, honoribus amplissimis ab hoc rege inuitatus, tantùm virtute profecit, vt non solùm nostros Imperatores omnes, sed etiam illos veteres externos Scipiones, Marios, ac Maximos, bellica laude adæquaret. Quid verò hic Nicolaus Sieniauuski Belsensis Palatinus? qui præmijsà Sigismundo excitatus cum Alexandro ac Procopio fratribus, sic rem militarem in Russia hoc rege administrabat, vt eorum opera Russia illa afflicta, ac anniuersario hoste penè deleta, requiescat nunc, ac nouis colonijs solitudines suas compleat atque instauret: ita vt post hominum memoriam cultior Russia nunquam fuerit, quàm est nunc Sieniuiorum, & aliorum fortium virorum opera, quorum virtute ad hanc rem Russia stetit: quæ cùm assiduis hostibus esset exposita, fortissimorum virorum

rum præsidio eam Sigismundus muniendam sibi putabat: eiusque prouinciæ magistratus his potissimùm mandabat, quorum animo ac virtute confidebat: veluti nuper paulò antè quàm esset mortuus Podoliæ Palatinatum ad Ioannem Mielecium detulit virum fortem, ac genere, ingenio, opibusque præstantem. Prætereo alios multos fortes ac claros viros, quorum virtutem Sigismundus ad res maximas iustitia sua excitauit, beneficijs auxit, præmijs verò confirmauit. Est hæc diuina summi illius viri ac iustissimi laus, qui cũ amplissimo ac copiosissimo regno potiretur, illius omnes copias atq; opes, non suæ priuatæ libidinis, neque compendij sui putauit esse, sed eius Reipublicæ, cuius rex fuit. Quare quicquid positum erat, aut in honoribus Reipublicæ, aut in vectigalibus ipsius regis, earum rerum omnium dispensatorem ille se esse putabat, non possessorem neque dominum. Quò etiam fiebat, vt hæc communicaret omnia cum viris fortibus, ac de Republica bene meritis, ita vt cuiusque dignitas ac meritũ postulabat: summas opes regum esse ratus copiam bonorum virorum atq; fortium, quorum virtus sibi iaceret semper, vbi nullus ei haberetur honos. Quare cùm Sigismundus gratus esset erga optimi cuiusq; virtutem, commouit præmijs propositis studia hominum, non solùm summorum, sed etiam mediocrium atq; infimorum. Pro se enim quisque hoc rege excellere in Polonia studebat: nemo erat, qui aliquid non afferret in medium, quo regi suo operã ac industriam probaret. Artifices ipsi mediusfidius, ac omne genus mechanicum commotis studijs, artes suas diligentius hoc rege coluerunt,

cùm viderent operas quoque ſuas placere regi. Itaque tanta copia optimorum opificum atque artificum hoc rege fuit: vt Phidiæ illi veteres atque Polycleti, & Apelles reuixiſſe in Polonia viderentur: qui pingendi, fingendi, ac dolandi arte, illorũ veterum artificum gloriam adæquarent: quorum cùm multa extent in hoc regno opera pulcra atque viſenda, tamen huius vnius arcis opus vincit, ac ſuperat omnia, quam ille præſtantiſſimorum artificum opera à fundamentis extruxit, ac Cracouiam hoc iſto præſidio muniuit tanto ſumptu ac opere: vt nõ hominum, ſed Deorum immortalium ſedes arx iſta eſſe videatur. Quid verò Baſilica huic templo adiuncta, paruúmne acceſſione ſui, huic ædi Venceſlai decorem, dignitatemque attulit? in qua & pictorum operæ, & ſculptorum ac fabrorum ſingularia, & magnifica viſuntur: quam Baſilicam ille, & religioni ſummi Dei cõſecrauit, & omnibus ornamentis (vt videtis) illuſtrauit, corporique ſuo tabernaculum hanc eſſe voluit: in qua illud, quaſi quodam regio itinere defeſſum, non minùs longo, quàm moleſto, poſtremum requieſceret, ac ſupremam mundi diem exſpectaret. Quanta hæc Sigiſmundi iuſtitia fuit, quàm potens, quàm magnifica, quàm clara apud Deum, quàm nota, & probata apud homines? qui diſtribuendis æqualiter præmijs, ac muneribus regni, mutua pace, ac beneuolentia ſuos tenuit: & ad virtutem bonos viros cupiditate rerum optimarum incendit, ac in cõtrario genere hominum hoc ipſo modo firmabat rationes bonorũ. Nihil enim apud illum contemptius, nihil neglectius, nihil vilius improbis fuit, vt ex hac iſta ratione, boni præmia

mia ſuæ virtuti ſeruari à bono rege ſcirent: mali verò nihil præter contemptum ferrent, atq; pœnam. Ita illi honores omnes ſolis bonis ac fortibus viris debere ſe putabat: quibus cum improbis etiã communicatis boni in officio dolore redderentur remiſſiores: improbi verò nihilo illis ipſis honoribus fierent meliores. Quare cùm præmium, & pœnam æquabiliter diſpartiret, ſeſeq; ipſe ſanctiſſimè gereret: virtutes præmijs, vitia contra pœnis affecit: cuius rei etſi multa extent exempla, tamen haud ſcio, an aliud ſit clarius illo, & ad ſanciendum cùm in re militari, tum in omni vita fidem accommodatius, cùm Raduankouium centurionem ob Ornetæ Pruſſico bello proditionẽ infamia publico iudicio notauit: militesq; noſtros huius calamitate ac ignominia docuit, vt pugnare potiùs, quàm fugere: mori, quàm fallere vellent. Hiſce artibus Sigiſmundus cùm ſuos ciues, bene viuere, ac iuſtè agere docuiſſet, facilè illam quoq; iuſtitiæ partem, quæ legibus traditur, abſoluit: cuius hæc ſumma apud Sigiſmũdum fuit, vt conuenienter in hac ſocietate noſtra viueremus: ad hunc ille finem omnes leges ſuas retulit, quibus pax inter nos cum ſumma beneuolentia conſtaret: quas leges ſi inſpicias, tanquam in aliquo ſpeculo omnes ſenſus Sigiſmundi ac rationes expreſſas videbis. Nullam in his tyrannicam mentem, nullam vtilitatem ipſius propriam reperies. Veſtræ libertatis, equites, veſtræ dignitatis, veſtræ maieſtatis ſunt illæ leges, quæ in Polonia ſolę regnant, ac ex æquo vobis, & Sigiſmundo regi veſtro imperant. Neque enim ſolutus eſt rex legibus apud vos: non quod illi vtile, id iuſtum vobis: non quod lubet, id il-

lilicet, Romanæ ſeruitutis ſunt iſta carmina, quæ laudat nemo, niſi ſeruus ſit, aut Italus: qui quidem, vt certiùs ſeruiret, ſcholas etiam ſibi (ſi Dijs placet) condidit: Doctoresque legum fecit, à quibus nil niſi ſeruire diſceret, qui Doctores, inquam, legum iſtarum ſeruilium tranſcenſis Alpibus, venerunt etiam cum talibus præceptis ad vos: quos hîc paſſim iam vagari videtis, cum hoc iſto Dijs irato ſupercilio, ac peſſimo libertatis veſtræ exemplo: quos vos, id quod facitis, contemnere debetis, equites: & tanquam contagionem quandam hanc iſtam Neronianam ſchólam fugere, regnóque veſtro pellere: ne iſtæ immundæ pecudes inficiant puros iuſtitiæ veſtræ fonteis, è quibus Sigiſmundus hauriebat leges veſtras, quibus communiter vobiſcum viueret, quarum legum ille lingua, non rex: interpres, non author: patronus, non Dominus fuit: quas etiam ferebat, authore ſenatu, volentibus ac iubentibus vobis. In qua ſanè ratione cum ſumma moderatione æquitate animi fuiſſet, omnes illos veteres Solonas, Licurgos, atque Cretas Legumlatores vicíſſe mihi videtur: nam illi ſeorſim à populo leges ferebant: hic verò nullam abſque ſenatus authoritate, ac ſcito veſtro communi, legem tulit. Illorum leges libidini populari ſæpe ſeruiebant: Sigiſmundi verò nulli rei ſeruiunt, niſi vtilitati communi ac veſtræ libertati. Illorum legum nimia licentia tyrannidem in ciuitatibus pariebat: noſtra verò legum diſciplina, nulli rei magis, quàm tyrannidi, eſt aduerſa. Quid ita? quia apud leges noſtras rerũ, & criminum, non perſonarum, neque dignitatum, ratio eſt. Non quęrebatur in Sigiſmundi iudicio, Archiepiſcopúne, an Pala-

Palatinus: Epiſcopus, an Caſtellanus: nobilis, an ignobilis: peregrinus, an ciuis reus eſſet? ſed remota dignitate omni reorum ipſorum, de re ipſa iudicium fiebat: in quo nocentes pœna legitima afficiebantur: innocentes verò ex lege abſoluebantur. Iam, quanta ipſius Sigiſmundi maieſtas in iudicijs publicis fuerit, quæ animi æquitas, qui modus, recordamini, equites, & illam perſonam illius regis in iudicio præſidentis vobiſcum cogitate: in qua expreſſa facies Reipublicæ veſtræ cernebatur: ſtatus erectus, ac celſus, lati ac patentes humeri, facies rotunda, rubentes genæ, oculi grandes, ac ſtabiles: minax ſupercilium, naſus ipſe gryphus ac aquilinus, ſummo rege dignus: vt non Caſimiri regis, ſed Ludouici filius videretur iudicio præſidere: ſic omnia ad imperium erant in illo rege nata, vultus, intuitus, vox, latera, ſilentiũ poſtremò ipſum. In iudicio nunquam audiebatur, niſi cùm oportebat: minùs etiam nonnunquam, quàm oportebat. Nutu plura, verbis pauca conficiebat: tantaq; moderatione linguæ ac continentiæ ſermonis fuit, vt illius, in ſummo imperio, nemo vnquam verbũ vllum aſperius audierit. Quare cùm tanta iuſtitia, ac tanta moderatione in cõtrouerſijs dijudicãdis fuiſſet, æquos, placatosq; reos à ſe dimittebat, nõ ſolùm eos, ſecundum quos iudicabat, ſed etiam eos, quos contra ſtatuebat: & cùm gratiæ cauſſa in iudicio nihil faceret, grata tamen erant omnia, quæ faciebat. Ita ſæueritati illius, res maximè diſtans, miſcebatur comitas, ſed ita tamẽ, vt neq; comitas impediretur ſęueritate, neq; ſęueritas comitate leuior fieret. Hac fama admirabili virtutũ incredibiliũ, cùm ſolus ille rex, ſolus iuſtus,

solus sapiens, non domi tantùm, sed etiam foris videretur: tanta veneratione propter summam iustitiam apud omnes gentes fuit, vt iustitiæ illius fama impulsi Bohemi primùm: deinde Hungari, Ludouico rege apud Mohacium à Turcis interfecto, huic vltro duo maxima regna offerrent, quæ ille tamen non accepit, cum reprehẽsione multorum, eorum præsertim, qui non perspiciunt, ac multò etiam minùs intelligunt, quãtum ipsius regni sit opus. Quod cùm alta sapientia Sigismundus cognitum, perspectumq; haberet, regna illa remisit Hungaris, ac Bohemis: ipse Sarmatia cõtentus fuit, sufficere sibi hãc materiam ratus, in qua omnem vim ingenij, ac virtutis suæ ostenderet: tanta fuit opinio ipsius excellentis iustitiæ apud omnes, tanta etiam illius moderatio. Quid verò illud, cùm Ioannes, & Ferdinandus reges, summis inimicitijs incensi, arbitrum hunc de Hungariæ regno ceperunt? parúmne ex eo liquet, quanta existimatione hic rex apud omnes fuerit? quam sanctissimam esse reges illi putabant, itavt arbitrio illius, non solùm regna ipsa, de quibus ambigebant: sed etiam dignitatem suam regiam committerent, id iustissimum fore rati, quod à Sigismundo probatum, decretumq; fuisset. Prætereo alia infinita domi, & foris ipsius excellentis virtutis, atque iustitiæ documenta, quæ ille viuus constituit, ad memoriam regni sui sempiternam. Et quoniã præcipua pars iusticię est pietas ipsa, parúmne hac quoq; iusticiæ parte excelluit? cùm religionem illam patriam atq; auitam, cærimonias item omnes sanctissimas, tanta veneratione coleret, vt nihil illis melius, nihil religiosius esset, ne in monasterijs ipsis quidem, non in

in his, quæ nunc sunt, sed in illis, quæ olim fuerunt: fide enim in Deum erat summa, hominem peccatorem se confitebatur esse palàm: nusquam spem veniæ, nisi in solo Christo habebat: benignus in omnes, pius, clemẽs, ac munificus fuit: in ecclesia verò, ne quid nouaretur, néve ipsius religionis vlla in re fieret commutatio, tanto studio curauit, vt in minimis etiam rebus, quæ vix censeas, diligentissimus fuerit. Vos hoc loco appello sanctissimi sacerdotes, qui mœsti nunc pro illo sacrificium facitis: ecquis vestrum diligentior omnibus religionibus atq; cærimonijs conseruandis hoc rege fuit? Quoties ille vos admonuit, si quid à vobis non ritè factum, aut si quid de statuto sacrificio fuerat à vobis prętermissum? Candelam ipsam ceream mediusfidius, vt maiora prætermittã, non suo loco stantem aduertebat: aut si ea sacro deesset, vos admonebat. Neque verò id ille faciebat curiosus in vestro munere: sed quod minimis hisce rebus, aut sublatis, aut intermissis, religionem ipsam intermitti, ac sensim tolli putabat: de qua ne vlla diminutio fieret: non solùm præmijs, sed etiam pœnis in seditiosos editis prouidit. Gedanenses enim ciues res nouas atq; pernicioſas non in Rempublicam tantùm, sed etiam in religionẽ molientes, supplicio affecit: summa tamen moderatione ac æquitate: paucorum enim pœna cõtentus fuit, ad salutem reliquorum. Ita ille cùm fundamentum omnis Reipublicæ religionem ipsam sciret esse, & cùm sibi multorum exemplis ac literis suaderet, mutata religione, mutari regna: summa religione ipse fuit, & vt cæteri quoque essent, curauit: ad quam colendam ac retinẽdam, vt expeditior ipse esset, mul-

tis exercitationibus se comparabat : summa enim abstinentia ieiunabat: dies festos celebrabat: nunquam publicè quicquã agebat, priusquã sacrificasset, sacroque interfuisset. Verbum Dei diligenter in concionibus audiebat, ac iuxta illud viuebat: sobrius in omni vita rex fuit: nunquam ebrius est visus: nunquam vino aut amore insolens ac intemperans. Ad hunc modum ille cum summa moderatione victus fuisset, paratus semper erat ad regium illud opus atque munus, in quo exercendo carebat furore illo, qui ex intemperantia cibi atque vini ducitur: quo remoto, summa fuit humanitate ac incredibili religione ad vltimum vsque spiritum, ita vt etiam animam ipsam agens, hunc istum Vitum Monachum de Dominici familia, sacrificantem diligenter audiret, ad singula verba passionis Christi Dei nostri suspirando, ingemiscendo, ac flebiliter precando, quò Deus ipse peccatorum ipsius immemor: beneficio autẽ Christi in illum, & in omnes memor, clemens ac propicius, illum ad illas beatorum sedes reciperet, ad quas Iesus Christus Dominus, & Deus noster ante illum præcesserat: ô fidem veram, & dignam, cui isti ignes luceant, qui quidem signa sunt atq; notæ illius ignis intimi, quo fides ipsius ardebat in Deũ: caritas autem ipsa sese effundebat in proximum. Hoc ergo isto diuino igne atq; recondito semel in baptismo susceptο, cùm ille arderet in omni vita, nullaq; perfidia illum violaret: rectè hęc ista lumina atque ignes, incensæq; faces præferuntur nunc illi mortuo, quòd fidem Deo seruaret integram, caritatem autem proximo ad vltimum spiritũ, quem cùm iam reddiderit Deo ex hac turba, & colluuione tanquam

quam ex hospitio, non tanquam ex domo, in illud animorum concilium, cœtumque profectus est, vbi nunc cum fideli Abraham, Isaac, atq; Iacob accumbit: colloquitur cum Dauid: viuit cum Iosia iustissimo atq; religiosissimo rege: auos suos, fratres, ac parentes, reges vestros recognoscit: hunc totum iam complectitur cælum: hunc obuijs vlnis excipiunt omnes beatorum animæ, ac illius conspectu lætantur, ab Aquilonisque partibus aduenisse gaudent regẽ iustitia ac pietate insignem, socium felicitatis suæ, atq; immortalitatis participem: quo nemo vir melior apud nos natus est, nemo pietate præstantior: nũc ille vos ex alto intuens, equites, à Deo Opt. Max. precatur, vt nos felices ac saluos velit esse, vestrumq; hoc regnum conseruet, quod ille summa sapientia, ac singulari iusticia viuus rexit, ac omnibus legibus, præsidijsque ornauit, atque instruxit: summaque in illo tuendo, conseruandoque animi magnitudine, fortitudineque fuit: de qua ego breuiter dicam: fuit enim hoc tertium, quod in summo rege inesse oportere diximus. Neque enim satis est, sapientem ac iustum domi esse regem, nisi etiam is regnum saluum præstet, & ab omni externa vi defendat. Qualis vtiq; Sigismundus fuerit, constat: qui quo die rex à vobis est factus, motus domestici in illum, deinde externi cum maximo nouarum rerum metu exceperũt. Recordamini enim, equites, qui motus ille in Lituania, qui timor fuerit, cùm Michael Glinski homo eius gentis potentissimus, atq; seditiosissimus, mortuo Alexãdro rege, principatũ Lituaniæ peteret, ad quam illi rem cùm & animus non deesset & copia, tamen is Sigismundi primùm

nomine, deinde conſpectu fractus, debilitatusque arma poſuit, pacemque ſupplex petijt, ad poſtremò in illius fide fuit. Manſiſſet autem vtinam in ſententia: nunquam tantis cladibus, tantoq; hominum interitu Lituaniam cum Moſchouia commiſiſſet: cùm enim Michael Glinski moliri multa occultè in Lituania nunquam deſijſſet, à Ioanneque Zabreſinskio Marſcalco Lituaniæ, appetiti principatus reus fieret: non cogitabat, quomodo ſe regi purgaret, de quo arguebatur, ſed quomodo acculatorem ſuum primo quoq; tempore è vita tolleret. Itaq; oblitus clementiæ regiæ, quam primò ſtatim Sigiſmundi in Lituaniam aduentu, incredibilem erat expertus: luſtitiæ etiam huius ipſius regis immemor, in qua etiam nocenti perfugium eſſe poterat: nullaq; ratione harum rerum omnium habita, multa nocte Ioannem Zabreſinskium aggreditur, & quieſcérem iam, ac nihil tale cogitantem inuaſit, ac domi ſuæ hominem nobiliſſimum occidit, magnum crimen, ſcelus ingens, vis non ferenda, cuius ille magnitudine perterritus, vt ſcelus ſcelere cumularet, ad Baſilium Moſchum profugit, illumque ad inferendum bellum patriæ ſolicitare cœpit: facileque ſua ſponte ad id iam parato Baſilio perſuaſit, vt cum Maximiliano Cæſare fœdus faceret, ab eoq; futuri belli ſubſidium contra Sigiſmundum peteret. Nihil propius eſt factum, quam vt Maximilianus immemor tum nominis ac generis ſui, omnibus ſuis copijs ad inferendum bellum Sigiſmũdo Baſilium iuuaret: quod tanto apparatu rerum omnium à Baſilio erat geſtum, vt neq; maiori contentione, neq; maioribus copijs inter Lituanos, & Moſchos vnquã certatum fuiſſet:

fuiſſet: Hic Sigiſmundus, & ſi eodem tempore alijs quoq; bellis Scythicis, Valachicis, atq; Turcicis deſtrictus eſſet, tanta tũ animi magnitudine in bello Moſchico ſuſcipiendo fuit, vt nullum aliud bellum gerere videretur: non terruit illum Maximiliani Cæſaris inſperatum cum Moſcho fœdus, non copiæ ab illo ſuppeditatæ gerendi belli, non ipſius Baſilij exercitus ante hanc diem inuictus. Incredibili enim celeritate exercitu ex Lituania collecto, militibus etiam ex Polonia accerſitis, magno animo aduerſus hoſtem contendit, ac Boryſthene amne ſuperato, cum hoſte acerrimè conflixit, quem memorabili pugna deuicit, non in præſens tantùm ſed etiam in poſterum: nam eo prælio videntur omnes vires concidiſſe Moſchorum, quæ antè hac graues Lituaniæ ac inuictæ videbantur eſſe: & quæ ante illam cladem tantæ fuerunt, vt Moſchi præ ſe cæteros mortales omnes contemnerent, quibus deuictis, tãta gratulatio omnium eſt ſubſecuta, vt etiam Romæ à Leone Decimo ſupplicatio Sigiſmundi nomine decerneretur, ſingulari genere verborum & numero dierum. Cùm enim in Leonis ſenatu Nicolaus Wolski legatus, hic Sendomirienſis Caſtellanus, expoſuiſſet & genus hoſtium & victoriæ modum, res digna patribus illis eſt viſa, publica ipſius vrbis Romæ gratulatione, ac ſupplicatione ſingulari. Supplicatum itaq; fuit, totaq; vrbe dies feſti, atq; ludi eius victoriæ nomine fuerant inſtituti, dolente ac mœrente Maximiliano Cæſare, qui captiuos etiam ipſos, per hunc iſtum Nicolaum Wolski Leoni miſſos, intercepit, in Moſchouiamq; contra ius gentium remiſit. His victorijs atq; triumphis initia re-

gni sui Sigismundus consecrauit, docuitque se cum regem esse, qui & domi regnum legibus tenere & foris armis tueri posset. Neque verò hoc bello tantùm illius animi vis extitit incredibilis, sed multis etiam alijs bellis grauibus ac difficilibus. Nam cùm vix à Moschico bello respirasset, Scythiam magnis copijs, Russiam prouinciam ferro atq; igne vastantem incredibili virtute ad Wisnio Wicium superauit: illaq; pugna, primus regum omnium, Scythas docuit, pacem bello meliorem esse. Quid autem Valachia ipsa, Turcicis exercitibus contra Sigismundum munita atq; instructa, cùm huic regno periculosissimè immineret, nónne ad Obertinum postremo ab hoc rege deuicta, pœnas temeritatis suæ dedit, vestroq; imperio, hoc isto Ioanne Tharnouio duce, parere est coacta? Iam verò Moschouia, cùm iterum fractas illas vires suas ac desperatas repeteret, bellumque maximum pararet, non ab hoc Sigismundo iterum deuicta bello maximo funditus corruit? Ad quod bellum gerendum Sigismundus, hunc istum Tarnouium Imperatorem, ad conseruandum hoc regnum natum, miserat: qui capto atq; euerso Starodobo, ingenti hominum strage, Moschos in perpetuum deuicisse iam videtur. Prætereo alia bella varia atque infinita, quæ Sigismundus gessit, non libidine regnandi, neque studio gloriæ incensus, sed amore religionis Christianæ conseruandæ. Cùm enim Poloniæ regnum Aquilonem versus vltimum sit regnorum omnium: gens ista regiones finitimas habet inimicissimas, partim Christiano, partim verò Romano nomini. Quare Sigismundus cum his assiduè bellum gessit, nõ vt finitimarum rerum potiretur,

tiretur, sed vt religionem Christianam contra Scythas atque Turcas: Romanæ verò sedis nomen contra Moschos atque Walachos tueretur: quod hæ gentes huic sedi, hoc isto dissidio Græcorum cum Latinis, sint omnium inimicissimæ. Solus ergo Christianorum regum omnium Sigismundus non pro augendo, sed pro retinendo regno: non pro sua libidine, sed pro Christiana religione bellum cum tota Asia gessit, cuius Asiæ opes cùm magnis ac insperatis victorijs crescere indies videret, seque præ cæteris periculis illis proximum esse sciret, Christianos autẽ principes mutuis bellis dissidere videret, prouidendum sibi, regnóque suo putauit. Quapropter summa ope est conatus Christianos principes in mutuam gratiam reducere, illorum concordia ac conspiratione suas opes atq; rationes contra Turcarum tyrannum firmare, vt minùs potens, minusq; formidabilis tyrannus ille vobis esset. Quapropter & Maximilianum Cæsarem reconciliata iam gratia Viennã adierat: cuius etiam hortatu Vladislaus frater Hungariæ rex, cum Ludouico filio, eò quoq; venerat, quo in conuentu summorũ regum ille ostendit, docuit, monuit, Turcarũ opes tantas esse, vt ab vno Christiano rege superari non possint, in cõcordia ac mutua pace spẽ esse, sine qua nihil esset Christianis salui. Itaq; Sigismundo auctore atq; duce, iacta erant Viennæ fundamenta communis auxilij: quæ tamẽ sorte quadam rebus nostris aduersa non diu manserunt. Nam & Maximil. & Vladislaus vita functi, ambo spem Sigismũdi fefellerunt. Non cessauit tamen Sigismundus agere, & facere omnia, quo potentiæ Turcarum occurreret. Quare auxilia

vndique contrahebat: cum finitimis fœdus & amicitias iungebat, neque verò his solis contentus fuit, sed etiam cùm sciret Neapolim atq; omnem illam oram Apuliæ, societate Turcici belli cum Polonia coniungi, amicitiam Italiæ expetiuit, hancq; Bonam reginam ex Sphortia familia clarissima atque totius Italiæ nobilissima, ducem Bari in matrimonium accepit: vt hoc ceu quodam illustri ac sancto pignore, socium se belli ac periculorum omnium Italis profiteretur esse. Verùm cum hac ista spe finitimorum ac externorum auxiliorum frustra pẽderet, solusq; sæpiùs cum summo rerum suarum discrimine cum Turcarum ducibus confligeret, de regnoq; suo iam planè dimicaret, fœdus ad extremum cum Solimano fecit. Quid verò illi aliud faciendum fuit? solus erat: opem ferebat nemo, spes ipsa restabat nusquã: regnum porrò suum videbat omnibus Turcicis bellis ac periculis esse propositum. Quid tandem quæso est, quod quis Sigismundum huius ipsius fœderis nomine reprehendat? cùm videat vnum è duobus illi fuisse necesse, vt aut regnũ suum in postremum discrimen adduceret, aut fœdus cum Turca faceret, quod tamen ille non fœdus potiùs, quàm inducias sibi putabat datas esse parandi belli. Nouerat enim ille à Turcarum tyranno non fide, neque religione: sed occasione atq; tempore fœdera põderari. Quare etsi ille fœdus illud sanctissimum esse ducebat, tamen quod nihil huic hosti crederet, inter fœdus illud, rationes suas summo studio futuro bello parabat, vt si quando illi necessariò cum Turca belligerandum esset, eò paratior, instructiorque in aciem contra illum prodiret. Meminerat, sæpiùs se confli-

xisse cum hoste summo cum periculo, Ludouicum etiam regem, neporem ex fratre suum, viderat vitam, & regnum profudisse, cùm incertorũ auxiliorum spe bellum Turcicum mallet, quàm fœdus: cuius consilia nunquam probabat Sigismundus, summoq; studio à bello illum reuocabat, ostentabat illi Rhodum atq; Coum nobilissimas insulas consimili spe perijsse: docebat Carolum Cęsarem impeditum esse bello Gallico atque Italico, Ferdinãdum autem Rusticano: Germaniam etiam totam, religionis cõtrouersia dissidentem, commemorabat: nusquam spem superesse: prętare fœdus facere, quàm bellum incertum gerere, cuius fidelissimis consilijs cùm Ludouicus non obediret, vitam simul cum regno amisit. Qua in re Sigismundus, quàm sapiens rex atque fortis fuerit, ostendit, qui Rempublicam tanquam in alto nauim pro ratione tempestatũ, & locorum, & temporum dirigẽdam esse ducebat, vt quid tempus Reipublicæ poscat, aut quid vetet in primis sapienti regi sit prouidendũ. Interea tamen Sigismundus quoad vixit, cum bellis mutuis Christianorum arderent res, ille non quieuit, sed assiduis bellis pacem regno suo quęsiuit. Nunquam quenquam bello lacessiuit, nunquam nisi lacessitus bellum gessit, propterea etiam (credo) victor semper extitit: singularisq; illa huic vni concessa erat gloria, quòd hic solus regum omnium in Polonia nunquã victus fuit, nisi fortè quis illam acceptam calamitatem apud Socalium bello Scythico huic adnumeret: quæ, temeritate ducum, absente rege bello commisso, à Scythis accepta fuit, quam tamen calamitatem ille postea infinita hostium cæde compensauit: sic ille,

cùm nihil temerè, nihil abiectè, neq; demissè, sed summo consilio, magno, & inuicto animo cuncta gereret, facilè fuit inuictus. Res etiam nostras, cùm armis vix posset, fœdere à Solimanno vindicauit, quas ille aut perpetua pace cum hoc hoste sanciuit, aut si belligerandum nobis erit, paratiores, instructioresq; aduersus Turcarum opes reddidit.

Reliquum est, vt de clementia ipsius pauca dicamus, sine qua & sapientia nihil prodest regibus, & iustitia etiam obest, & fortitudo ipsa nocentior fit suis, quàm alienis, nisi ipsius clementiæ moderatione temperetur. Hæc enim ferocem animum regis, ferum & indomitum contra regni hostes emollit, suis mansuetumq; ac benignum reddit: vt hac ipsa virtute rex hostem ab amico, peregrinum à ciue, innocentem à reo secernat: reis etiam ipsis, fragilitatis ac imprudentiæ in hac eadem virtute apud regem perfugium est, hæc ista virtus in consilijs, in iudicijs, in bellis regũ versetur necesse est, si reges non Tyranni illi volunt perhiberi, hic enim regiæ Celsitudinis ornatus est: hæc illorũ cõmendatio est summa: hæc sola atq; vnica ad immortalitatem illis restat via, deniq; ex hac ipsa excellenti & planè regia virtute nascitur suauissima regum ipsorũ memoria: gratumq; ac iucundum illorum versatur apud suos desiderium. Vnde enim sunt vestræ istæ lacrymæ? vnde hæc est misericordia, quam nunc vos præstatis mortuo? eblandita, credo hæc sunt à vobis spe vitæ commodorum vestrorum, & non potiùs expressa vestigia mœroris vestri, recordatione illius optimi atq; clemẽtissimi viri, qui benignus in bonos, mitis in reos, indulgens in omnes fuit? nunquã ille arrisit vitio, nunquam detraxit virtuti, nunquã blandiens parti se dedit alicui: sed cùm rem ipsam sequeretur, hoc vnũ propositum illi fuit, ne qua in re aberraret à vero: tanta æquitate ac clementia, vt rerũ ipsarum ac criminum magnitudinem, cum rerum infirmitate conferret: virtutem etiam ipsam atque innocentiam, ne approbatione insolesceret, aut dissimulatione, aut leui reprehensione, tẽperabat. Iam verò ipsas parteis magnis sæpe odijs incensas, summa grauitate ac æquabili erga vtranq; voluntate audiebat. Possem hoc loco magnas inimicitias clarissimorum virorum commemorare ex Reipublicæ caussa susceptas, nisi & vos meminisse scirem, & ipse præterire hanc ignominiam vellem, ne commemorando notare videar authores ipsos. Dabo hoc ergo illorum authoritati: ab hisq; vobiscum vnà petam, vt cõmunis salutis caussa remittant animos, æquosque ac placatos retineãt huius istius exemplo regis: qui, cùm rex esset, possetq; delinquentem coërcere, æquus tamen vtriq; fuit, monereq; ac hortari, interdum etiam rogare ad pacem suos maluit, quàm lege, vi aut minis impellere: ferebat enim æquo animo omnes, in liberaq; Rep. non solùm animum, sed etiam odium liberũ esse debere duxit. Hãc libertatem ille liberorũ populorum cùm summã esse sciret, vt videlicet, & amoris, & odij par sit apud ciues ratio, ipse quoq; odia multorum in Rep. pertulit, si tamen odium est dicẽda libera expostulatio subditi cum rege. Cùm enim benignitas ipsius atq; clementia nimia quibusdam, aut etiam nonnullis in rebus remissior videretur: reprehendi, se palàm in senatu patiebatur: sententias in se dictas patienter fe-

rebat, & eas æquissimo animo refellebat, aut illis cedebat, & secundum illas, quod admittebat, corrigebat. Iam verò in comitijs ipsis, nullius regis in Polonia aures vobis ac vestris legatis benigniùs vnquam patebant. Attente perorantes vestros legatos audiebat: postulata vestra clemẽter accipiebat: stultitiam multorum sæpe ac intemperantiam perferebat. Nunquã ille asperoverbo, aut immodestius
*Emisso. *misso excanduit: nunquã iracundia exiluit: quam ille cum omnib. virtutibus continentiæ, grauitatis, iustitiæ ac humanitatis, à se remouisset, facilis in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisq; fuit. Quanto enim motu, quanta contentione illa ad Leopolim Valachico bello pro vestra libertate cum hoc rege egistis? cùm quædam non legitimè fieri: quædam etiam negligi ab illo vobis videntur: quæ tum grauitas, quæ animi æquitas, qui modus, quæ patientia huius regis, quæ vestra libertas actionis tum fuit? & tamen cùm iustè fortasse nonnullis irasci posset, neminem vestrum ne asperiori quidem verbo propterea appellauit, ita, vt etiam illius ipsius actionis authores atq; duces, maximis affecerit propterea præmijs, veluti hos duos fortissimos ac coniunctissimos fratres, Petrum ac Martinum Sborouios, quorum in Republica singularem fidem, obseruãtiam verò erga se summam cùm esset expertus, vtrunque honore senatorio affecit, quorum exemplo ille ad tuendam Rempublicam, caussamq; communem agendam, multos fortes viros ac industrios ex ordine vestro excitauit, veluti hos duos summa spe ac virtute in caussa communi cognitos, Petrum Boratinki Ruthenum, & hunc

& hũc Stanislaum Podlodowski ex Sendomirien si municipio equitẽ, qui cũ in comitijs nuper Pitrakouiæ habitis, quæ postrema Sigismundo fuerunt, grauiorem causslam Reipublicæ suscepissent, quàm vt vtriusque ætas pati videretur: sic tamen à Sigismundo auditi sunt, vt etiam Stanislaum Podlodowski de libertate vestra liberius differentem, lacrymans audiret, & cùm hic Sigismundum in Polonia non imperatorem, sed regem esse diceret, legibusque illum certis regnare oportere, summa cum libertate orationis differeret: annuit ille: ipsoque vultu ac intuitu significauit, se quoque non Imperatorem velle esse, sed regem. O virum omnium literis, sermonibus ac monumentis celebrandum, & dignum, qui non dico homines, sed Deos ipsos regeret, nõ illius tum maiestatis auertit illi à dicẽte Podlodouio oculos: non aures illi clausit regiæ potestatis conscientia. Imò verò vidit, audiuit, ac summo studio audienda sibi ea putauit, quæ liberè de Republica à Podlodouio dicebantur. Dixisses hæc in Neronis senatu Podlodoui? aut alicuius regis Italiæ aures hac ista libertatis voce appetisses? Postremum illo in loco (mihi crede) constitisses, ac vltima vox tibi illa fuisset, quæ tamen ipsa grata Sigismundo fuit, iucunda nobis, glorioſa verò nunc est ipsi tibi. Summa hæc est clementię laus, equites, Sigismundi regis, & haud scio, an omnium maxima, in libera Republica liberas velle versari hominum voces, liberas sententias: denique liberas expostulationes, monitiones ac reprehensiones ferre. Quę qui rex non fert, aut in Republica nõ probat, non rex, sed immanis est tyrannus, qui vt homines liberos in ciuitate non fert: ita

neq; linguas liberas ferre potest, nec iniuria. Tyrannus.n. ipse viuit cũ omniũ inuidia, iniustè ac impiè, sine fide, sine amore, sine vllo beneuolẽtię vinculo, vt meritò fidat nulli, credat nemini, nulli religioni, nulli legi pareat. At Sigismũdus cõtra, omnium, qui vnquã fuerunt, rex mitissimus atq; clementissimus cùm meminisset liberi populi regẽ se esse, certa religione ac certa fide regnãtem vobiscũ non vt cum seruis, sed cum liberis, nõ cum subditis, sed cũ socijs atq; amicis, summa beneuolentia in hac Repub. viuendum sibi esse duxit: vt ex æquo & audiret suos, & audiretur à suis. Quare ita ille vobiscum vixit, vt nõ tantùm aures illius, sed ipsius etiam vitę priuatæ recessus nobis paterent. Aperta stabant illius cubicula, patebant atria, peruia erant nobis illius penetralia, nũquam excludebamur, nisi cùm erat necesse. Admittebamur, adstabamus, audiebamur: liberè querimoniæ de aliorum iniurijs apud eum nobis erant, ac qualibet de re facilis aditus, ac penè assiduus cum illo conuictus nobis fuit, vt nõ solùm mens, sed oculi etiam nostri liberè in vita ac in omnibus cubiculis ipsius versarẽtur: in quib. nullos mores tyrannicos, nullas contra libertatem nostram machinationes, nullum regni dedecus, nullam turpitudinẽ, nullam deniq; intẽperantiam cernebamus. Omnia erant in illius integerrima vita, honesta: in cubiculis verò, decora, ac cum summa regia dignitate, atq; vestra libertate coniuncta. Iam verò quoties prodiebatur è thalamo, in publicumque se ac in turbam dabat, quanta tum, Dij immortales, oris illius dignitas? quæ maiestas? qui hominis illius habitus? qui incessus? qui comitatus fuit? quàm aptus? quàm con-

cinnus? quàm grauis? quàm cultus? quamq; summo rege dignus? quib. rebus cùm in animos hominum flueret, ac mentes omnium hac tanta maiestate occuparet: non timuit venena, non insidias, non conspirationes vllas verebatur, propterea etiam carebat præguſtatoribus, quibus tamẽ ipsis interdum ad speciem vtebatur magis, quàm ad aliquã necessitatem. Senatorum turmis ac equitum incedentis latus claudebatur, non doryphoris hisce, neq; seruis mercenarijs: indignum enim bono rege putabat esse, metum, in suo regno præ se ferri armis, ac in cœtu suorum hostem vereri, ac propterea ab armatis seruari. Tyrannorum sunt ista præsidia, equites, & malè cogitantium hominum de rebus communibus. Fide Sigismundus ac beneuolentia vestra satis se munitum putabat esse: neminem etiam è suis metuebat, cùm æqualiter omnes diligeret, omnibusq; ex æquo se amabilem præberet. Tantumque hac ista fiducia vestri profecit, vt quietè primùm ac tranquillè vitam vobiscum degeret: deinde studijs vestris incredibiles huic regno felicitates atq; opes afferret. Qua enim fide ac voluntate erga hunc regem vos fueritis, testantur multa atq; præclara facinora, huic regi virtute vestra parta, qui cùm talem se regem gereret in omni officio suo ac munere, vt ad summam nihil à vobis in eo desideraretur, meritò tales vos quoq; erga illum gessistis, vt ob summa atque ampliſſima illius in vos ac Rempublicam vestram beneficia, patrẽ patriæ vna voce hunc appellaretis: qui honos post conditã Poloniam huic soli à vobis est habitus: & cùm eum, quem natura mortalem genuerat, vos immortalem esse cuperetis, hunc

Sigiſmundum Auguſtum filium, pignus eſſe voluiſtis fidei ac voluntatis veſtræ erga Sigiſmundũ ſempiternum. Nam cùm hic Auguſtus admodum puer eſſet, ſoloque illo omnes patris ſpes niterentur, & cùm id vobis per leges liberum eſſet, hunc vos honorem patri habuiſtis, vt hunc alium ipſius, tum autem puerum, nec tum ad imperium ætate maturum, magna tamen ſpe præditum: regem viuo patre omnibus veſtris ſuffragijs ſalutaretis, hancque incredibilẽ voluptatẽ patri de filio daretis, vt is veſtro beneficio filium ſucceſſorem ſibi paratum videret, cui nomen Iagellanæ gentis ac familiæ ampliſſimæ dignitatem, regnumque patrium atq; auitum traderet. Magna hæc veſtra erga Sigiſmundum voluntas, ſummum etiam ſtudium veſtrũ fuit. Hanc mentem vt retineatis, mortuoq; illi conſeruetis, veſtræ fidei, veſtræ conſtantiæ eſt, equites: tum verò, vt parem animi voluntatem retineatis in ipſius progeniem totam, quam reliquit, vos ille orat atq; obteſtatur. Aſpicite, equites, hanc lugubrem turbam, hæc fletu deformata corpora, hic filius ipſius cariſſimus, rex veſter eſt: hæc verò illius eſt fidiſſima ac ſanctiſſima coniunx. illæ autem mœſtæ ac dolentes tres filiæ. Hũc cœtum atq; ſobolem clariſſimam regis veſtri colite, equites, ac ſumma veneratione, ſummaq; obſeruãtia habeatis. Tu etiam, Sigiſmunde Auguſte, ſuſcipe hunc ordinem, cuius virtute pater tuus fuit inuictus. Vides in quę pericula regnum tuum incidit: quos hoſtes habeas, quos etiam metuas conſidera. Circumſtant te vndique pericula: aut auxilijs deſtitutos nos vides eſſe: nuſquam in finitimis, nuſquam in alienis præſidijs ſpes eſſe, vndique

que circumfuſa premit te Aſia, hinc ex Hungaria imminet tibi Turcia, hinc Scythia, hinc bellum renouat Moſchouia. Germania poſtremò ipſa referta genere ac ſanguine tuo, non ſatis tuta tibi denunciat. Vides quàm in medio relictus ſis ſolus, vt ſecundum Deum, ſpes tibi nuſquam reſtet, niſi in hoc ordine ac in paterno imitationis exemplo: quod ſi tibi propoſueris, & ſi dies atque noctes in eo recognoſcẽdo fueris, inuenies profectò, quomodo hæc, quæ tibi ampliſſima pater reliquit conſerues. Nihil enim tibi poterit accidere noui, quod in regnando pater tuus non viderit aut non fuerit expertus: tu modò ſapientiæ ipſius ingrediare veſtigijs, ad exemplumque paternum mentem tuam in rebus optimis exerceas, ſenatui pareas, iuſticiam colas, æquus omnibus, addictus nulli fias, religionem Chriſti comiter conſerues, rem militarem augeas, benignius in omnes: pius ac clemens in tuos fias, & breuiter ijſdem itineribus ad virtutem eas, quibus pater tuus peruenit. Suſtines eius rei non mediocrem ſpem. Eſt in tẽ præſtans vtroque genere natura, eſt etiam quod adoleſcentia tua fert, vſus rerum magnarum, omnium ora atq; oculos vides eſſe in te vnum conuerſos, cùm te intuemur, tum de Sigiſmundo patre tuo, tum de maioribus cogitamus. Veniunt enim nobis in mentem, veniunt, te intuentibus, Iagelloneſ illi veteres: Vladiſlai item, Caſimiri atque patrui tui, clari viri: quorum virtute, dignitate atq; exiſtimatione, apud omnes gentes fuimus illuſtres: qui ſi quis mortuis ſenſus eſt, memoriam nominis ſui, dignitatem huius regni, ac omnium noſtrum ſalutem tibi commendant: à te petunt, vt ſuſcipias cauſ-

sam nostram, vtque hanc Rempublicam, & pro illorum dignitate, & pro tua gloria, ac pro nostra salute administres. Idem moriens tibi mandat pater, atque hoc in loco iacens à te postulat. Adest enim profecto, adest illa vis hic, coram qua hoc mortale vigebat corpus, & qua hoc isto corpore ad nostram salutem vsa est: hæc inquam vis diuina aq; immortalis patris tui, hîc coram adstans, te intuetur, tuam fidem implorat, hæc abs te petit, vt ea omnia, quæ in templis, quæ in foro, quę in regno hinc decedens reliquit tibi pater, virtute, fide atq; constantia tua conserues ac defendas: vtque memor sis, te Polonię regem esse: in tua persona huius Reipublicæ faciem expressam esse, vtque ob id non publica tantùm, sed etiam tua priuata (si tamen quid tui priuati hoc in regno est) vt ea, inquam, omnia ad summam ac amplissimam regiam dignitatem tuam referas. Quòd si tu qua in re titubaueris, aut ab officio tuo deflexeris, cadet hoc regnum, stare diu non poterit. Tua enim sapientia illud nitatur, tua iustitia stet, tua virtute defendatur, denique tua clementia floreat, necesse est: hoc magnopere abs te flagitat pater, hoc nos speramus, hocque debitum munus abs te expectamus. Vos etiam Patres conscripti, quos diuina fors quædam huic regi fecit superstites, manete in hac custodia Reipublicæ, in qua vos ille viuus collocauit, vigilate, multæ sunt insidiæ nobis, multæ inimicitię, hostes infiniti: pericula verò tanta, quanta post conditum hoc regnum non fuerunt. Nullam salutis spes ostenditur, nisi in vestra concordia. Erigite vos, per Deos immortales, ac odia, si quæ nobis insunt, Reipublicæ caussa ponite, vt commune of-

ne officium senatorium, communi animo ac voluntate defendatis. Quid enim salui in hoc regno fore putabitis, distracto in partes senatu, variatis vestris sententijs, equitibus postremò ipsis, vestris inimicitijs diuisis atque incensis? Iam verò metus externi hostis ac imminentis periculi, vos in mutua pace atque beneuolentia contineat: quæ res semper apud optimos ac prestantissimos ciues plurimùm potuit, vt, quo die Magistratum initent, eodem in gratiam redirent, turpe sibi fore rati, cùm in Repub. eadem societate coniungerentur, nõ eadem eos fide coniungi: quę ibi esse nequit, vbi concordia est nulla. Fecerunt hoc illi veteres sine Deo homines Greci, Scipiones, Lepidi, Metelli. Vos qui certo ac vero Deo viuitis, non facietis? præsertim cùm finem legis vestræ, caritatem sciatis esse: quam si ex ordine vestro tollitis, & Remp. amittetis, & vosipsi peribitis. Non est enim, quod quis speret rectis consilijs ibi locum esse, vbi caritas est nulla, & vbi in locum huius successit odium & iracundia. Ira enim viri, Apostolo teste, iusticiam Dei non operatur. Quid dicam odium ipsum? quod cùm inueterauerit, animi lumen extinguit, densasq; menti tenebras offundit. Veniant vobis in mentem, Patres conscripti, quanta odia illa Græcorum, quanta Romanorum, quãta etiam hæc ista recentia Hungarorum fuerunt: quibus odijs potentissimæ nationes ac florentissima imperia corruerunt: senatorũ (mihi credite) culpa illa fuit. Dum enim se quisque in Republica ostentat, dum potentiam suam iactat, dum operam venditat, postremò dum se magnum vult videri, calamitate communi, & senatus, & plebs vna perit. Ne hoc sinat Deus *Iacob. 1.*

optimus maximus in cuius cura sumus, vt hoc inclytum regnum, hic inuictus populus, vestras discordias publico luat interitu. Quare vincite per Deos *Vestros immortales animos*, Patres conscripti, ac illos retinete in officio, plus apud vos valeat malum publicum odio priuato vestro. Date hoc Reipublicæ, Patres conscripti, date nobis, date saluti communi, date vobisipsis, coniugibus, liberisque vestris, quorum supplicio ac interitu expiabuntur, mihi credite, discordiæ vestræ, nisi prouidetis. Reijcite controuersias priuatarum rerum: sit Respublica seges & materia vestræ gloriæ. Hanc exercete per Deos immortales, Patres conscripti, quæ multis circumsepta hostibus, ac magnis vndiq; cincta periculis, vobis supplices manus tendit, vos orat atq; obtestatur, vt reconciliatis vestris animis, saluam atque incolumem illam velitis esse, & certè talem, qualis Sigismundo regi fuit. Hoc res ipsa publica, hoc etiam Sigismundus à vobis ipse postulat: qui hunc filium suum clarissimum atque optimũ respectans, vos ex alto intuetur, à vobisque petit, per Deum ipsum, quem castè, religioseque in Polonia coluit, per Rempublicam, quam amplissimam vobis reliquit, per salutem vestram, quæ illi vita propria carior viuẽdi fuit, vt cum hoc Augusto rege, filio autẽ suo cõiuncti inter vos fidelissima gratia, & religionem Dei Opti. Maxi. & dignitatẽ Reipublicæ, & salutem omnium conseruetis. Non est, non est tergiuersandi locus: mouent omnia, vrgent omnia atque instant. Quantum tandem huius morte hostium animos creuisse putatis? Num Moschouiam? num Scythiam? num Turciam, atque Valachiam, parum huius morte sperare cœpisse

cœpisse existimatis? Occasionem, mihi credite, huius morte, ad occupandam Poloniam sibi oblatam esse nationes illæ arbitrantur: quæ quidem omnes nullis vobiscum neq; legibus, neq; certo pacis iure sunt coniunctæ. In concordia ergo vestra, ac in mutua beneuolentia spes omnis sita est salutis communis, atque huius Reipublicæ retinendæ. Quæ nunc morte regis sui exanimata, ac propè conuulsa sedibus suis, ad complectendum conseruatorem suum gemens ac mœsta venit: illi gratias agit mortuo, tibiq; in primis, summe Deus, qui hunc hominem ad genus humanum cõseruandum, & ad hoc regnum constituendum in terras miseris: cuius beneficio ad hanc diem stant res nostræ, ac cuius opera hoc regnũ floret ingenijs, valet opibus, pace ac ocio fruitur, ac legibus optimis viuit: huius postremò monumenta multa ac præclara æternitate ipsâ consecratâ assiduè intuetur. Tibi nos, Sigismunde, hæc omnia debemus, tibi hęc accepta ferimus, tua munera sunt ista, tua summa beneficia. Per te nos illustrati sumus, per te exteris gentibus cogniti: te authore atq; duce, Polonum venerabantur nomen omnes gentes, Græcæ, Latinæ, ac Barbaræ: tuis victorijs hostes nostri debilitabantur: tuo fœdere ac societate amici nostri lætabantur. Tu iudex regum, tu pacificator gentium, tu moderator nationum ac conseruator omnium fuisti. Tu hanc Rempublicam affinitatibus primò, deinde cõiugijs cum exteris nationibus coniunxisti: tu author legum nostrarum, tu magister morum ac disciplinæ fuisti: hem nostra lux, nostrum desiderium, Sigismunde iaces. Ad quem nunc confugiemus? à quo opem petemus? quem hosti-

bus nostris opponemus? qua pace, quo bello, quo fœdere nitemur? ô acerbã mihi, equites memoriam harum rerum omnium: ô flebiles exequias: ô vitam infelicem, quę orbata es hoc isto rege atq; patre. Tibi enim morte huius ornamenta sunt detracta, tibi præsidia adempta, tibi solatia sublata: solus hic restat tibi dolor, mœror ac gemitus: in quo tamen ipso luctu ac mœrore nostro, Sigismunde Auguste rex, ad te venimus: tibi nos penitus tradimus: tu spes nostras, patris tui morte fractas, restituas: tu salutẽ conserues: tu libertatem nostrã legib. atq; armis defendas. Vos etiam, equites, atq; vos Patres conscripti, memoriam regis vestri piè, inuiolateque seruabitis. Plura ne dicã tuæ me, Auguste, lacrymæ, impediunt, vestræque equites, non solùm meæ: quibus mouemur, vt à Deo precemur, quo Deus huic mortuo propitius, nobis verò benignus velit esse.

TERTII BELLI DESCRIPTIO, QVOD MAGNVS RVTHENORVM IMPERATOR CONTRA *Liuones gessit, an.* 1558. *quo ciuitas & prouincia Torpatensis à principe Moschouitarum expugnata, victa, & subiugata est.*

ATrox & memorabile prælium gesserunt Liuones contra Ruthenos anno Domini 1500. sub ordinis Teuthonici Magistro D. Waltero à Plettemburg, excelsi animi, & magnæ industriæ viro. Nondum vana doctrina, aut vlla hæresis eos à Catholicismo transuersos egerat, sed priscam, auitamque religionem summa pietate & fide colebant. Igitur cùm Teuthonicus Magister cum Ruthenis confligere statuisset, publica seruitia, & solennes Litanias triduo seruandas indicit paulò post Natalem Virginis matris, vt communibus votis diuinam opem, & prosperum prælij euentum obtinerent. Conscribit deinde Magister Præfectos, & Commendatores vniuersos cum nobilibus totius Prouinciæ, quibus copias, & auxilia sua coniungunt quatuor Liuoniæ episcopi, Rigensis, Torpatensis, Riualiensis, & Habselensis. Rigensis mille Germanos equites adducit. Torpatensis, quingentos. Riualiensis & Habselensis, itidem quingentos simul, ita vt Magister Teuthonicus septem haberet Germanorum equitum millia, & quinque millia Curonum, qui populi sunt Liuoniæ. Hoc exercitu Magister Ruthenorum fines inuadit, arcesq; & oppida quædam expugnat. Inde ipso exaltationis Crucis die ad vrbem Plescouiam tendunt. Iuxta hanc sita est planicies duorum milliariorum amplitudine in quam vbi deuenere, obuiam illis procedit Ruthenorum imperator, cum centenis millibus armatorum, qui in duodecim acies distributi erant. His adiuncta erat ingens Tartarorum manus triginta millia conficiens. Itaq; Teuthonicus Magister, vbi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo aduersus tantum exercitum, barbarie & armis formidabilem, procedendum videt, nequicquam de victoriæ spe remittens, fortunã belli tentare statuit, & paucis suorum animos cõfirmat. Præclaram sanè victoriam, inquit,

ô milites hodie nobis obuenturam de numinis benignitate,& vestra omnium fortitudine facilè mihi promitto, In caussa iustissima, Dij non possunt non esse propitij. Vos tantummodo pristinæ strenuitatis & cõstantię memores, existimate vos, decus, gloriam, patriam, libertatem, & religionem, in dextris vestris portare. Alios fortasse ingens barbarę gentis multitudo animo deijceret. Vos verò milites dum cõsidero,& cùm vestra facta æstimo, quibus parentes, patriam, aras, & focos, auitamq; aduersus hæreditarios Catholicæ pietatis hostes, fidem sæpenumero tutati estis, eandemque ad extremum vitæ, armis, & sanguine vestro vindicare cupitis, magna me spes victoriæ tenet, animus, ætas, virtus vestra hortantur. Hæc vbi dixit non multò pòst vtrinq; signa canuntur, Teuthonicus Magister glandes ferreas,& globos tormentarios, velut crebra, cõtinuaque tonitrua in Tattaros contorquet, inde maximo clamore infestis signis vtrique concurrunt, gladijs, lanceis, omniq; telorum genere res geritur. Tartari, & Moschouij arcubus,& sagittis assueti, densissimo, creberrimoque telorum iactu æthera obumbrant, quæ tamen vniuersa penè irrita aërem verberant, donec vltro in terram decidunt. Ingens ibi sonitus, ad cælum attollitur, bombardarum fulmina, armorum fragor, vulneratorum gemitus, pereuntium clamor, tympanorum sonitus, equorum hinnitus, omnia & Martem,& mortem referebant. Tartari vbi prælio fusi, fugatiq;, succedunt duodecim Moschouiorum acies, animis, & virtute recentes. Teuthonici cæsis, Tartaris vbi bellum recrudescere sentiunt, quantò maiorem hostium vim prioribus succedere

cedere conspiciunt, tantò maioribus animis in hostes irruere,& velut ab integro noua virtute resumpta, ingenti cum fremitu cæsim, punctimq; confligere, vergente iam adveſperam die, qui ex Moschouijs supererant, furtim se Plescouiam subducunt. Prælio ita dirempto, compertum est ex Teuthonicorum agmine vnum duntaxat interemptum: Moschouiorum verò & Tartarorum circiter centena millia trucidatos, vt duobus milliaribus cadauera passim dispersa iacerent. Memorabilis hic erat triumphus & singulare virtutis, & fortitudinis exemplum, ac dignum, quod sempiterna memoria donatum, nunquam aboleatur. Moschouiorum Imperator, (qui ipse in aciem non prodierat) cum summo stupore admiratur tantum exercitum, tam exigua manu, tam turpiter cæsum & prostratum, atq; illico pacẽ quinquaginta annis cum Teuthonibus firmat. Qua inita, omniq; bellico tumultu cõposito, legatũ magnus Moschouię dux ad ordinis Magistrũ ablegat, rogans, vti vnum quempiam ex ferreis illis militib. (Rutheni Teuthones ferreos vocabãt) qui tantã Moschouiorum multitudinem fuderant, ad se mittat, se vnà cum legato obsidem mittere, ferreum illum virum non inhonoratum, indonatumque ad suos reuersurum. Magister Teuthonicus haud inuitè vnum è militibus cataphractum equitẽ Moschouiam versus destinat, quem vbi Moschouię princeps aduentare accipit, confestim vniuersis ducibus, nobilibus, & Præfectis suis denunciant, vti præscripto die Moschouiam conueniant, nouum, visuque dignum spectaculum eos habituros. Destinato die cataphractus in apertam planiciem iuxta aulam prin-

cipis, numerosa (vt fit) populi corona, circumstante, procedit, & huc, illucq; obequitans, petasum è capite cuiuspiam circumstantis abripit, eumq; in hippodromi centrum proijcit. Illico pleno cursu lanceam in petasum dirigit, eumq; dicto citius cuspide arreptum terra subleuat. Moschouius Imperator eam equitis agilitatem cõspiciens, vrsi in morem (solent id facere Moschouij admirantes) barrit. Rursum cataphractus demissa paululum lancea, in oppositum parietem perniciissimo cursu fertur. Ac tametsi parietem inuasurus videretur, ille tamen protinus intacto muro hastam reducit, & equum retrahit. Illud spectaculum denuo principis, omniumq; circumstantium admiratio subsequitur. Resumpta iterato lancea plenissimo impetu in parietẽ fertur, hastaq; circumuolitantibus vndiq; fragmentis, confringit. Hæc vbi omni dexteritate expedite gessit cataphractus, vocatur ad principem, & accepto insigni munere ad Teutonicum Magistrum remittitur.

Vbi iam quinquagesimus à pace firmata ageretur annus, videlicet anno 1550. vt pactæ induciæ propediem essent expiraturæ. Reuerendissimus princeps D. Iodocus à Reck, episcopus Torpatensis magnæ virtutis, & pietatis vir, magnis impendijs, & sumptibus denuo quinquennales inducias à Ruthenorum Imperatore impetrat, talibus conditionibus, si templa Moschouiorum Rigæ, Riualiæ, & Torpati diruta, restaurarentur. Præterea si è prouincia Torpatensi, tributa, quæ exigebat, penderentur, & alijs, si quæ essent, querelis, satisfieret. Quæ omnia si præstarent, pollicetur, Moschouius quindecim annorum pacem deinde concessurum.

surum. Igitur anno 1555. hac quinquennali pace iterum expirante, Teuthonicus Magister, & episcopus Torpatensis Hermannus rursum legatos ad Moschouiæ principem ablegant, pacis expetendæ caussa. Quibus Moschouius dux respondet, nullam se pacem Germanis indulturum, quãdoquidem basilicas suas non reædificassent, nec tributum persoluissent. Cæterùm intercedentibus Moschouij ducis consiliarijs, triennales inducias promittit, modò spondeant, proximo triennio euersa fana restauraturos, & ex prouincia Torpatensi, singulos homines quotãnis singulas marcas tributi loco persoluturos exceptis Catholicæ religionis sacerdotibus, quos ab hac præstatione eximebat. Hæc si facturos se promitterent, & sigillo restaurẽtur, triennalem pacem in gratiam consiliariorum ac ducum suorum cõcessurum pollicetur. Subsignant legati, maximè quoniam episcopus Torpatensis mandârat, vt saltẽ quouis modo pacem referrent. Erat autem consuetudinis, vt & Moschouiæ princeps legatũ ad episcopum mitteret, qui firmandæ & stabiliendæ pacis caussa crucem quandam osculabatur. Legatus vbi Torpatum venit, recusat crucis osculum, nisi episcopus & ciuitas Torpatensis idem, quod legati Torpatenses subsignauerant, suo quoq; sigillo cõmunirent. Habebat id temporis episcopus Torpatensis cancellarium Lutheranis dogmatibus impense fauentem, qui & postea anno 1558. expugnata ciuitate Torpatensi, Habseliæ in carcerem cõiectus, tandem vt facinorosus ignominiosa morte vitã clausit. Is episcopo suadet, vt securè quod petebatur, subsignaret, ac postea spem Moschouiorum eluderet, Liuones eius

esse roboris & potentiæ, vt Moschouius princeps haud facilè eos bello esset appetiturus. His ita peractis, Moschouij legatus ad principem suum reuertitur. Interea nihil eorum, quæ postulata & pacta erant, præstant Liuones. Elapso igitur triennio, bellum hunc in modum exoritur, anno 1558. circa Epiphaniam.

Habebat id temporis Teuthonicus Magister sex militum Germanorum vexilla, quos aduersus regem Polonię in aciem produxerat. Igitur anno 1557. circa ferias Michaëlis veredarium ablegat Teuthonicus Magister ad magnum Moschouiæ ducem, sciscitatur, an legatos ad se mittere debeat pacis diuturnioris firmandę caussa, an verò pace recusata bellum eligat. Respondet Moschouius, Magistrum adhuc sex militum habere vexilla, quos si seruare proponat, nihil opus esse legatis, nolle se ad inducias cōpelli: sin eos dimittere paratus sit, mittendos esse legatos, & de pace sancienda tractādum. Hoc responso accepto, omnes Liuonię proceres congregantur, & quid faciundum consultant. Quidam ætate grandiores suadent retinendum esse militem, facilè animaduerti, Moschouium principem bellum meditari, quandoquidem conuentiones initas Liuones non præstitissent: nequaquam igitur dimittendum exercitum, sed totidem signa denuo conscribenda, eaque in finibus Ruthenorum collocanda. Teuthonicus verò Magister cum alijs quibusdam respondent, non esse dandam Moschouio belli occasionem, dimittendos esse milites. Si quid deinde moliatur Moschouius, superesse adhuc viros & vires, quibus illi aduersum iri possit. Hæc sententia præ-

prævaluit, & illico exercitu dimisso paulò post Martini ferias Teuthonicus Magister legatos cum centum equitibus, magno cum fastu, splendore & apparatu ad Moschouium mittit, quibus Satrapam suam coniungit episcopus Torpatensis. Vbi ad magnum Moschouiæ principem ventum, princeps atrium suum auro vndique resplendens ingreditur, aureum solium occupat, corona regia & sceptro insignitus. Apponitur mensa deaurata, seniores consiliarij numero duodecim lateri sinistro assidēt, qui vniuersi ac recepto more, quoties consilium agitari contingit, vestes Leuiticas aureas induti: Magnus verò dux palla chorali seu sacerdotali circumdatus. Assumit prętera magnus dux duos interpretes, qui Germanicam simul & Ruthenicam linguam callebant. Interrogat Moschouius, an pacem expeterēt? Asserunt illud Liuones, simulque scyphos deauratos à Torpatensi episcopo & ordinis Teuthonici Magistro principi Moschouio missos offerunt. Recipit eos Moschouius, & in proximum triclinium deferri iubet. Moschouius principio recensēt eorum perfidiam, qui toties pactas conuentiones eluissent, nec quicquam eorum, quæ spoponderant, & sigillis confirmauerant, præstitissent. Maiorum prætereā pietatē, fidem & heroicas virtutes refert, à qua ipsos planè degenerasse ait, cultum diuinum à maioribus acceptū abrogasse, basilicas euertisse, sacerdotes & monachos profligasse: denique nullum pristinæ pietatis & virtutis vestigium retinuisse, nō illos esse ecclesiasticos principes, sed quouis barbaro magis profanos, qui tam in omne vitiorum, flagitiorumque genus propendeant, eoque pacē nul-

lo pacto illis concedendam. Ad hæc Teutonici respondent: Se ex maiorum dationibus & computu bene subductis, deprehendere nullum tributum Moschouio deberi, quòd autem pacem deneget, id Romano Imperatori se questuros. Respondet Moschouius, quas illi querelas imperatori offerre instituant, qui mandatis eius imperialibus, quibus præceperat, ne templa aut monasteria demolirentur, tam procaciter & obstrepere derogassent? His ita peractis, legati discedunt ad pandochium, equos instruunt, Moschouium principem rogant, ducem itineris concedat, qui in Liuoniam eos reducat. Cæterùm dati à Moschouio duces, per ambages ac deuia legatos fraudulenter circumducunt, ita vt in patriam terram non reuerterentur ante principium Quadragesimæ. Interea magnus Moschouiæ dux missa ad Liuones epistola, bellum indicit, cuius tenor hic erat:

WILHELME LIVONVM MAGISTER, archiepiscope Rigensis, episcope Torpatensis, cæterique episcopi, & vniuersi Liuones. Misistis ad nos legatos vestros, viros bonos, Iuanum Bockhorst, Othonem Grothuis, & Volmarium Wrangel, cum reliquis adiunctis, vt capite coram nobis inclinato, peterent Teuthonico Magistro, archiepiscopo Rigensi, episcopo Torpatensi, cunctisq; Liuoniæ populis, hanc à nobis gratiam fieri, vt dato ad Præfectos nostros Naugardiæ & Pleskouiæ mandato, pax cum Liuonibus iuxta veterem morem sanciretur. Nos verò Præfectis nostris mandauimus, nullam vobiscum propter vestrã iniusticiam vindicare. Cæterùm legati vestri Iuanus Bockhorst cum suis collegis eam pacem

pacem à nobis exorarunt, ijs conditionibus: Vt Magister Teuthonicus, archiepiscopus Rigensis, & episcopus Torpatensis, cunctique Liuones, quicquid iniustè contra nos moliti sunt, id restituant, & resarciant. Præterea illico nostris negociatoribus concedant, cum suis negociari mercatoribus, omnisque mercium generibus, vtpote cere, seui, loricarum, & armorũ mutationes facere. Item vt episcopus Torpatensis cõquirat tributum omnium præteritorum annorum, & vniuersa debita ex tota diœcesi Torpatensi, de vno quoq; capite marcã Germanicam, tertio pacis firmatæ anno mittendam. Atque hoc nostrum tributum deinceps singulis annis dare debeat episcopus sine dilatione omnibus quoque seruitium, aut ministerium præstare volentibus, ex quacunque natione veniant, citra vllum impedimentum liberum in nostras regiones accessum & commeatum concedant. Regi quoque Poloniæ, & magni Duci Lithuaniæ, aut si alius quis in regem Poloniæ, aut magnum Ducem Lituaniæ surrogetur, nullas suppetias, & auxilia vlla in re ferant. Quicquid præterea literæ super pace firmata confectæ, quæ multoties descriptę sunt, & quarũ nomine crucem coram omnibus vobis osculati sunt, continent, ea omnia ritè, legitimeq; præstetis. Insuper & præfecti nostri magnæ Naugardiæ, & Plescouiæ has de pace inita literas, ad vos per nuncium suum Melardum Torpico miserunt: Teuthonicusquoq; Magister, archiepiscopus Rigensis, episcopus Torpatensis, cęteriq; episcopi loco & vice omnium Liuonum super his literis, crucem exosculati sunt, & dextras porrexerunt: octo etiam sigillis easdem coram Melardo

Torpico communiuerunt, & per eundem Melardum nuncium ad noſtros præfectos ita communitas tranſmiſerunt: eum in finem, quòd iuxta literarum tenorẽ omnia nos, & præfectos noſtros concernentia, iuſtè & legitimè exequi velletis, prout in literis ſcriptum cõtinetur, in hunc vſque diem. Horum omnium nihil adhuc præſtitiſtis. Interea nos ne Chriſtianus ſanguis temerè effunderetur, ſæpenumero per literas vos monuimus, vt hæc pacta iuxta contextum, literarum de pace conſcriptarum iuſtè & rectè exequeremini. Similiter per legatũ veſtrum Gerhardum Flemmingk, & nuncium Valentinum, item per Melchiorem cum ſuis adiunctis, itemque per Henricum Winter vobis nunciauimus, vt à verbis iniuſtis, & minimè veracibus temperaretis, vtq; probos & integros vos præſtaretis in omnibus cauſſis, iuxta literas pacis & crucis oſculum, veſtramque culpam agnoſceretis, ne ſanguis innoxius effunderetur. Vos verò noſtram clementiam ſpreuiſtis, & literas liberi commeatus à nobis poſtulaſtis, ea ſolùm de cauſſa, vt res longius protelaretur. Et quòniam legem diuinam, omnemque veritatem poſtpoſuiſtis, nec de crucis oſculo quicquam cogitatis, noſtramque gratiam & clementiam aſpernamini, ea propter meditamur inuocato diuino auxilio, iuſtitiæ noſtræ ergo, & veſtræ iniuſtitiæ, quam in crucem Altiſſimi deſignaſtis, vos vlciſci, & veſtram præuaricationem vindicare. Deo igitur nobis auxilium præſtante, & alterutrorum ſanguinem profunderute, certum erit eum, non noſtram ob culpam, ſed veſtram iniuſtitiam profundi. Hoc ſcitote, nos non minùs ac vos eſſe Chriſtianum principem, nec vnquam

quam gratum nobis fore ſpectaculum, ſi vllius ſanguinem innocentem à nobis profundi videamus, ſiue Chriſtianus ille ſit, ſiue gentilis. Vt autem iniuſtitiam veſtram agnoſcatis, decreuimus nunc magnificam & præpotentem noſtram virtutem hac epiſtola, qua bellum vobis indicimus, ad effectum deducere, quam epiſtolam per hunc noſtrum miniſtrum ad vos deſtinamus, iubentes, ne inuitum illum detineatis, ſed liberum ad nos regreſſum concedatis. Datum in noſtro dominio, aula & vrbe noſtra Mosko, anno 1557. Menſe Nouembri.

Nec multò poſt Epiphaniam, anno 1558. trecentena millia militũ conſcribit, atq; in Liuoniam mittit, vt ferro & incendio vniuerſam prouinciam Torpatenſem hoſtiliter vaſtent.

Moſchouius ingentem exercitum longo tempore ſuſtentare poteſt. Neque enim militibus ſuis ſtipendia largitur, ſed agros exiguo illis precio elocat, quo beneficio operam ipſorũ demeretur. Conſcripti autem milites coram magno principe compârent, & nummum, quem vocant *eyndenninck*, æſtimationis vnius ſtuferi Brabantici principi numerant. Reuerſi ex bello eundem nummum repetũt. Occiſorum autem numiſmata retinet princeps, atque ita cognoſcit interfectorum numerum. Hic igitur tam vaſtus & barbarus exercitus, octauo poſt Epiphaniam die Torpatenſem diœceſin inuadit, duorumque milliarium latitudine incedentes omnia vaſtant, diripiunt, deſpoliant, deprædantur ædes, & pagos, & cuncta obuia incendio, homines & pecudes gladio ſuſtollere, iugulare, trucidare, euertere, ſurſum, deorſumque omnia iactare, non ætati, non

sexui parcere, non gemitu, non luctu, non clamore, & vlulatu pereuntium emolliri, omnia ibi cædibus, sanguine & incendio inundare, confligere, conflagrare. Pueros infra annum decimum necant, qui intra decimum & vigesimum annum cõstituti, Tartaris velut mancipia venduntur: qui vigesimum superabant, vniuersi nulla miseratione trucidantur. Greges, armenta & iumenta, quæ nec assumi, nec abduci in Moschouiam poterant, vniuersa mactantur: pagos, vicos ac domos priusquam incendio vastant, prædatoria manu despoliant, omniaq; vsibus suis accommoda diripiunt, ita vt ingentem frumentorum, pecorum, aliarumq; rerum prædam auehe rent. Quadraginta dies hanc tam immanem truculentiam barbarus ille populus exercet, vniuersam Torpatensem prouinciam miserè & crudeliter fœdans, diripiens ac deuastans, paucis arcibus, & vna Torpatensi ciuitate exceptis, in qua quotquot erant vndique nihil præter flammam & fumum conspiciunt, luctu, clamore, & eiulatu campi, & siluæ reboant. Ac tantum abérat, vt Moschouij Liuones restituros metuerent, vt iuxta ipsam ciuitatem Torpatensem ædificia penè contigua succenderent.

Maximè autem Moschouius exercitus in Germanos sæuiebat, quos vbi deprehendissent miserè & immaniter afflictabant. Viros brachijs truncant: mulieribus vbera abscindunt, alios in frusta dissecant, & membra trementia huc, illucq; disseminant. Crudele profectò, & plusquam belluinum spectaculum. Heu cadit in quenquam tantũ scelus? Igitur Moschouijs tam inhumaniter & supra omnem modum desæuientibus, & cuncta obuia depopulantibus,

tibus, immensa nobilium, & plebeiorum multitudo in ciuitatem Torpatensem cum vxoribus, liberis, & quas habebant facultatulis, veluti ad asylum confugiunt: non è vicinis duntaxat pagis, sed qui vltra decem, & viginti milliaria degebant, quorum omnium numerus exiguo temporis momẽto in tantam excreuit multitudinem, vt plateę, cœmiteria, & pomœria vndiq;, & vbique scaterent. Et cùm ciuitas tam immensam hominum copiam ambitu suo capere non posset, vltra decem millia cum mulieribus, & liberis in fossas ciuitatis confugiunt. Magna ibi calamitas & miseria conspicitur, inopes, nudi, & inermes sub dio passim sternuntur, cum gelu, glacie, frigore & niuibus omnia horrerẽt, asperrima erat hyems, & frigus intensissimum, vt plurimi intoleranda frigoris asperitate, & horrore stupentes enecarentur. Alij fame, siti & inedia consumpti, vix ossibus hærentes, afflictam animam exhalant: alij frigoris, & inediæ paulò patientiores, omni miseriarum genere cooperti, omnibusq; vitæ adminiculis destituti, quoad possunt, ęgrè vitam protrahunt: sed nec tantis ærumnis ac doloribus superatis, sperato potiuntur effugio. Superueniens enim Moschouiorum exercitus, in ipsas fossas, vbi infelix hæc plebecula duriter, & miserè latitabat, præcipites ruunt, gladijs, lanceis, sagittis, omniq; armorũ genere eos inuadũt, sauciant, iugulant, cõfodiunt plagis, & vulneribus opplent, ibi noua calamitas, luctus, clamor, vlulatus, miserię miserijs accumulantur. Oppidani tantã hostium vim ac truculẽtiam cõspicientes, metu, & formidine præsentanei discriminis anxij, nullas ijs, qui foris erant suppetias ferre audent, sed

intra vallum, & mœnia se continent. Quando igitur prodire, & cominus cum hoste confligere formidant, tormentis, & machinis bellicis instructis, glandes, & globos tormentarios in hostes iaculantur, ita vt Moschouij tandem à ciuitate recederent. Igitur prouincia Torpatensi funditus deuastata, in ditionem Teuthonici Magistri per territorium Leidense proficiscuntur, ibidemq; vti antea fecerant, vniuersa depopulantur, vt ne tugurium quidem vnum incolume permaneret. Inde in ditionem Neruiensem, Teuthonici quoq; Magistri dominio subiectam, progrediuntur, itidem omnia deprędantes, & euertentes, vt res non belli, sed rapinæ potiùs, & latrocinij speciem haberet. Ingressus erat exercitus Liuoniam ea parte, qua episcopus Torpatensis arcem habet Nyenhusen, rursumq; circa Quadragesimæ principium per territorium Neruiense ingentibus spolijs in Rutheniam regrediuntur, quę ab inuicem plusquam quadraginta milliaribus distant. Interea per vniuersam illam Liuoniæ prouinciam grassantes, sedecim milliarium latitudinem, peragrarunt, nihil saluum, & incolume relinquentes. Prima hæc fuit id temporis Moschouiorum in Liuoniam irruptio, in qua nec Teuthonicus Magister, nec episcoporum vllus, hostilibus illorum vastationibus, rapinis, & incendijs quicquam restiterunt.

Tanta clade accepta, vniuersi Liuoniæ proceres circa Dominicam Oculi, in Quadragesima, in ciuitatem Wendensem conueniunt, quid in rebus tam deploratis consilij captandum sit, cõsultant. Eodem tempore Torpati ingens ac terribilis cometa conspicitur, oblongo, & formidabili radio vniuersis

suspicientibus horrorem incutiens. Proceres dum consilia inter se conferunt, principio discordare, alij conscribendum militem suadent, & post ferias Paschales finitima quæque Moschouiorum, ferro & incendio depopulanda, suorumque innoxium sanguinem pari crudelitate vindicandum, toties barbarum illum tyrannum, fusum, fugatumque à maioribus, non tantum virium, aut roboris illi accessisse, quin & nunc vinci, superariq; possit. Alij bellicas impensas, & hostis potentiam considerantes, cõsulunt, sexaginta aut septuaginta thalerorum millia ad magnum Moschouiæ ducem mittenda, pacemq; redimendam, iniustam, emptamque pacem legitimo bello, hac tempestate præferendam, pecuniam eam haud multis, magnisve stipendijs erogandis sufficere, qua non difficulter pacem sint impetraturi. Qua sententia tandem omnibus suffragijs recepta, Teuthonicus Magister illico circa mediũ Quadragesimę veredarium ad Moschouium principem ablegat, petens quadrimestres inducias, & liberum accessum in Moschouiam pro firmanda pace. Moschouius petitas inducias, cæteraque omnia concedit. Igitur circa octauam Paschæ diem Teuthonicus Magister quosdam deligit, qui legationem ad Moschouiæ principem obeant. Itidem episcopus Torpatensis suos legatos adornat. Et quoniam compertum habebat Moschouium nonnullis, propter cognitam eorum in rebus nouis moliendis audaciam, plus satis infestum, destinat legationi perferendæ D. Wolffgangum Zager, Metropolitanæ ecclesiæ Torpatensis Decanum virum antiqua pietate, doctrina, & virtute præstantem, qui & nouennio, pu-

blico ecclesiasticæ munere perfunctus erat, priusquã D. Philippus Olmen huius historiæ spectator ad idem munus asciscereturus. Erat strenuus catholicæ religionis vindex, & collegium cui præerat pro sua virili penè 20. annis optimè gubernârat, ita vt nouæ factionis sectatores eum Liuoniæ Papam appellitarent. Verùm quinquaginta Ruthenicæ ditionis miliaribus emensis, morbo correptus, vitam morte commutat. Erat præterea duobus à Torpato milliaribus quidam equestris ordinis vir, primæ apud Liuones nobilitatis, qui itidem cum familia & subditis in catholica religione perstabat. Hic Decano in legatione perferenda adiungitur. Legati postquam ad magnum Moschouiæ ducem perueniunt, pecuniam paci redimendæ destinatam adferentes, perturbatum infestumq; ducis animum comperiunt, nec vllam pacem, vllasve inducias impetrant. Caussa hęc fuit. Habebat Teutonicus Magister oppidum in Ruthenorum confinio situm, cui nomen Neruio, atq; ibi arcem. Habebat quoq; Moschouius dux iuxta Neruiam illam oppidum, itidẽ Neruia appellatum, & castro insigni munitum. Hæc duo oppida adeò erant confinia, vt vno tantum fluuiolo interlabente distinguerentur. Magistri ciuitas Germanica Neruia, Moschouij Ruthenica Neruia vocabatur. Ordinis Teutonici Magister in sua Neruia præter quendam ordinis Commendatorem, qui ciuitatis præfectum agebat, trecentos milites, & centum quinquaginta equites præsidij loco aduersum Ruthenos collocarat. Rebus ecclesiasticis tum in templo, tum in arce Lutheranum cõcionatorẽ præfecerat. Moschouius dux in sua Neruia tria millia Ruthe-

Ruthenorum constituerat. Vbi quadrimestrium illarum induciarum, de quibus paulò antè dictũ est, vnus mensis præterijsset, & legati iam compluribus diebus in itinere fuissent, (distat enim Moschus ciuitas à Torpato centum quinquaginta militaria Germanica) contigit, vt commendatoris ministri è turribus prospicientes, viderent ingentem Ruthenorum turbam in Ruthenica Neruia obambulantem. Illi confestim seu proteruia seu largiore potu stimulante, duos colubros puluere tormentario grauant, in Ruthenos dirigunt, & ferreas glandes in mediam turbam iaculantur. Cæteri Cõmendatoris ministri, & milites qui in vicinis propugnaculis & turribus præsidium agebant, pactas cum Ruthenis inducias expirasse putabant, nec mora grauatis nitro, instructisq; tormẽtis certatim eosdẽ Ruthenos creberrimis globis ac telis inuadunt, vt plurimi eorum occumberent. Ruthenis religio erat violare inducias, eoq; nullum in hostes telum retorquent, sed cõfestim emissarium ad magnum Moschouię principem ablegant, nuntiantes quàm perfidè, & iniquè Liuones pactas inducias rupissent, plurimosq; Ruthenorum nullo bello legitimè denunciato præter omnium opinionem telis & globis tormentarijs hostiliter inuasissent, & miserè traiecissent. Hoc nuncium eodem tempore quo Liuonũ legati Moschum peruenerant, ad magnum ducem perfertur. Legati huius tẽpestatis ignari ad principẽ accedunt de pace tractaturi. Princeps recẽti suorum clade, & Liuonum scelere nũciato commotus, indignabundus exprobrat legatis, quàm perfidè Neruienses inducias violauerint, Ruthenos contra ius & fas ex

inopinato oppetiuerint, obruerint, interfecerint, impiam esse doctrinam, quam paucis ab annis susceperint, priori religione profligata, omnē illos virtutem, fidem, constantiam, pudorem simul exuisse. Minatur insuper se tam insignem perfidiam ferro & flamma seuerè vindicaturum, frustra cum illis de pace tractari, quorum animus rapinis, libidinibus, omnibusque flagitiorum genetibus turpissimè sit delibutus. Ad suos redeant, pecuniam Magistro referant, se paulò pòst secuturum.

Legatis in Liuoniam reuersis, magnus Moschouiæ dux ingentem exercitum cum prægrandibus bombardis & machinis Neruiam Germanicam versus mittit, ciuitatem obsidet, armato milite & tormentis murosinuadit. Octauo obsidionis die, ignem in ciuitatem iaculantur. Ignis nutrimentum nactus, continuò inualescens, totam per vrbē grassatur, ipsasque portas comburens, hostibus ingressum patefacit. Rutheni patefacto aditu, in ciuitatem irruunt, omnia depopulantes, Oppidani cum auxiliarijs in arcem confugiunt, sed paulò pòst commeatu destituti Præfectus, seu Commendator deditionem facit, hac cōditione, vt ipsi cum omnibus Germanis militibus liberū abitum concedant. Hoc impetrato, castrum Ruthenis deditur. Commendator cum suis militibus omnibus, quas auferre speraverant, facultatibus exuti, dimittuntur. Ciues ius & imperium magni ducis concedunt, eique sacramento se obstringunt. Expugnata Neruia, Moschouiorum exercitus arces, pagos, vicos, domos ac villas vndiq; quindecim milliarium latitudine circumiacentes diripit, & vastat. Noua ibi calamitas, noua

noua ærumna, & lamentatio exoritur, factumque ita, vt quotquot ibi agricolæ Teuthonico Magistro antea parebant, nunc ab eo desciscentes, in Moschouij ducis iurisdictionem, & imperium cōcederent. Direpto igitur, & vastato Neruiensi territorio, circa natalem Baptistæ Ruthenicus exercitus in prouinciam Torpatensem progreditur, ac tertio, post Baptistæ natalem, die primariam episcopi Torpatensis arcem, cui nomen Nienhusijs, octodecim à Torpato milliaribus distantem, obsidet. Ruthenorum nō pauciores erant octoginta millibus. His adiuncta erant ænea tormenta plurima & maxima. Priusquam huius arcis expugnationem referamus, memorabile facinus, quod olim in ea contigisse ferunt, interponemus, vt animus ab his bellicis tumultibus, cædibus, & incendijs paulisper respiret. Oppugnauit olim hoc castrum magnus Moschouię dux, anno 1381. cui oppugnationi ipse intererat vnà cum trecentenis militum millibus. Ac tandem post diutinam, & pertinacē obsidionem, & crebras irruptiones, mœnia, & propugnacula labefacere incœptant, obsessi cùm hostium assultum diu sustinuissent, tandem solis viribus humanis diffisi, diuini numinis clementiam, & auxilium quotidianis, ardentibusque votis expoſcunt. Prefectus vt in bellicis rebus reliquis præstabat, ita hoc quoque in negocio cæteris feruentior erat. Igitur quadam nocte Veneris diem proximè antecedente in somnis peruigilat, ante arā quandā prosternitur, orat, vt in tam deplorato rerū statu Deus apparere dignetur, felicemque tam grauis obsidionis liberationem clargiri. Exorto Sole, cùm Rutheni certatim arcis ex-

pugnationem sibi promitterent, exurgit è precibus suis præfectus, acceptoq; arcu, telum ferrea, acuminataq; cuspide in Dei nomine in medium Ruthenorum exercitum è fenestra emittit. Fauent conatibus superi, volat missile ferrum, & ipsius Moschouij principis cor trãsfigit. Concurrunt trepidi comites, dominumque ruentem suscipiunt. Ille manu moriens, telum trahit, ossa sed inter ferreus ad costas alto stat vulnere mucro. Rutheni magno cum vlulatu principis, & imperatoris sui tam funestum, & luctuosum casum deplorant, arreptumq; funus in Moschouiam perferunt. Liuones hoc mirabili, memorabiliq; modo liberati, arcum perpetui trophæi loco in Basilica, quæ ibidem in castro extructa erat, ad altare suspendunt. Solebat in eo templo cultus diuinus quõdam magna pietate, ac deuotione peragi: nũc verò peruersis dogmatibus receptis, nullum pristinæ pietatis vestigium conspiciebatur. Arcum ibidẽ suspensum, vidit venerandus vir D. P. Olmen, quondã Metropolitanę ecclesię Torpatensis stipendiarius Canonicus, nunc ecclesiastes Reuensis.

Teuthonicus Magister cognita arcis Nienhusen obsidione, duo Germanorum equitum millia adducit, & vnà cum episcopo Torpatensi, qui trecentos habebat equites (equester enim ordo Ruthenica depopulatione opibus, fortunisq; omnibus exutus erat) obsessis auxilia ferre meditatur. Vbi sex adhuc milliarib. à Ruthenico exercitu abessent, prope castrũ episcopi Torpatensis, cui nomẽ Kieriepe, sua tentoria figunt, ibidemque ad dies viginti quatuor morantes, omne tempus quieti & luxuriæ cõcedũt. Obsessi, quum præter paucos accolas, qui in arcem con-

confluxerant, & sexaginta præsidiarios milites, nulla haberent auxilia, diutina obsidione fatigati, nullaque suppetiarum spe affulgente, & rebus accisis deditionem faciunt, ea conditione, vt ipsi cum fœmineo comitatu securi abscedant. Cæterùm duo milliaria progressi, in aliud Ruthenorum agmen incidunt, qui raptis virginibus, & fœminis, illos nudos, omniq; argento spoliatos dimittunt. Teuthonicus Magister deditionem factam intelligens, ita simul ac dolore exacerbatus, castrum episcopi Torpatẽsis Kieriepe igne succendit. Præclarum hoc fuisset, & gloria dignum, si facinus istud in hostem designasset. Expugnata igitur arce Nyenhusen, & præsidio munita: dux exercitus Ruthenici cum vniuerso agmine ad Teuthonicum Magistrum pergit, prælium cum eo committere constituens. Magister re intellecta, ocyus fuga arrepta, desertoque episcopo, è Torpatensi prouincia penè ad viginti quinq; milliaria secedit.

Rutheni equites numero triginta millia pergunt in Torpatẽsem prouinciam, obuios quosq; Germanos trucidant, alios plebei ordinis homines, quotquot parati erant, magno Moschouię duci subijci, illi parẽre, & iureiurando obstringi, hos in gratiam recipiunt. Imperator Ruthenorum, quoniam ipse bello non intererat, præfecerat exercitui ducem quendam Moschouium, cui nomẽ Petro Sisegaleider, à septem triremibus Galeaceis, quibus in mari præfuerat, & piraticã exercuerat, ita appellatus. Hic cũ vniuerso exercitu, videlicet, quatuor agminibus Ruthenorũ, seu Moschouiorũ, vno Tartarorũ quorũ erãt triginta millia, & altero tormẽtariorum, seu

ſclopetariorum, qui duodecim millia cõſtituebant, machinis quoq;, & tormentis æreis prægrandibus, tanto, inquam, cum exercitu, ad obſidendum Torpatum progreditur. Interea quoſdam Germanos deprehendis, viros brachijs truncat, fœminis vbera, & nares abſcidit: hos tam miſerè & crudeliter deformatos, Torpatum præmittit, denunciat, vt ciuitatẽ dedant, in Moſchouij principis imperium concedant, ni faciant, omnes eadem, & grauiori pœna plectendos. Ruthenicus exercitus ſex milliaribus à Torpato caſtrametatur. Vniuerſus militũ numerus, vt ferebatur, trecenta millia conſtituebat. Ciues Torpatẽſes & reliqui equeſtris ordinis, cognita obſidione, Cathedralẽ eccleſiam claudunt, præcipientes ne quiſquã Miſſę ſacrũ in ea peragat, pręuaricantibus extremum ſupplicium interminantur. Ingens ſanè & horrenda populi cæcitas, dicámne an impietas in tam præſentaneo diſcrimine, rebus ita nutantibus hoſtico exercitu muris imminente, nec vlla humana ope vllam ſalutis ſpem promittente, diuina præſidia tam prophanè aſpernari, ridere & execrari.

Interea dum hoſtes ſex miliarium interuallo caſtrametantur, quotidie ſex aut ſeptẽ Ruthenorum vexilla ad vrbem emicant. Cancellarius Torpatenſis, cum quibuſdam conſiliarijs & nobilibus, epiſcopum accedunt, ſimulant ſe vrbe egreſſuros, & cominus cum hoſte cõflicturos. Illi portis emiſſi, deſerto epiſcopo, derelicta ciuitate, perfidi & profugi Rigam omni celeritate ſe recipiunt. Ciuium quoq; bona pars, opes merces ſuas Rigam & Riualiam miſerant, & paulatim ex vrbe ſeceſſerant. Morbo etiam

iam à paſcha ad Pentecoſten graſſante, plurimi ſublati erant, vt pauci admodum, qui vrbem defenſitarent, ſupereſſent. Hi erant Cathedralis eccleſiæ Canonici & ſacerdotes, cum epiſcopo & paucis nobilibus, & pleriſque qui in catholica religione perſeuerantes, intra immunitatem (vt vocant) eccleſiæ Cathedralis habitabant: neque enim ſenatus, aut ciues vllum in ciuitate tolerabant, qui religionem catholicam non abiurabat. Septima menſis Iulij centurio quidam Groningenſis cum ſexaginta militibus Torpatum venit, ab epiſcopo in præſidium ſuſcipitur, inde ex opificibus & plebeis adhuc cẽtum alleguntur. Vndecimo Iulij Ruthenicus exercitus, Torpatum ad obſidendam vrbem pergit. Tunc omnium Torpatenſium animos ingens metus & formido inuadit, vt quid incœptare, quid moliri deberent, dubij, anxij & trepidi rerum, haud ſatis definire poſſent. Canonici aſſumpto duce Groningenſi, & pleriſque nobilibus, in ciuitatem ad forum deſcendunt, hortantur & obſecrant ciues, vt reſumptis animis, viriliter hoſtium impetũ ſuſtineant, ſe, vxores, liberos, & patriam, aduerſus hęreditarium Chriſtiani nominis hoſtem fortiter & fideliter tutentur, facilè hoſtes poſſe propulſari, ſi vnanimes, concordibus animis & armis, pro aris & focis dimicent. Ad hæc conſul. Si epiſcopus Hermannus & canonici Romano. Pontifici renuncient, Euangelium amplectantur, velle ipſos ciuitatem ſeriò & viriliter tueri. Reſpondent canonici graue hoc & exitioſum tum ſibi, tum ipſis futurum, quãdoquidem animaduertant poſt aſſumptam illam nouam doctrinam omnia illis aduerſa fuiſſe, nunquam tantam

à Moſchouio cladem accepiſſe, quantam poſt religionis mutationem pertulerint. Tandem Satrapa pronuntiat, vt quilibet ſua in fide ac religione permaneat, nunc non de fide, ſed pro patria, parentibus, & liberis decertandum. Illud conſilium cùm omnibus probaretur, ſacramentũ præſtant, nũquam ſe Ruthenis vrbem dedituros, ſed ad extremum vſque halitum pro communi omnium ſalute fortiter dimicaturos. Confeſtim tres ciuitatis portas muro obſtruunt, æneaq; tormẽta in turribus & propugnaculis collocant, ipſi vndequaque in mœnibus & ſpeculis præſidia & excubias agitare. Vndecima Iulij die quæ in feriam ſecundam incidit, mane ante ſolis exortum, ſpeculatores vniuerſum Moſchouiorum & Tartarorum agmen vrbem obſidere comperiunt. Caſtra ante portam S. Andreæ ad Orientem fecerunt, eaq; vallo muniuerant. Denſiſſimæ erant ea nocte tenebræ, ac tametſi ſol tertia hora matutina exoriretur, tamen propter nebulam mirè ſpiſſam parum, aut nihil proſpici poterant. Torpatenſes obſidione cognita, æneas glandes & tormẽtarios globos ea parte qua ſtrepitum audiebant, eiaculantur, ſed neque in quenquam collimare, aut quid proficerent, ſcire dabatur. Sclopetarij ſeu ſagittarij ſexaginta quotidie bis ex vrbe emicant, vt leui pugna Ruthenos adoriantur: ſed quoniam rari erant, parum efficiebant. Nebulæ denſitas per Lunæ, & Martis, & Mercurij diem cõtinenter durabat, vt vix paucis paſſibus proſpicerent, certoq; pateret, obſidionem illam à Deo ex certo vindicandi propoſito permiſſam. Mercurij die equites Torpatenſes omnes, hi erũt circiter ſexaginta, denuò ad Ruthenos procedunt,

dũt, & leui prælio cõfligũt, multos æneis & plũbeis glandibus traijciunt. Speculatores quoque, & qui in turribus præſidium agebant, tormentarios globos in Ruthenicum agmen iaculantur, tanta vi & copia, vt velut flammis & incendio ciuitas ſepta videretur. Equites cùm ad horas duas acriter cum Ruthenis dimicaſſent, & hoſtibus vndiq; accurentibus nimis eſſent impares, in vrbem ſe recipiunt, vno duntaxat ſuorum amiſſo, equis verò ſagittis ac telis Ruthenicis grauiter vulneratis. Ferebatur tunc in vrbe, aliquot Moſchouiorum millia grauioribus tormentis interfecta, conſpiciebantur quoq; paſſim equi deiectis ſeſſoribus circumquaque procurrentes. Feria quinta Moſchouij machinas ac tormenta ſua inſtruunt, non tamen in mœnia ipſa dirigunt, ſed in altum leuant, vt globi, (quos vix duo lecti viri eleuaſſent) in ædium tecta procíderent, quorum pondere parietes, tecta ac ligna colliſa ac diruta, pueros, fœminas, paſſimq; omnes inquilinos repente præter expectationem opprimebant. Tantus erat ea die ac nocte intus & foris bellicarum machinarum fragor ac ſonitus, vt vix alterius ſermonem exaudiret.

Rutheni proxima nocte quæ Veneris die antecedebat, ad portam D. Andreæ, foſſam ingẽtem ſub mœnibus fodiunt, & ſex vaſa pulueris tormentarij ſubſtituunt, vt vi pulueris eam mœniorum partem diſrumperent, & ſubuerterent. Sequenti die circa horam nonam matutinam, denuo Rutheni terribili tormentorum fragore oppidanos inuadunt. Fœminæ tum natura, tum præſentaneo diſcrimine pauidæ, luctu lacrymis & eiulatu omnia complent.

Quam tam miserabilem miseriam, consules vndique cõspicientes, ad Cathedralem ecclesiam ascendunt, deploratum ciuitatis statum episcopo exponunt, deditionem se facturos aiunt, quoniam tantam suorum calamitatem, luctum & ærumnam vlterius corã videre ac sustinere nullo modo queant. Episcopus monet, vt meminerint deditionem sempiternæ ipsis turpitudini & ignominiæ futuram, deinde perspectam illos habere Moschouiorum, & barbariem, & tyrannidem, fidemque ac religionem in Deum ac Diuos blasphemam, tum ab vniuersa ecclesia, totoque terrarum orbe dissentaneam. Expendant, ne pecudes quidem à Christianis tam immaniter tractari, vt homines à Moschouijs. Considerent quantam truculentiam & plusquam ferinam barbariem in virgines & fœminas Christianas exercuerint. Eadem & grauiora, fortassis ipsis imminere, si sponte tam crudelis domini iugum intolerabile subeant. In hanc sententiam cùm ad perseuerantiam hortaretur episcopus, nihilo seciuspertinaciter deditionem vrget senatus, quo factum, vt ingens dissentio in vrbe exoriretur. Nec multo pòst eodem die circa horam duodecimam legatum ad Moschouij exercitus ducem mittunt, supplices rogant, vt ab obsidione desistat, paratos se fore, si vitam & facultates saluas ipsis promittat, pontifici & imperio Romano renuntiare, & præstito Sacramento in ius & imperium magni Moschouiæ ducis concedere, ac deditionem facere. Exercitus Ruthenici dux accepta legatione, certam pacem illis promittit, si propositas conditiones inire velint. Hoc responso solidè gauisus senatus, duos ex senatoribus ad

ad ducem ablegat, qui omnium nomine iusiurandum præstent. Ea fama vbi per vrbem diuulgatur, ingens tumultus & seditio exoritur. Militum præfectus cum sua cohorte, & Cathedralibus canonicis, reliquisque catholicis, nullo pacto ad sacramentum Moschouio principi præstandum induci sustinent, sed nec deditionem facere, verùm armis, vita & sanguine auitam religionem, libertatem, & patriam vindicare parati sunt, impiamq; & nefariam senatus defectionem grauiter redarguunt, salua esse adhuc mœnia, commeatum prælargum ac sufficientem, præsidiarios tametsi non ita multos, tot tamen ac tales, qui & vrbem protegere ac defensitare possint, eaque fortitudine, animiq; præstantia præditos, vt vitam prius & spiritum quam vrbem & libertatem amittere velint. Senatus nihil à proposito declinans, & fidem, & religionem, cunctaque vitæ posthabenda arbitratur. Atq; vt culpæ, ac defectionis socium haberet, Episcopum cuius instãtiam exploratam habebat, accedit, ipsumque ad arcis cuiusdam & abbatiæ Valkena deditionem inducit. Milites, qui centum sexaginta erant, & quadraginta Cathedralis ecclesiæ cãtores, & canonici, hac defectione nequicquam à pristina constantia dimouentur, sed mutuam fidem ac tutelam inuicem stipulantur & promittunt, sanguinem priùs profundere, quàm patriam prodere, auitamque religionem abiurare, statuunt. Hæc feria sexta contingebant. Postero die Moschouij exercitus dux, cognita oppidanorum dissentione, vt vrbe potiretur & obsidionem conficeret, nuntiat obsessis, neminem se coacturum vt abnegato imperio Romano, in magni Moschouiæ

ducis ius & imperium sese dedat. Vrbe se vel volentibus, vel inuitis oppidanis omninò potiri velle. Qui Moschouio duci sese dedere ac iusiurandum præstare detrectent, illis liberum fore, vt per vniuersum Ruthenorum exercitum securè in Germaniam secedãt. Qui verò parati sint in Moschouij principis imperium concedere, illis vitam & facultates saluas fore. Cæteris qui neutrum horũ faciant, extrema minatur. Ad sequentẽ Lunę diem circa septimã matutinam portas apertas fore, interea deliberent, & quid facturi sint, constituant. Milites præsidiarij cum Cathedralibus nihilo secius armati duas subsequentes noctes peruigiles ducunt, quando-quidem & senatum cum ciuibus & Moschouios aduersos habebant. Interea plærique nobiles, ciues, & fœminæ catholicissimi reliquis paulò obseruantiores, ad Cathedrales concedunt, & voluntarium exilium vnà cum ipsis eligunt, atque ita numerus secedentiũ excreuit in 200. armatos, & 200. fœminas ac virgines. Die Lunę portis adapertis, egrediuntur catholici, quos Ruthenici exercitus dux, per vniuersum agmen iuxta datã fidem, dimittit. Ingens ibi luctus & eiulatus exoritur, maritus ab vxore diuellitur, fratrem soror deserit, liberi à parentibus, cognati à propinquis secedunt. Alij senio, morbo, alióve incõmodo grauati tam longinquum, ignotum, plenumq; discriminis iter susципere nequeunt, alij bonorum, facultatumq; appetẽtiores, pontifici & imperio Romano renunciant, & Moschouij principis iugum subeunt, catholici vrbe, patria, ac domo profugi, omnibus derelictis, plurimæ etiam matres prolibus onustæ Riualiam contendunt. Dum per Ruthe-

Ruthenicum exercitum gradiuntur, Tartari quorum erant triginta millia, Liuones inuadere parant, eos in prędam sibi datos asserentes, arcus instruunt, & nouo eos, insperatoque prælio appetere instituunt. Fœmineus cœtus præsentaneum periculum conspiciens, protinus in clamorem & eiulatum, vt fit, soluitur. Cæterum Deus mirificè eos tutatur. Clarum erat & serenum cælum, nec à viginti diebus pluerat, nec octiduo post pluebat. Nihilo secius in tanta serenitate, ingens ac formidabile tonitru in medium Tartarorum agmen quinquies immittitur, tanto fragore ac sonitu, vt terra cõmoueretur. Tartari quoq; instar pulueris huc, illucq; dispergebantur. Nec multo pòst Moschouij exercitus dux lituo quem gerebat, designat, vt liberè dimittant Liuones: indicat præterea per interpretem, deducendos eos securè per media castra & vniuersum exercitũ, ingentẽq; equitũ cohortem ipsis adiungit, quò securius euadãt. In ipso progressu plęriq; ob æstus vehementiam, & pulueris, quem equitatus ille cõcitabat, denfitatem, languidi & emortui miserabiliter cõcidebant. Moschouii agminis dux præsens huic ductui cum aliquot equitũ millibus intererat, vinctumq; habebat episcopum, quem ad abbatiam Valkenadensem ducebat, ibidemq; carcerari mancipabat. Eò vbi ventum, dimittit Liuones. Illi paulum progressi noui discriminis, triste nuntium accipiunt. Monẽtur enim ab agricolis, latêre à duobus milliaribus octo Tartarorum millia, quibus Liuones vniuersi prædæ ac direptioni dediti sint, vitæ quoq; ac necis potestatem in ipsos habeãt. Idem secreto præmonuerant eos quidam Torpatensium,

qui præstito iureiurando in Moschouij ducis imperium concesserant. Liuones principio conflictum meditantur, posteaquam penitus considerata, duos agricolas conducunt, qui eos ambitu quodam per nemorosa & palustria loca, quo Tartarorũ equitatus penetrare nequibat, triduo circumducunt, inde post quintiduum Riualiam perueniunt, vbi singuli nauibus conscensis, salutem ac prosperitatem sibi inuicem precantes, quo animus, voluntas & consilium ferebat, contendunt.

SIMON SCHARDIVS DE VITA ET OBITV SIGISMVNDI AVGVSTI REGIS POLONIÆ, *qui obijt anno 1572. Kalendis Julij.*

ANno 1572. Kalendis Iulij Sigismundus Augustus rex Poloniæ, qui superiore mense ægrotare incipiens, medicis de ipsius salute desperantibus, in Lituaniam concesserat, ibidem extremum vitæ diem claudit, ne quicquam eum proceribus regni subsequentibus, vt in præsentia viui de nouo rege deliberarent, ætatis suę rex potentissimus, ac in orbe Christiano celebratissimus. Natus anno 1520. Augusti die 2. minutis 38. ante tertiam horam matutinam, patre Sigismundo, & matre Bona Sphortia, Ioannis Geleatij Sphortiæ Mediolanensium ducis, & Isabellæ Arragonię filia, puer vix decimum annum agens, pater-

terno regno, patris opera, studioq; inauguratus est, cumque eo annos octodecim regnauit, pòst iuuenis factus vxorem accepit voluntate patris Elizabetham Ferdinandi Cæsaris, & Hungarorum ac Bohemorum regis filiam natu maximam, in qua muliere genus cum forma, forma cũ comitate & mansuetudine, hæc cum probitate, probitas deniq; cum pietate certabat, ita vt nescires, quid in ea potissimũ admirareris. Ea verò biennio post nuptias celebratas, magno multorum luctu extincta, atque regni habenis post patris octogenarij obitum, anno quadragesimo nono, ad solum Sigismundum deuolutis, Barbaram Radziuilliam Lituanicam inuitis regni proceribus vxorem duxit. Cæterùm & ea statim post coronationem vita functa, ipse triennio in viduitate transacto, alteram Ferdinandi Cæsaris filiam Catharinam, quæ prius Francisco prima Mantuæ duci elocata fuerat, pontifice legibus eum saluente, matrimonio sibi iunxit. Id quòd tale fuit, vt plus molestiarum, quàm iucũditatis, vel voluptatis coniugalis habuerit. Cùm autem hucusque tranquillitatis studiosissimus bella à suis auertisset, atq; pacem cum finitimis initam firmiter coluisset, tandem intestina Liuonienſium dissensione, ex otio in bellum pertractus, de regni incremento & amplificatione cogitationes suscepit. Nam cum anno 1559. inter archiepiscopum Rigensem Wilhelmum ex Brandenburgica familia natum, & ordinis Teuthonici Magistrum dissensione, cùm ob Euangelij prædicationem in ecclesia Rigẽsi, tum ius comitiorum indicendorum exorta, res eò deuenisset, vt archiepiscopus vtrumque impediturus, post varias velita-

tiones in arce Kokenhusen conclusus, fame atq; penuria rerum omnium coactus, se Magistro vnà cum commilitonibus dedere cogeretur, & toto penè anno, non vt prouinciæ, ac ciuitatis consors, vel præsul, vel Brandenburgicæ familiæ princeps, vinctus detineretur, sed veluti barbarus hostis tractaretur. Sigismundus nepotis seruili captiuitate cognita, legatum ad ordinis Magistrum Wendam ablegauit cum mandatis, vt quandoquidem in bello, nepos Wilhelmus captus esset, hic indignissimo carcere liberaretur, & omne dissidium inter archiepiscop. & ordinem Teuthonicum amanter componeretur. Cæterùm Teuthonici ordinis Magistro legatum in Poloniam re infecta dimittente, Sigismundus, qui operam suam sperni molestè ferret, ordini Magistro, omnibusq; eius auxiliarijs bellum denunciat. Cuius exitus is fuit, vt etsi ordinis Magister aliquot vexilla peditũ, & equitũ Germanorum, cum copijs trium episcoporũ, Torpatensis, Riualiensis, & Gapsilensis cõtra Polonos educeret, tamẽ cũ se à Polonis exercitus multitudine superari videret, pacẽ à Sigismundo petendam censuerit, eamq; hisce conditionibus impetrarit, vt ordinis Magister archiepisc. in pristinum statum restitueret, omneq; damnum ac detrimentum eidem illatum rependeret, præterea Polono stipendia in milites erogata refunderet. Videbatur harum conditionum acceptione Liuonia pacata, quantumuis Liuonibus clanculum mussitantibus, ab ordinis Magistro omnem prouinciæ thesaurum, & nullo cum fructu, aut ciuium vtilitate cõsumptũ: sed ecce Moschus sue occasioni intẽtus, quod & induciarũ antea cũ Liuoniẽsibus pactarum

pactarum finis esset, & Liuonienses inter se alienatos sciret, Torpatensem episcopatum Liuoniæ ingenti exercitu, nimirum trecentorũ millium hominum, duce Petro Sisegaleider strenuo olim pirata inuadit, eumq; ferro & igni vastat, & per multa milliaria, omnia cæde, rapinis, fœdissima barbarie & immanitate complet, pueros infra annum decimum necãs, intra decimũ & vigesimũ cõstitutos, Tartaris hominibus feris vendens, supra viginti trucidans omnes, pecus omne quod in Moschouiam abduci non posset mactans, Germanos mares deprehẽsos brachijs truncans, fœminas sectis vberibus diu crucians, pleraſq; in frusta discindens, & membra palpitãtia hac illac dispergens, in summa nihil crudelitatis prætermittens non tantum in ditione Torpatensi, sed & Neruiensi, quę Magistro Teuthonico paret, minimè etiam ditioni Rigensis Archiepiscopi parcens. Ideo Liuonici, maximè Rigenses se in tanta necessitate cõstitutos, cõspicientes, & tardis auxilijs imperij, cuius superioritatem, vt vocãt, hactenus coluerãt, diffidentes, à Sigismundo defensionẽ petiẽre, quã ipse potentia, fertilitate, ac cõmoditate vicinæ prouincię perpensa Liuonienſibus nõ grauatim præstitit, Moschis in Liuoniam à cæde sex millium Tartarorum redeuntib. fortiter sese opponẽs, & quo Liuonię cõcordię prospiceret, ordinis Teuthonici authoritate in Liuonia sublata Gothardũ Ketlerũ ex nobili familia in Westphalia natum, ex Magistro Teuthonico, ducem Curlãdię faciens. Verùm enimuero dum Sigismundus Liuonienſibus cõtra Moschos succurrere cogitaret, factum est, vt horũ arma in suos Lituanos conuerteret. Nam in mense Februario anni

1563. Moschus defensione Liuoniensium, à Sigismundo susceptа irritatus, Lituaniam omnibus nobilibus & præfectis hostiliter inuadit, vt sic immanitatem & plus quàm beluinam crudelitatem toti orbi notiorem redderet. Ingressus itaque Lituaniam maximis copijs, arcem munitissimam Poloczko vicepit, multis millibus hominum occisis, & alijs in seruitutem abductis. Fuit hæc clades Polonis perquam grauis, cùm ob alia, tum verò arcem Polentzko amissam. Quare Sigismundus, neutiquam sibi conquiescendum putauit, quo ad suos barbaricа Moschi tyrannide liberaret: ideo inducijs sibià Moscho denegatis anno subsequenti, qui erat 64. Moschos in Lituaniam redeuntes, ad Vlium oppidum, virtute Nicolai Ratziuilij profligatos, Lituania eijcit. Intereà verò cùm graue ac diuturnum bellum inter regem Daniæ, sociosq; Lubecenses, contra Ericum Schwediæ regem exortum esset, atque hunc id moliri cognouisset, vt toto mari Baltico occupato, & latronibus atque piratis infestato, mare ipsum suæ potestatis faceret, Polonicasque ditiones oppugnaret, ipse, quo conatus Erici infringeret, veteremq; maris & cõmerciorũ libertatẽ & securitatẽ tueretur, societatẽ cum principib. Prussiæ, Pomeranię, & Megapolię, dictisq; cõfœderatis iniit. Eaq; durãte, Christophorũ ducẽ Megalopolensem electum coadiutorem Rigensis Archiepiscopatus, quod in suspicionem venisset, quasi cum hostibus regni Polonici consilia agitasset, cepit, eumq; Wildæ clementer exceptum, per aliquot annos in custodia habuit. His rebus ita gestis publico consensu Lituaniam, cæterasque regiones Poloniæ coniunxit,

xit, ac tandem inducijs cum Moschouita factis, vt exitiale bellum Schwedi cum inter sororium Ioannem Schweciæ & Danię reges adhuc durans, æquis conditionibus componeretur, vnà cum alijs regibus ac principibus intercessit. De alijs eius priuatis virtutibus à nobis hic plura commemorari necesse non esse, id alijs facturis quibus eæ notiores sunt quàm nobis. Beneuolentia verò, qua illustrissimam familiam Brandenburgicam ob agnitionem amplexus est, ad omnem posteritatem prędicanda est. Siquidem vt liberationem Wilhelmi archiepiscopi Rigensis taceamus, & fratrem eius Albertum primum Prussię ducem ab imperatore proscriptum clementissimè protexit, & protectum adamauit ac coluit: filij præterea adolescentis Alberti Friderici patre defuncto, tutelam clementer suscepit, vtque propensionem erga cognatam familiam Brandenburgicam ad omnem posteritatem declararet, eam totã, casu quo proximiores absq; liberis atque legitimis hæredibus decederent, successionis Borussiaci ducatus capacem esse voluit. Decessit nullo ex tribus vxoribus hęrede relicto, vltimus regum Polonicorum ex stirpe Iagellonea Lituanica, quæ ab anno 1386. in hunc vsque diem quo Sigismundum mortuum diximus, magna cum laude res Polonicas rexit: Iagello siquidẽ, siue Iagula magnus Lituaniæ dux, qui cum matrimonio Heduigis demortui Ludouici regis Vngarorum & Polonorum filiæ, regnoque, fide Christiana recepta Vladislaus secundus est dictus, quasi qui gloria potens futurus esset, decrepita admodum ætate, ex quarta vxore Sophia Russà Kiouiensium ducis filia, duobus

filijs, Vladislao tertio, & Casimiro, susceptis, post mortem regnum ad Vladislaum filium transmisit, eum, qui Vngarorum quoq; regno susceptο, & profligatis cum gloria aliquot Turcarum exercitibus, cùm prius ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines magis animosiore quàm validiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter cõfortissimos hostes dimicans, certam propemodũ victoriam cum vita pariter amisit. Post hũc autem sine liberis decedẽtem, cũ Polonis vndecim, Vngaris quinq; annis præfuisset, Casimirus natu minor frater regnũ susceptit, qui Elizabetha filia Alberti Romanorũ, Vngarię & Bohemiæ regis, & archiducis Austriæ, & Ladislai Vngarorum & Bohemorum regis, sorore in regni sociam ascita, ex illa filios sex, & filias septem sustulit. Ex his Vladislaum natu maximum viuens Bohemis, Casimirum ac deinde Ioãnem Albertum Vngaris reges dedit: Sed vtroq; hoc dissentione partium deserto Vngariam quoq; cũ Bohemia Vladislaus obtinuit. Ex quo & Anna Galla, filia domini de Candalla Vasconis nati. Ludouicus filius, qui bimulus viuẽte patre coronatus, cùm ei exacta ætate mortuo in vtroque regno succedisset iuuenis admodum Turcico bello, anno 1526. apud Mohatiũ miserabiliter perijt, & Anna filia, quæ nupta Ferdinando Cæsari eum quindecim liberis beauit: filijs quatuor, Maximiliano, Ferdinãdo, Ioanne & Carolo: filiabus vndecim, Elizabetha, Anna, Maria, Magdalena, Catharina, Leonora, Margareta, Barbara, Vrsula, Helena, Johãna, de supra memoratis verò duob. filijs Casimiri regis, Casimirus qdẽ iuuenis castissimus & religiosissimus, in Lituania immaturã mortẽ obijt, non sine celebri

lebri sanctimoniæ fama. Ioannes Albertus post patrem octo & amplius, deinde hũc secutus Alexander quinq; annos regnarunt: ille quidem maximi animi, sed ante susceptum regnum, quàm regnans felicior. Hic à Moschis apud Vedrusios victus eosdem apud Opascam, Tartaros verò Tauricos apud Clesçum paucis ante mortem diebus, insignibus prælijs profligauit. Post hos natus est Sigismundus, Sigismundi de quo loquimur pater. Hunc secutus Fridericus sacris initiatus, archiepiscopus Gnesnensis, simulq; episcopus Cracouiensis, & Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis S. Luciæ in septem Solijs. Porrò filiarum Casimiri duæ immaturè mortuæ, Hedwigis Georgio duci Bauarorum, Sophia Friderico Marchioni Brandenburgensi, Anna Bugislao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonum, Elizabetha verò (patre mortuo) Friderico Legnicensium & Bregensium ducibus matrimonio iunctæ fuêre. Cæterùm Ioanni Alberto, & Alexandro fratribus sine sobole decedentibus, in regno Poloniæ successis Sigismundus amborum frater, bellis cum potentissimis Moschis, ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, & fortissimis Germanis, feliciter gestis clarissimus, qui initiò in matrimonium ducta Barbara Stephani comitis Scepusiensis, ac Transyluanensiũ Palatini filia, fœmina sanctissima & pientissima, ex ea filiam Heduigiam suscepit, fœminã lectissimam iunctam matrimonio Ioachimo Marchioni Brandenburgensi, Electori Romani Imperij. Deinde verò ea defuncta ex altera Bona Sphortia, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium ducis, & Isabellæ Arragoniæ filia maximam natu filiam Isabellam

Ioanni regi Vngarorum affini iam prius suo nuptui tradidit: reliquarum verò trium, post mortem Sophia nupsit Henrico iunior duci Brunsuicensi, Catharina Ioanni duci Finlandiæ, iam Swedorum regi potentissimo, Anna adhuc virgo dignas suo genere nuptias expectat. Ad extremum filius Sigismundus Augustus, cùm eo quo diximus modo regnasset, sine liberis decedens, obitu suo non tantum exteris compluribus, regni vacantis ambiendi occasionem præbuit, sed & inter regni proceres diuersa studia, grauesq; contentiones excitauit, quibusdam hunc, alijs alterum regem eligi postulantibus.

FINIS TOMI III. RERVM POLON.



1 5 8 4.

MÁSOLAT
A M. N. MÚZEUMI
SZÉCH. OMSZ.
KÖNYVTÁRBÓL

FRANCOFVRTI EXCVDEBAT IOANN. Wechelus, impensis Sigis. Feyerabendij.